BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
166
M
4
NAPOLI

Digitized by Google

XIII. K. 2

Digitized by Google

EPISTOLÆ
ET
BREVIA
SELECTIORA
ANNI MDCCVI.



DE MENSÂ REGIS IUGITER VESCEBANTUR.
Reg. Lib. 2. Cap. 9. v. 13.

ARGUMENTUM

Regem Catholicum Philippum V. à filiali ergà Sanctam Sedem obſervantiâ, ac iis, quæ jugiter edebat, pietatis argumentis commendat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.



CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Riconoſcendo Noi nella Regia Carta della M. V. in data delli 20. Novembre proſſimo paſſato reſaci dalDuca d'Ucceda ſuo Ambaſciatore una nuova ben chiara teſtimonianza del ſuo ſincero, e filial riſpetto verſo queſta S. Sede, entriamo in una ben certa ſperanza, che quel medeſimo ſia per ottenerle ſempre da Dio le più ampie benedizioni. In tale fiducia ci conſerma il diſtinto conto, che continuamente ci rendono gli Arciveſcovi di Lariſſa, e di Damaſco noſtri Nunzii appreſſo V.M., degli atti ſingolari di pietà, cò quali Ella con univerſale edificazione ſempre più procura di conciliarſi la Divina aſſiſtenza. Accreſcendo però anche Noi à tale oggetto le noſtre preghiere à Dio per la tanto neceſſaria tranquillità del Criſtianeſimo, e per l'indennità della noſtra Santa Religione, diamo alla M. V. con tutta la pienezza del noſtro Paterno affetto l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die 2. Januarii 1706. Pontific. Noſtri Anno Sexto.

ARGUMENTUM

Licentiam aliquot Gallicanæ Eccleſiæ Præſulum, qui Pontificiam Conſtitutionem: Vineam Domini: *ad examen revocare, ac de eâ judicium ferre auſi fuerant, graviter arguit, atque refellit, Clerumque Gallicanum univerſum ſeriò admonet non alias eſſe ejus partes, niſi Apoſtolicæ Sedis Decreta reverenter excipere, ac illis humiliter obtemperare; quod & prævalidis allatis rationibus, & propoſitis veterum Gallicanorum Antiſtitum exemplis, egregiè confirmat.*

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac Dilectis Filiis aliis Eccleſiaſticis Viris in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani Pariſiis congregatis.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, ſalutem &c. Gratulationes veſtras, quibus editam nuper à Nobis pro comprimenda inquietorum hominum contumaciâ Conſtitutionem excepiſtis, ex datis ad Nos literis veſtris magnâ quidem animi voluptate cognovimus: novam inde fiduciam concipientes non inanem fuiſſe laborem noſtrum, Voſque pro Paſtoralis veſtri muneris debito curaturos, ut extinctis prorsùs ſupremo Apoſtolicæ Sedis judicio Janſeniani erroris reliquiis, idipſum tandem ſapiant omnes, ſintque perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententiâ. Verùm uberem adeò gaudii noſtri materiam turbavit admodùm nonnullarum Epiſtolarum, aliarumve Scriptionum palàm editarum delata ad Apoſtolatum noſtrum notitia, quibus nihil magis obtendi, atque adſtrui videtur, quàm ut ſumma dictæ Sedis authoritas multifariam impetatur, perindè acsì nullum hodie Epiſcopali zelo argumentum dignius occurrat, quàm Beati Petri Sedis poteſtatem attenuare, unde ipſe Epiſcopatus, & tota authoritas nominis hujus emerſit. Quodque mirandum magis, quin & deplorandum acerbius Nobis fuit, tentari hæc vidimus eo ipſo tempore, quo extirpandis errorum radicibus, quibus Eccleſias veſtras infici ſentiebatis, imploratum à Vobis, poteſtatem veſtram planè imparem expertis, & ab ipſo Chriſtianiſſimo, ac religioſiſſimo Rege veſtro inſtantiùs expetitum ejuſdem Primæ Sedis brachium, & auxilium, paternâ, qua Vos, Eccleſiaſque veſtras charitate complectimur, libentiſſimè impendebamus. Agnovimus in hoc ſanè conſuetas nequiſſimorum quorumdam hominum molitiones, qui dum Janſenianum virus, quod corde retinent, pœnarum metu proferre non audent, Romanæ Sedi, à quâ comprimi ſe maximè ſentiunt, occultum veluti bellum indicere conantur, ac per importunas quæſtiones in Catholicæ unitatis perniciem diſſenſionum ſemina ſpargere. Vos autem, Venerabiles Fratres, quorum muneris erat corripere inquietos, nimis dolendum eſt eorumdem potiùs ſuggeſtionibus cedere, Eccleſiæque turbatoribus, non ſatis advertentes, manum præſtare. Quis enim Vos conſtituit Judices ſuper Nos? Numquid Inferiorum eſt de Superioris authoritate decernere, ejuſque Judicia examinare? Pace veſtrâ dictum ſit, Venerabiles Fratres: intoleranda planè res eſt paucos Epiſcopos, & illarum potiſſimùm Eccleſiarum, quarum privilegia, & decora, nonniſi Romani Pontifi-

ciſfavore, ac beneficio conſtant, adversùs ſui nominis, & honoris authorem caput attollere, ac primæ Sedis Jura corradere, quæ non humanâ, ſed Divinâ authoritate nituntur. Interrogate Majores veſtros, & dicent Vobis non eſſe particularium Antiſtitum Apoſtolicæ Sedis Decreta diſcutere, ſed implere, & quandoquidem Epiſcoporum Galliæ Sancto Leoni Magno de conſenſione Fidei gratulantium verba producitis,ab iiſdem utique diſcere poteratis,quę Veſtri ſimilium, quos propterea imitari non pudeat, Antiſtitum in recipiendis Apoſtolicæ Sedis Definitionibus partes revera ſint: *Apoſtolatus Veſtri*, inquiunt, *Scripta ita, ut Symbolum Fidei, quiſquis redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adſcripſit, & tenaci,quò ad confundendos hæreticorum errores paratior ſit, memoriæ commendavit.* Longè ergo olim aberant præſtantiſſimi Galliarum Epiſcopi ab arrogando ſibi Jure diſcutiendi Apoſtolicæ Sedis Conſtitutiones, quas ut ipſum Fidei Symbolum recipiebant, nec multum temporis, aut ſedulitatis impendendum cenſebant, ut de illarum executione deliberarent; ſed ſatis ſibi eſſe arbitrabantur, ſi earum tenorem ad confundendos Hæreticos memoriæ commendarent; docebantque inſuper (quod Vos maximè animadvertere oportet) Romani Pontificis Definitiones non ex ipſorum fide dijudicandas, ſed Fidem potius ſuam ideò firmam, ratamque agnoſcebant, quòd Definitioni Romani Pontificis conſentiret. Audite illos Sancto Leoni iſta ſubdentes: *Doctrinæ poſt Deum veſtræ debet quiſque Fidelis, ut conſtanter teneat quod credebat: debet etiam Infidelis, ut à perfidia ſua, agnitâ veritate, diſcedat, & Apoſtolicæ Inſtitutionis luce perfuſus erroris ſui tenebras derelinquat.* Hæc Patrum fides, hæc majorum traditio, hæc conſtans veterum Gallicarum, ſicut & ceterarum totius Chriſtiani Orbis, Eccleſiarum regula: quæ quorumlibet demum novis humanorum ingeniorum adinventionibus oppugnari poteſt, labefactari omninò non poteſt. Neque Vos ipſos, Venerabiles Fratres, præclara veſtra, aut ſacrarum literarum peritia, aut in evolvendis priſcis Eccleſiæ monumentis ſtudium, ac diligentia ignorare patitur, quod cuncta per Mundum novit Eccleſia: quod nimirùm Sedes Beati Petri Apoſtoli de omni Eccleſiâ fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Profectò ſi vel ipſam Apoſtolicæ Conſtitutionis noſtræ formam, & quidem non à Nobis recèns adinventam, ſed à Prædeceſſoribus noſtris longâ ſæculorum ſerie uſurpatam obſervare placuiſſet, qua omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis Conſtitutionis ejuſdem exequutionem, & obſervantiam integram authoritate Apoſtolicâ præcipimus, committimus, & mandamus: edoceri vel ex eâ ſatis poteratis Nos in hac causâ non veſtrum conſilium expoſcere, non rogare ſuffragia, non expectare ſententiam, ſed obedientiam injungere: obedientiam ſcilicet illam, quam Beato Petro Apoſtolorum Principi, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ, ac Nobis, noſtriſque Apoſtolicis Decretis, atque Mandatis in ipſo ſacræ veſtrę Inaugurationis limine ſolemni Jurejurando polliciti eſtis. Ægrè quidem, Venerabiles Fratres, in hoc inviſo argumento verſamur: memores enim tenuitatis noſtræ non, ut Dominantes in Cleris, apparere affectamus, ſed ſubditi omni humanæ creaturæ propter Deum eſſe cuperemus, atque utinam datum Nobis eſſet humiliori loco conſiſtere. At verò cum neutiquam privatam noſtram, ſed Apoſtolicæ Beati Petri Sedis, in qua non immeriti ſolùm, ſed & inviti, Divino ſic diſponente Judicio, præſidemus, cauſam agamus, poſtquam diù, multùmque ſtudio pacis, & unitatis amore tacuimus, pluraque perperam adversùs ejuſdem Apoſtolicæ Sedis Jura, Dignitatemque geſta charitate Chriſti, quæ patiens eſt, & paternâ prorſùs

sùs indulgentiâ toleravimus, dum inordinato, pravoque proceſſu impunitarum tranſgreſſionum quotidiè augentur exceſſus, & crebreſcunt culpæ, quæ toleratæ ſunt ſtudio Fidei reparandæ, & amore concordiæ, ampliùs diſſimulare Nobis, aut ſilere non licet; locum nempe Unigeniti Filii Dei, ac Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, quem indigni tenemus in Terris, ultra negligere nec poſſumus, nec debemus. Videmus enim, Venerabiles Fratres (quod non ſine intimo paterni cordis noſtri mærore loqui compellimur) plurima in dies ab iis, qui ſe Catholicos profitentur, palam ſcribi minuendis, convellendiſque hujus Sanctæ Sedis juribus eâ profectò, ut minimùm dicamus, libertate, ac licentiâ, quæ non niſi eterodoxis Eccleſiæ hoſtibus gaudio, Orthodoxis verò, piiſque ſcandalo, ac luctui, nemini certè fructui, ac utilitati eſſe poſſint. Iis porrò vel ipſa quandoque nonnullorum Epiſcoporum ſcripta conſentire, nimis deploranda, Nobiſque minimè ferenda res eſt, quaſi verò eadem Apoſtolica Judicia pro ſanciendâ regulâ Fidei à Summis Pontificibus lata, quæ paucos ante annos Divinâ æquè, ac ſummâ per univerſam Eccleſiam authoritate niti, omnis Gallicana Eccleſia datis ad Prædeceſſores noſtros literis palam profeſſa eſt: modò ferè infirma debeant, ac veluti nutantia reputari, niſi ſuperveniente veſtro, paucorum ſcilicet Epiſcoporum, Judicio fulciantur. Currebatis benè, Venerabiles Fratres, & præclara Majorum veſtrorum ſequuti veſtigia ad Apoſtolicam Sedem, tamquam ad Fidei Arcem, totius diſciplinæ Metropolim, & unitatis Catholicæ centrum, quò omnium Eccleſiarum lineas collimare neceſſe eſt, ne aliò diſtortæ ruinam inveniant, & ad Beati Petri fidem nunquam deficientem, quà Hæreticorum errores peremptorio Decreto proſtrantur, fidenter non minùs, quàm humiliter confugiebatis. Quare ergo tam citò transferimini penè in aliud Evangelium, acſi Fidei Arcem, & diſciplinæ Metropolim, ut minùs tutam explorare tentetis, lineaſque veſtras non ad unitatis Catholicæ centrum deducere, ſed ipſum potiùs centrum ad lineas veſtras exigere velle videamini, ac demùm Beati Petri Fidem nunquam deficientem agnoſcere erubeſcatis? Videte quæſo, & in conſpectu Superni Paſtoris, qui Nos omnes in veritate ſuâ judicaturus eſt, ſolicitâ mente perpendite, num iſtud ſit, quod veſtri muneris, quin & honoris eſſe profitemini, & in quo Gallos ſemper potiores fuiſſe gloriamini: Sedem ſcilicet Apoſtolicam colere, an potiùs lædere: num Sanctæ Romanæ Eccleſiæ jura, honores, privilegia, & authoritatem conſervare, defendere, augere, ac promovere, quod prævio conſecrationi veſtræ Juramento pariter ſpopondiſtis, an potiùs eadem jura convellere, honores imminuere, privilegia, & authoritatem, velut in dubium revocare. Et quidem cum, ut Magnus olim fidenter ajebat Leo, præter illam Petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis eſſe nequeat ulla conſtructio, videte, Venerabiles Fratres, ne iſta porrò cauſa ſit, cur poſt tot annorum curricula nunquam in Eccleſiis veſtris pax vera fuerit, nec unquam futura ſit, niſi, ut Vos ipſi non ità pridem loquebamini, profligandis erroribus Romanæ Sedis invaleſcat authoritas, & clara, firmaque de rebus ad catholicam Fidem pertinentibus prolata ſententia caliginem omnem diſcutiat, animos fluctuantes componat, diſſidia prohibeat, Eccleſiæ tranquillitatem, ſplendoremque reſtituat. Tùm demùm unanimes id ipſum ſentietis, & non erunt in Vobis ſchiſmata, cum primæ Sedi, unde Sacerdotalis unitas exorta eſt, humili adhæſione conſentietis: tunc à ſubditis Vobis ovibus integram obedientiam exigetis, cum eam Romanæ Eccleſiæ, cui ſubjectos Vos eſſe cognoſcitis, pleno animo præſtiteritis. Maneat ergo, Venerabiles Fratres, ſuus Epiſco-

Digitized by Google

pali Ordini honor, ac dignitas, ſed quos poſuerunt Patres noſtri, terminos non excedat: Romanam Eccleſiam Eccleſiarum omnium Matrem, atque Magiſtram nulli inferiores Antiſtites judicare, aut docere præſumant, aut poſt ejus judicare Judicium: ſed quæ Romanus Pontifex (veteres Vobis Gallicanos Canones recitamus) ſecundùm ſacrum ſuum Miniſterium authoritate Apoſtolicâ decreverit, in ſummâ veneratione ab omnibus ſuſcipiantur, & debita Illi obedientia in omnibus conſervetur, & maximè ab his (ut olim Gallus Antiſtes, & quidem non ignauus Epiſcopalis amplificator Juris admonuit) qui in illis regionibus habitant, in quibus Divina gratia per ejus prædicationem omnes in Fide genuit, & catholico lacte nutrivit. Non ut confundamus Vos, hæc ſcribimus, ſed pro Paſtorali noſtrâ ſolicitudine, quam Vobis etiam debemus impendere, ut Fratres, & Filios Chariſſimos admonemus, rogamus, & obſecramus in Domino Jeſu, ne effuſâ nimis de Apoſtolicâ Sede amantiſſimâ Parente veſtrâ, unde Vobis Religionis, propitio Chriſto, fons, & origo manavit, ejuſque Conſtitutionibus, & Decretis ſcribendi, judicandive licentiâ ceteris per univerſam Dei Eccleſiam offendiculo ſitis; diſpenſatio enim Nobis credita eſt, & ad noſtrum tendit reatum, ſi contra paternarum regulas Sanctionum Beati Petri, ejuſque Sedis cauſam deſeramus: Quoniam ſi negligenter ea, quæ malè uſurpantur, omittimus, exceſſus viam aliis aperimus. Nemo ergo Vos ſeducat inanibus verbis, aut falsâ Vobis protendendæ magis autoritatis veſtræ promiſſione blandiatur. Diſcamus omnes non altum ſapere, ſed timere, cum ſcriptum ſit: *Rectorem Te poſuerunt, noli extolli*: cumque admonente Domino ſtudere debeamus, ut qui major eſt in Nobis, fiat ſicut minor, pudeat, quod qui Minores ſunt, Majori ſe æquare, quin & præferre quodammodò velle videantur. Charitatem ſectemur, ſine quâ nihil ſumus, quæ non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, & multò minus, quæ ſua non ſunt, tentare præſumit. Maneat diſpoſitio veritatis ipſo Chriſti verbo firmata, quòd etiamſi Cœlum, & Terra tranſierint, præterire non poteſt, ut ſcilicet Beatus Apoſtolus Petrus, cujus adhuc in Sede ſuâ vivit poteſtas, & excellit authoritas, & cujus etiam Dignitas in indigno Hærede non deficit, confirmare debeat Fratres ſuos, non ipſe à Fratribus confirmari. Unitatem demum Catholicæ Eccleſiæ, rejectis vanis, & inutilibus contentionibus, quæ magis quæſtionem præſtant, quàm ædificationem Dei, firmiter cuſtodiamus. Unitatem ſcilicet illam, quæ ut à Majoribus noſtris accepimus, in eo potiſſimùm ſita eſſe dignoſcitur, ut quamvis in Populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Et Apoſtolicam Benedictionem Vobis omnibus, Venerabiles Fratres, quos ſynccrâ in Chriſto charitate diligimus, quare & Vobis liberiùs ad utilitatem veſtram loquimur, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decima quintâ Januarii 1706. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

AR-

ARGUMENTUM

Epiſcopum Brugenſem laudat, quòd Apoſtolicam Conſtitutionem: Vineam Domini: *reverenter exceperit, & à populis ejus Paſtorali vigilantiæ commiſſis exactè obſervari curet.*

Venerabili Fratri, Guilielmo Epiſcopo Brugenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Confidimus Deum noſtris, & eorum votis, qui Eccleſiæ integritatem, & Catholicæ Doctrinæ puritatem diligunt, ita affuturum, ut poſt ea, quæ Nos, ipſo Authore, adversùs Janſeniani erroris reliquias editâ nuper Conſtitutione ſancivimus, nihil jam inde emerſurum ſit, quod Pontificiam Noſtram ſolicitudinem exerceat. Qui eamdem ſpem Nobiſcum fovent, & ſuſceptum conſilium Nobis gratulantur (quemadmodùm diſertè quidem facit Fraternitas Tua) hi profectò declarant habere ſe ſpiritum præclaro Antiſtite dignum, & imbutum verâ illâ charitate, quæ congaudet æquitati. Non eſt itaque, cur Te tam rectè ſentientem, & hoc fervore incenſum hortemur, ut cures eamdem Conſtitutionem noſtram apud populos Paſtorali tuæ vigilantiæ commiſſos eâ, quâ par eſt, obedientia cuſtodiri, quando advertimus Te antevertiſſe quodammodò deſiderium noſtrum, ac ſolerter caviſſe, ne Janſeniana labes latiùs ſerperet in tuâ Diœceſi, quod ideò certè contigit, quia auris zeli audit omnia, undè via præciditur peregrinis opinionibus, ne in perniciem creditarum animarum graſſentur. Interim verò, dum præclaram operam. ac diligentiam, quam muneri tuo jugiter impendis, plurimùm in Domino commendamus, ac profitemur gratum fuiſſe Nobis officium, quo apud Nos perfunctus es, Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 19. Januarii 1706. &c.

ARGUMENTUM

Locum in Tribunali Rotæ Peruſinæ à Decem-Viris illius Civitatis Civi Urbinati perpetuò aſſignatum approbat, gratumque animum ob ejuſmodi deliberationem erga præfatos Decem-Viros oſtendit.

Dilectis Filiis, Decem-Viris Noſtræ Civitatis Peruſiæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, ſalutem &c. Nedum à filiali veſtrâ erga Nos obſervantiâ, ſed à peculiari quodam deſiderio demerendi Pontificiam noſtram charitatem, tum etiam à præclaro judicio, quod de Civitate Urbini, dilectiſſimâ Patriâ noſtrâ, fovetis, in quâ ſcilicet literarum, & bonarum artium cultum vigere dignoſcitis, aut certè exiſtimatis, profectam eſſe intelligimus deliberationem per Vos habitam attribuendi perpetuò unum ex locis Auditorum iſtius veſtri Tribunalis Rotæ nuncupati alicui ex Civibus Urbini integritate, ac doctrinâ præſtanti, adjectis in hunc ſcopum veſtris ad

Nos

Nos precibus, quatenùs id, quod à Vobis conſtitutum fuerat, in poſterùm inconcuſsè ſervari authoritate noſtrâ decerneremus. Quia verò hujuſmodi preces tanto ergà Nos ſtudio, tantoque officio refertas eſſe comperimus, ut quàm enixè ad Nos delatæ fuerunt, tam alacriter à Nobis excipiendæ viderentur, ut liqueret, quanti eas faceremus, prono, gratoque animo ipſis annuimus, prout perſpectum Vobis fiet ex alio Diplomate, quod ſuper hoc expediri mandavimus. Interim verò confidere Vos volumus, quod in iis, quæ ad commodum, & ornamentum veſtrum pertinebunt, & congruè à Nobis præſtari poterunt, non deerunt Vobis teſtimonia Paternæ illius voluntatis, quam hoc etiam nomine Vobis conciliatis, Dilecti Filii, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 3. Februarii 1706. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

ARGUMENTUM

Cultum ab immemorabili tempore in Regno Portugalliæ tribui ſolitum Beatis Reginis Thereſiæ, & Sanciæ Monialibus Ordinis Ciſtercienſis Apoſtolico Diplomate comprobaſſe Regi Portugalliæ ſignificat, & cauſæ Poſtulatorem Majeſtati Suæ commendat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Petro Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Memores quanto ſtudio, & quàm enixis precibus Majeſtas Tua apud felic. record. Innocentium XII. Prædeceſſorem noſtrum egerit, ut Apoſtolicâ authoritate comprobare vellet cultum ab immemorabili tempore in iſto Regno tribui ſolitum Beatis Reginis Thereſiæ, & Sanciæ Monialibus Ordinis Ciſtercienſis claræ memoriæ Sancii Primi, dum vixit, Portugalliæ, & Algarbiorum Regis Filiabus: æquum, ac Paternæ noſtræ ergà Te benevolentiæ conſentaneum eſſe ducimus lætum exitum, ad quem hujuſmodi cauſa ritè, diùque expenſa, Deo aſpirante, per Nos demum perducta eſt, ut conſtat ex Diplomate die vigeſimâ tertiâ Decembris Anni proximè elapſi expedito, Tibi denunciare, ac impensè gratulari tam præclarum apud Eccleſiam ornamentum Regiæ tuæ, inclytæque ſtirpi acceſſiſſe. Cùm verò ipſi etiam æquitati congruat, ut qui Poſtulatoris munere in hac causâ perfunctus eſt, Dilectus Filius Religioſus Vir Bernardus de Caſtel Branco Procurator Generalis Congregationis Sanctæ Mariæ de Alcobatia ejuſdem Ordinis Ciſtercienſis, ſolertis, ac aſſiduæ operæ, quàm profectò eidem cauſæ impendit, teſtimonium à Nobis referat; hoc unum eidem ampliſſimæ commendationis loco apud Te fore confidimus, quòd partes, quas in hoc negotio ſuſceperat, omni curâ obeundo Pontificiam noſtram charitatem admodùm demeruit: quamquam nullo communiendus videatur officio, qui in re pietatem, ac Dei gloriam reſpiciente, tuiſque votis adeò expetitâ ſedulò verſatus, ſuffragium ſecum defert, quo ad Te gratus accedat, atque à Te libenter excipiatur. Majeſtati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 20. Februarii 1706. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

ARGUMENTUM

Paſtoralem vigilantiam, ac zelum Epiſcopi Agennenſis laudat; Regulam in Matrimoniis ad orthodoxam Fidem in illis partibus recèns converſorum ſervandam præſcribit; Abbatis Sebaſtiani Baſilicæ Lateranenſis Canonici, qui Capituli ſui negotia Cleraci gerebat, mores commendat; Homilias à præfato Epiſcopo in Evangelium Sancti Lucæ elucubratas typis vulgari, Pontificioque nomini inſcribi permittit.

Venerabili Fratri, Epiſcopo Agennenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Ubi multorum teſtimonio compertum Nobis non eſſet ſingularem eſſe vigilantiam, quam Fraternitas Tua Gregi ſibi credito indeſinenter impendit, conſtaret id planè ex accuratâ non minùs, quàm disertâ ſtatus iſtius Eccleſiæ deſcriptione, quam ad Nos deferri curaſti; præfert enim inſigne ſpecimen zeli, quo pro Dei honore, & animarum ſalute intimè flagras, nec parùm interim recreat ſolicitudinem, quam omnium Eccleſiarum gerere Nos oportet: quo ſtudio, atque propoſito, Te ſingula Nobis tam enucleatè explicanda ſuſcepiſſe (quæ eſt tua in Nos, atque in hanc Sanctam Sedem obſervantia) probè intelligimus. Perlectis itaquè diligenter omnibus Deo gratias egimus, qui ſpirituali Populi iſtius bono conſultum eſſe voluit, delecto ad ejus regimen Paſtore, qui aſſiduitatem in luſtrando, ſedulitatem præſtet in cuſtodiendo Grege, qui Oves ſibi commiſſas agnoſcere, & ab eis agnoſci curet, qui vocis officium ab eis deſiderari non ſinat, qui exemplo ſuo ita præſit, ut formâ Gregis ubique fieri ſatagat; & licet dolendum planè ſit ſupereſſe adhuc in iſtâ Diœceſi ingentem eorum numerum, qui priſtinum errorem nondum planè exuerint, ac abjecerint, & hæreſi (licèt per eos palàm ejuratæ) in abſcondito cordis inhæreant, ſperandum tamen eſt veritatem, Deo propitiante, de ipſis etiam acturam eſſe aliquandò triumphum, cum præſertim ſtudium, ac fervor tuus ad conciliandam eorum voluntatem numquàm ſit defuturus. Quoniam verò in regimine hujuſmodi recèns converſorum ſubdubitare ſcribis, quid factu opus ſit circa eos, qui Matrimonium inter ſeſe contrahere peroptant. Cùm enim, ut innuis, ante voluntatem nubendi ſæpè, vel raró, vel nuſquam dederint ſigna fuiſſe ſe amplexos Religionem Catholicam, tunc velle ſe illam profiteri, vel etiam cum Juramento ſpondere minimè dubitant. Addiſque quod, quamvis eorum nonnulli per annum, alii per majus temporis ſpatium probentur, ſæpè ſæpiùs accidit, ut ſuſcepto catholicè Sacramento, ſtatim à nuptiis Templum Domini, Fideique exercitia ſingula, pietatis extorres deſerant, & ad vomitum ſuum revertantur; alii nec pauci, cum vident probationem ſuæ Fidei requiri, ſponſalia ineunt, ac deindè, quaſi nexi conjugio, unà cohabitant, adeòut nec erubeſcant plures è tam fœda conjunctione ſuſcipere liberos, quorum petulantiam, & effrænem licentiam vix à Paſtoribus integerrimis coerceri poſſe dicis. Hinc dubitari à quibuſdam Epiſcopis ſignificas, utrum hujuſmodi Neotericos converſos ante ſuſceptionem Matrimonii non ſolùm ad peccatorum confeſſionem, verùm quoque ad Sacroſanctam Euchariſtiam compel-

lere oporteat, cum quidam etiam doctiſſimi unam exemologeſim requirant, veriti ſemper ſaltem aliquam ſuſpicionem ementitæ Fidei; quidam verò nec minùs periti, & confiteri, & Sacramento Altaris refici eos oportere & arbitrantur, & ab his expoſtulant. Collaudato itaque plurimùm in Domino zelo, ac prudentiâ tuâ, quâ cautè admodùm cum hujuſmodi hominibus agendum Tibi eſſe probè intelligis, hanc regulam ſervandam eſſe dicimus, & decernimus eos, de quorum ſyncerâ converſione ad Religionem Catholicam haud leviter Epiſcopi ſuſpicantur, non eſſe admittendos ad Sacramentum Matrimonii, ad quod iidem Epiſcopi pro eorum zelo, & prudentiâ, admittere tantùm debent illos, qui poſt ipſorum converſionem, ſeu abjurationem ſemper ſe, tanquam Catholicos geſſerunt; in aliis verò caſibus, in quibus pro eorum diverſitate una, eademque norma præſcribi nequit, juxtà pietatis, ac prudentiæ dictamen ſtatuendum eſſe videtur. Ceterùm Nobis gratum accidit ex iiſdem tuis literis noſſe, quòd qui Cleraci negotiis Capituli hujus noſtræ Lateranenſis Baſilicæ præeſt, Dilectus Filius Auguſtinus Sebaſtianus ejuſdem Baſilicæ Canonicus, morum integritatem, quâ ſanè præſtat, ita exhibeat, ut ſi qui ibi à Romanorum Fide, nomine, & inſtitutis abhorrent, cujuſmodi non paucos reperiri in eâ Civitate ſuſpicaris, non facilè in eo invenire poſſint, quod jure carpant, & ſanè vir eſt perſpectæ probitatis, nec non Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac Sacerdotalis gradus, & decoris diligens cuſtos, Nobiſque non uno nomine acceptus. Quod autem quæris, utrum probetur Nobis conſilium, quod animo verſas, edendi Homilias, quas multas in Evangelium Sancti Lucæ elucubraſti, Nos quoniam opus à Te confectum profuturum admodùm eſſe credimus ad erudiendos, & incendendos in ſtudiis pietatis, & Sacrarum literarum Fideles, ut illud publici juris facias, Te hortamur, nec tamen obſiſtimus, quominùs noſtro illud nomini, quando ita cupere dicis, inſcribas. Inofficioſum enim Nobis videtur tanto tuo in Nos ſtudio ullo modo obverſari, cum imò optemus omnimodâ charitate Tibi reſpondere, ac propter eà parati ſumus præcipua ejuſdem charitatis argumenta, quoties occaſio tulerit, Tibi reddere, ac nihil unquam prætermittere, quod in Tui, & Eccleſiæ, cui tantâ laude præes, ornamentum authoritate noſtrâ præſtare valeamus; & Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ tertiâ Februarii 1706. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

ARGUMENTUM

De Actis in Conventu Cleri Gallicani Pariſiis habito quoad Apoſtolicam Conſtitutionem: Vineam Domini Sabaoth: *cum Rege Chriſtianiſſimo vehementer expoſtulat, ac ad eorum emendationem curandam, Regiam æquitatem, & zelum excitat.*

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Quæ ſub nomine poſtremi Conventus Cleri Gallicani Typis vulgata ſunt, ſi nihil addidiſſent ad ea, quæ aliquot ante annos in hujus Apoſtolicæ Sedis offenſionem acta fuere, rem fortè hanc, & ſi ſatis per ſe odioſam, & ſanè parùm excuſabilem, diſſimulare tamen potuiſſemus, illius exemplum imitati, qui ajebat cum his qui oderant pacem, eram pacificus. Verùm cum in negotio editæ à Nobis, Majeſtate etiam Tuâ rogante, ad eliminandas Janſeniani erroris reliquias Conſtitutionis ita egerimus, ut nihil in eâ occurreret, quod vel delicatioribus Gallicanorum uſuum zelatoribus diſplicere meritò poſſet, nihil æquius profectò expectare Nos poſſe putabamus, quàm ut in Cleri Comitiis pari ſaltem cautione, ac moderatione erga hanc Sanctam Sedem ageretur, eò præſertim tempore, quo majore opus erat tum inter Caput, & membra, tum inter Sacerdotium, & Imperium concordia. Quamvis autem minimè dubitemus eam revera fuiſſe omnium, aut plerorumque ſaltem, qui aderant, Epiſcoporum mentem, Majeſtate Tuâ idipſum certè intendente, tamen neceſſe eſt obreptum illis fuiſſe quorundam callidorum hominum molitionibus, qui hanc utriuſque poteſtatis concordiam exitio ſibi eſſe dudum experti, ad eam quoquo modo labefactandam zizaniorum ſemina de more ſpargere clanculum ſtuduerunt. Quod utique nimium illis è ſententia ceſſit, namquæ hactenus ex hujuſce Conventus actis prodiere, perinde constructa eſſe videntur, ac ſi non tam de recipienda præfatâ Conſtitutione noſtrâ, quàm de Sedis Apoſtolicæ authoritate circumſcribenda, vel potiùs elidenda cogitatum eſſet. Neque verò hìc de eâ ſolùm causâ agimus, quam nonnulli propriam, ac veluti privatam hujus Sanctæ Sedis eſſe volunt (quamquam vix ulla Romanæ Sedis cauſa peculiaris eſſe poſſit, quæ non ſtatim ad univerſam Eccleſiam, cujus illa Caput, Mater, & Magiſtra eſt, pertinere dicenda ſit) ſed uſurpatam nuper doctrinarum novitatem inſectamur, brevi, niſi reprimatur, proceſſuram, uſque ad integram Conſtitutionum Apoſtolicarum, ipſiuſque adeò Catholicæ Fidei ſubverſionem, ad Regiarum Majeſtatis Tuæ Sanctionum eluſionem, ad Janſeniſmi pariter, & Quietiſmi, imò, & cujuſcumque poſthac hæreſis impunitatem, atque triumphum; Quæ quidem omnia, quoniam Majeſtati Tuæ diſſimulata fuiſſe intelligimus, ne à Nobis per quamdam exaggerationem dicta eſſe videantur, ea Dilecto Filio Noſtro Tuſſano S. R. E. Cardinali Janſonio Nobis hac de re paucis ante ejus ab Urbe diſceſſum diebus differenti pluribus confirmavimus, & per Venerabilem Fratrem Auguſtinum Archiepiſcopum Amaſienſem Nuncium apud Te Noſtrum Ma-

jeſtati Tuæ tum voce, tum etiam ſcripto pro rei gravitate uberius modò explicari mandavimus, ut planè intelligas, quàm longè à veteri, probatâque Gallicanæ Ecclesiæ doctrinâ, atque ab ipsa agendi ratione, quam in excipiendis, debitâque obedientia exequendis Innocentii Decimi, & Alexandri Septimi Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus ipſimet Galliæ Antiſtites iniere, poſtremus Cætus iſte diſceſſerit. Quamobrèm abſque Paſtoralis Muneris noſtri negligentiâ omittere diutiùs non potuimus, quin eas, quas dudum de perperam in eodem Cætu aſſertis, actiſque conceperamus, querelas ad Venerabiles Fratres Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiaſticos Viros, qui inibi tunc congregati fuerunt, deferri curaremus, eoſdem Apoſtolicâ authoritate, quam, Deo Authore, licèt indigni, gerimus, & eo adjuvante, ad ultimum uſque vitæ ſpiritum conſtantiſſimè ſuſtinebimus, ſedulò admonentes, ut traditâ ſibi in Eccleſiâ ſolicitudinis parte contenti, plenitudinem poteſtatis huic uni Beati Petri Cathedræ divinitùs attributam uſurpare non audeant, & ejuſdem de Catholica Fide Decreta venerari, & exequi diſcant, non diſcutere, aut judicare præſumant. Ceterùm in hac expoſtulandi neceſſitate, cui Nos nonniſi coactos cedere debuiſſe facile ex ipsâ diuturni temporis morâ intelliget Majeſtas Tua, hoc Nobis ſolatio eſt, quòd ſciamus hujuſmodi querelas noſtras in aliquos dumtaxat, nequaquam verò in univerſum Gallicani Cleri Corpus recidere. Nam præter quàm quòd plures Regni Provinciæ, ſicut Nobis innotuit, ſuis ad Comitia Delegatis nullam dè rebus dogmaticis decernendi poteſtatem fecerant, nullumque Procuratores abſentium Epiſcoporum, qui magno ſatis numero erant, ſuper hiſce rebus ſuffragium tulerant, publicâ inſuper, conſtantique famâ percepimus clari nominis Epiſcopos non defuiſſe, qui magnoperè obſtiterunt, ne in Acta referrentur ea, quæ perniciosam novitatem continere, adeòque meritò Nobis ingrata fore ſatis ſuperque dignoſcebant. Quemadmodum igitur illa omnia, quæ minùs legitimè, & contra veterem, ſanamque, atque etiam in Gallia cuſtoditam Majorum doctrinam geſta ſunt, & nonniſi Janſenianæ, ceterarumque hæreſum novitatibus in tuto ponendis proficere poſſunt, datis ad eoſdem Epiſcopos literis reprobavimus, ita ea meliori illorum conſilio, & Majeſtatis Tuæ potiſſimùm, quæ tantam in inſectandis erroribus, Eccleſiæque pace reſtituenda ſibi laudem promeruit, zelo emendanda prorsùs fore confidimus, neque enim noſtram, dum antiquos cuſtodiri terminos volumus, ſed Fidei, & Eccleſiæ, quin, & ipſius Regni tui cauſam agimus. Reliqua ſuper hoc argumento accipies à præfato Nuncio noſtro, Tibique, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Februarii 1706. &c.

ARGUMENTUM

Primarias Preces Imperiales, ſecluſo Indulto Apoſtolico, ubique rejiciendas eſſe luculenter oſtendit. Eas inſuper nequaquàm admitti debere in Beneficiis, quorum collatio ad Summum Pontificem ſpectat, perſpicuè demonſtrat. Capitulum tandem, & Canonicos Hildeſienſis Eccleſiæ, ut in poſſeſſionem Canonicatus ejuſdem Eccleſiæ inducant Proviſum Apoſtolicum, repulſo Preciſta Imperiali, graviter admonet, ac hortatur.

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Hildeſienſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. A' Venerabili Fratre Julio Archiepiſcopo Rhodienſi noſtro ad tractum Rheni Nuncio agnoviſſe Vos arbitramur nullum penès Cæſaream Majeſtatem reſidere jus dirigendi Preces Primarias, eòque minùs ſub comminatione pœnarum, quarum vi precum poſſint commendati Beneficium primò vacaturum, aut quod eis magis libuerit in qualibet iſtarum partium Eccleſiâ aſſequi; cum tamen nihil tam à jure, & à canonicis Sanctionibus abhorreat, quàm laicæ Poteſtati fas eſſe Eccleſiæ Præſules, vel illos, ad quos pertinet, incuſſo pœnarum timore, ad conferendas taliter à ſe Commendatis Eccleſiaſticas Præbendas, aut alia Sacerdotia compellere. Quod ſanè aſſertum jus, niſi fortè Apoſtolicâ authoritate ſit fultum, ut nullibi locum habere poteſt, ita peculiari quadam ratione obtinere nequit in Germaniæ partibus ob nota ſatis Concordata inter fel. record. Nicolaum Quintum Pontificem Prædeceſſorem noſtrum, & claræ memoriæ Fridericum Tertium Imperatorem, inclytamque iſtam Nationem ſolemniter inita, in quibus nihil tam accuratè ſancitum eſt, quàm ne libertas electionum, & collationum in menſibus tam aſſignatis Capitulis, ac Ordinariis Collatoribus, quàm ipſi Pontifici, ejuſque Succeſſoribus reſervatis, ullo unquam tempore lædatur, nullâ tamen ibi aſſertorum Imperialium jurium mentione factâ, aut ratione habitâ, cùm alioquin ſatis manifeſtum ſit electionum, aut collationum libertatem cum Primariis Precibus, quæ eam prorsùs evertunt, conſiſtere non poſſe. Quòd ſi idem Fridericus, & qui eum ſubindè conſecuti ſunt, Imperatores ante tempora claræ item memoriæ Leopoldi nuper defuncti Primarias Preces direxerunt, id contigiſſe conſtat, quia illi omnes poſt ſui confirmationem à Romano Pontifice obtentam, muniri Apoſtolico Indulto curarunt: quo quidem Indulto, quoniam deſtitutus erat idem Leopoldus, factum eſt, ut Primarias Preces, à quibus ipſe non abſtinuit, admittere, & executioni demandare Epiſcoporum, ac Præſulum, nec non Capitulorum Germaniæ, non exigua, neque contemnenda pars, libertatis hujuſmodi memor, & acerrima cuſtos detrectaverit. Quæ cum ita ſint, Dilecti Filii, commoveri nullo modo debetis, ſi quibus fortè minacibus mandatis, aliiſque nonnullorum operâ excogitatis, propoſitiſque ad extorquendum aſſenſum veſtrum mediis perſentiatis Vos urgeri ad exequendas ſimiles preces Vobis directas, quatenùs is, qui per eas commendatur, obtineat, adhærentibus Vobis, Canonicatum iſtius Eccleſiæ, cujus vacatio per obitum quondam Ferdinandi Vvilhel-

mi in menſe Nobis vigore eorumdem Concordatorum reſervato contigiſſe dignoſcitur. Neque hìc opus eſſe credimus Vobis commemorare, quàm Vos deceat talem animum hac occaſione præferre, qualem in aſſerendâ Canonicarum Electionum libertate multi præſtantes Eccleſiæ Viri, ac Præſules magnâ ſui nominis laude præbuere. Inſuper quàm præſtet in hujuſmodi caſibus vim potiùs perpeti, quàm reclamante conſcientiâ quidquam, veluti ſpontè, admittere, cum certè ſatiùs ſit præbendam, vobis invitis, vi occupari (quod tamen metuendum modò non videtur) quàm per electionem, aut collationem, utcumque nulliter factam, ſpeciem quandam ultronei aſſenſus præbere, cum intruſio commendati juribus Eccleſiæ veſtræ in poſterùm minimè obeſſe queat, non parùm autem ea lædere poſſit, ſi quæ à Vobis ejuſdem Perſonæ facta videatur electio, à quâ non levia ſcandala orirentur, præſertim verò ob deterrimum exemplum, quod aliis ſimilia admittendi his, & futuris temporibus proponeretur. Accedit periculum, quod vi hujuſmodi precum perperam electus incurreret, non faciendi fructus ſuos, ac irritandi omnes actus capitulares, ac propterea, adveniente caſu, ipſius etiam Epiſcopi electionem, quibus ipſe intereſſet, ac ſuffragaretur. Sed ubi hæc non ſanè prætereunda omitterentur, quis Veſtrum non intelligit electionem, quam commendatus, ſeu (ut vocant) Preciſta de ſe fieri à Vobis poſtulat, eſſe hujuſmodi, ut facultatis veſtræ terminos quàm longè excedat, præterquam Sacrorum Canonum, ac Concordatorum diſpoſitioni adverſatur, ipſarum quoque Imperialium Precum (ſi hæ attendi deberent, quæ ſecluſo Apoſtolico Indulto non debent) tenorem omninò prætergreditur. Harum enim Precum ſerie à Vobis exquiritur, ut Præbendam primò vacaturam, cujus diſpoſitio ad Vos pertineat, ipſi commendato conferatis verùm cum ejus, de quâ agitur, diſpoſitio ob vacationem in menſe Nobis reſervato ſequutam ad Nos manifeſtè ſpectet, palàm eſt non licere Vobis aliena Jura, noſtra verò præſertim, attingere, neque huc referri poſſe preces Imperiali Diplomate contentas. Seriò itaque perpendite, quibus finibus poteſtas veſtra coerceatur, ac fruſtra interim apud Vos contendant, qui ingerere Vobis curant lædendi Cæſaris metum, quo adigi non poſſunt Eccleſiæ Viri ad deferendam Juſtitiam, & ad prodendam veritatem; neque enim id à Vobis poſtulat, quâ eſt æquitate, Chariſſimus in Chriſto Filius Noſter Joſephus in Romanorum Imperatorem Electus. In primis autem cavete, ne quid attentetis adverſùs oblatas Vobis Apoſtolicæ Proviſionis literas, quas favore Dilecti Filii Hugonis Franciſci de Furſtemberg expediri mandavimus, ne videamini velle noſtra, & Apoſtolicæ Sedis jura aggredi, quod quidem Vobis Eccleſiæ pœnis longè gravioribus redderet obnoxios; ſed aliter prorſùs de perſpectâ Nobis pietate veſtrâ ſentimus, imò Vos curaturos eſſe confidimus Pontificiam Vobis charitatem ampliori adhuc magis filialis veſtri ſtudii ſignificatione demereri. Apoſtolicam interim Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ſextâ Martii 1706. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

AR-

ARGUMENTUM

Duci Mantuæ, cujus Ditio ab exundatione Padi graviter afflicta fuerat, ſubſidium roganti Apoſtolici Ærarii anguſtias, eamdemque calamitatem, quàm Pontificii etiam Subditi perſenſerant, excuſat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Ferdinando Carolo Duci Mantuæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Non parùm ſanè moleſtiæ, curarumque contraximus audito, quòd exundantibus non ita pridem tum Padi, tum fluminum in ipſum influentium aquis locorum, atque terrarum hinc inde adjacentium pars magna ingenti cum incolarum damno, atque pernicie, nec ſine aliquorum interitu demerſa ſit. Hanc calamitatem, multis quidem finitimorum Principum communem, Nobilitatis Tuæ Ditionem graviter perſenſiſſe impensè dolemus, non tantùm Paternæ charitatis officio, ſed ob peculiarem quandam animi noſtri erga Te propenſionem, hoc etiam nomine auctam, quòd Te de parandâ tuis Populis ope, ut res ipſa poſtulat, & quemadmodùm Nos ipſi noſtris præſtare curavimus, magnoperè ſolicitum eſſe conſpicimus. Quo fit, ut grave Nobis ſit, quod nequeamus Tibi, ſicut expetis, adeſſe. Cum enim à tanto infortunio Eccleſiaſtica Ditio immunis profectò non fuerit, ut adhuc videre eſt in tantâ parte Agri Ferrarienſis, in quam Padus influxit, itaut ipſa Civitas propè periclitata ſit, dolemus eſſe eo loco res noſtras, ut nec Ærarii viribus admodùm in præſens exhauſtis, nec operâ, atque laboribus Subditorum, qui omninò ferendis poſt tot mala novis oneribus impares ſunt, præſidium Tibi ferre valeamus. Nec ambigimus, quin pro ſpectatâ tuâ prudentiâ intelligas modum, non animum Nobis deeſſe annuendi petitionibus Nobilitatis Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ſextâ Martii 1706. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

ARGUMENTUM

Animi moleſtiam, quam ex triſti Regis Poloniæ eventu perceperat, Majeſtati Suæ explicat, ejuſque rationes ſibi maximè cordi eſſe oſtendit. Ipſum deindè paternè hortatur, ut Divinam rebus ſuis opem propitiare contendat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dalla condotta, che abbiamo tenuta verſo la M.V., e dalla parte, che ſempre abbiamo preſa ne' ſuoi Reali intereſſi, può ben Ella comprendere quale ſia ſtato, e ſia il noſtro cordoglio per l'infelice ſucceſſo

ulti-

ultimamente arrivatole. Dall'eſſere altresì Noi prontamente condeſceſi à tutto ciò, che la M. V. in queſta doloroſa contingenza hà da Noi ſaputo bramare per ſuo ſollievo, come meglio ſentirà dal ſuo Miniſtro, può ſimilmente Ella argomentare, qual' ſia la coſtanza del noſtro Paterno amore verſo di Lei. E'ben vero, che *niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam*. Noi non laſciamo, nè laſciaremo di raccommandare vivamente à Dio la Perſona, e il Regno della M. V. Il grado però, in cui ſenz'alcun noſtro merito S. D. Maeſtà ci hà collocati, ci obliga à dirle eſſere neceſſario, che ancor Ella dal canto ſuo procuri di conciliarſi la Divina aſſiſtenza, ſpecialmente co' quei modi, che tante volte gl'abbiamo fatto inſinuare dal noſtro Nunzio. Ravviſi la M. V. in queſte noſtre cordiali eſpreſſioni una nuova teſtimonianza di quel'ſincero affetto, col'quale, pregandole da Dio ogni più fortunato avvenimento, le diamo l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 6. Aprilis 1706. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

ARGUMENTUM

Eccleſiaſticæ Immunitatis tutelam ſummoperè commendat Adminiſtratori Eccleſiæ Uratislavienſis occaſione novi Vectigalis: Aviſa: *nuncupati in Provincia Sileſiæ inducti, per quod eadem Immunitas lædebatur.*

Dilecto Filio, Nobili Viro, Franciſco Ludovico Comiti Palatino Rheni, Adminiſtratori Eccleſiæ Uratislavienſis, Ordinis Teuthonici Magno Magiſtro.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Non eſt ambigendum, quin ſummoperè lædatur, ac vulneretur libertas, & exemptio Eccleſiaſticis Perſonis omni jure debita, ſi locum habeat novum Vectigal, quod ſub nomine Aviſarum in Provincia Sileſiæ non itam pridem inductum fuiſſe dicitur ſuper victualibus, quæ ibi publicè veneunt; cum enim res hujuſmodi in communi, & neceſſario hominum commercio verſentur, neque iis certè carere poſſint, qui ſunt de Clero tum Seculari, tum Regulari, hi, quoties ſub hac lege contractus inire deberent, ad pendendum idem vectigal non ſecus, ac Laici, adigerentur. Intelliget propterea Nobilitas Tua, quàm tui muneris, tuæque authoritatis interſit omni ſtudio cavere, ne gravamini hujuſmodi Clerici Eccleſiæ Uratislavienſis, quorum jura inconcuſsè aſſerenda Tibi ſunt, ſupponantur; hoc enim in primis de Te ſibi polliceri debent, qui Tibi ſubſunt, ut eorum cauſam, ubi res poſtulat, in Te ſuſcipias, & tamquam tuam validè tuearis; neque ullâ umquam certè hac ipſa æquior occurrere Tibi poteſt. Nos autem pro Paſtoralis Officii noſtri debito ſolliciti, ne Clerici à ſuis juribus, ac privilegiis cadant, enixè Te hortamur, ut nihil hac occaſione prætermittas, quò eos indemnes præſtes, quod in magnam tuæ virtutis, ac zeli laudem vertetur, ac Deo erit, ut confidimus, in primis acceptum. Interim verò benevolentiæ, qua Te proſequimur, ſolidum pignus Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ Aprilis 1705. &c.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

Zelum Electoris Palatini laudat, quòd Capitulum Vvormatienſe adducere curet ad præſtandam Mandatis Apoſtolicis debitam obedientiam, eique media quædam proponit ad rem ex æquo tranſigendam.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Commendat ſummoperè eximiam pietatem, & Filialem erga Nos, atque hanc S. Sedem Nobilitatis Tuæ obſervantiam fervens ille zelus, quo apud Nos agis pro expediendo graviſſimo negotio Capituli Vvormatienſis, nec ambigere debes, quin tuo deſiderio ſolicitudo noſtra reſpondeat; nihil enim tam cupimus, quàm ut Capitulares illi, qui contumaciam ſuam, denegatâ literis Apoſtolicis executione, toto jam anno protrahunt, theſaurizantes ſibi iram in die iræ, vinculis conſcientiæ, quibus magno totius Eccleſiæ ſcandalo alligati ſunt, exolvantur, nullo interim, ut par eſt, Pontificiæ Dignitatis, atque authoritatis diſpendio. Et quamvis eò loci res per eos ſit adducta, ut obices, qui ſe ultrò implicarunt, per ſe ipſi removere, exitumque, præſtitâ demùm Apoſtolicis Mandatis debitâ, reverentiâ nanciſci debeant, tuis tamen tam ſedulis officiis, noſtrâque in primis charitate excitati, non gravati ſumus media quædam ob oculos Tibi ponere, quibus inde pedem, quo intulerunt, congruè, ſi velint, referre poſſint, eademque media ad Te per Dilectum Filium Comitem Antonium Mariam de Fide tranſmitti curavimus. Quod itaque opus tam laudabiliter pro ſpirituali ipſorum ſalute, nec non intuitu noſtræ authoritatis reparandæ es aggreſſus, perficere cura, & ſatage; ſi quid verò ad illud abſolvendum Venerabilis Fratris Julii Archiepiſcopi Rhodienſis noſtri ad tractum Rheni Nuncii opera conferre poterit, eam Tibi non defuturam pro certo habe. Benevolentiæ interim noſtræ, quàm Tibi ſemper amplioribus egregiæ tuæ in Nos voluntatis documentis conciliare non prætermittis, perpetuum pignus Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 17. Aprilis 1706. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Epiſcopi Carnutenſis pietatem, & zelum laudat, quòd Pontificiæ Conſtitutionis: Vineam Domini: *integram, exactamque obſervantiam ſpoponderit, ac eum, ut filiale ſuum in Apoſtolicam Sedem ſtudium conſtanter tueri pergat, hortatur.*

Venerabili Fratri, Paulo Epiſcopo Carnutenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Perlatæ ad Nos ſunt Fraternitatis Tuæ literæ, quibus de Apoſtolicâ adversùs Janſeniani Dogmatis reliquias Conſtitutione Nobis es gratulatus. Quod quidem & jucundum Nobis admodùm, & novum perſpectæ aliàs in hanc Sanctam Sedem obſervantiæ tuæ argumentum fuit. Nec porrò mirati ſumus eximiæ virtutis Antiſtitem, ac pro tuendâ ſanâ doctrinâ ſtrenuè adlaborantem, qualem Te eſſe ſatis comperimus, adeò gaviſum eſſe, quòd prava docentium machinæ Beati Petri, cujus Cathedræ immeriti præſidemus, gladio contritæ ſint. Ejuſdem verò Conſtitutionis noſtræ integram, exactamque obſervantiam, quam tuo, Tibique crediti Gregis nomine, quovè Religioſum, ac verè Catholicum Epiſcopum decet, obſequio polliceris, unicam planè viam eſſe cenſemus ad pernicioſos errores, profanaſque vocum novitates prorsùs ab Eccleſiâ eliminandas. Vetus enim Eccleſiæ mos eſt, quemadmodum à Majoribus noſtris traditum non ignoras, ut univerſitas Credentium ab hac Sanctâ Romanâ Eccleſia, quæ Caput eſt omnium Eccleſiarum, doctrinam exquirat, & integritatem Fidei depoſcat. Itaque ſapienter, ac pro egregio ſuo cuſtodiendarum Eccleſiæ Legum ſtudio fecit Fraternitas Tua, dum catholicæ prædicationis ſuæ non ſuper arenam, ſed ſuper Petram fundamenta conſtituit, ſuper quam ſcilicet totius Eccleſiæ ſtructura conſurgit, nec eſt, quod ab ejuſdem Eccleſiæ hoſtium aut apertis erroribus, aut occultis fraudibus pertimeſcas, dum Sedis Apoſtolorum Principis fueris authoritate ſuffultus, à quâ, ut Sanctiſſimi Prædeceſſoris noſtri verba uſurpemus, *convicta, atque expugnata ſunt omnium Hæreticorum commenta, & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenùs nec defecit, neque in finem deficiet, ſunt confirmata.* Nos verò, qui & præclaras virtutes tuas magni facimus, & Fraternitatem Tuam peculiari in Domino charitate complectimur, nullam profectò occaſionem prætermiſſuri ſumus, quâ & Dignitati, commodiſque tuis prodeſſe, & Paternam noſtram erga Te benevolentiam uberiùs declarare poſſimus, cujus intereà pignus Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ Aprilis 1706. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

ARGUMENTUM

Regem Catholicum, quòd expeditionem Miſſionariorum ad novas Inſulas in Oceano Sinico detectas liberali manu provexerit, dignis ornat laudibus, & à Majeſtate Suâ nonnulla poſtulat favore Provinciæ Societatis Jeſu in Inſulis Philippinis.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Commendavimus anno elapſo per noſtras literas Majeſtati Tuę Dilectum Filium Religioſum Virum Andream Serranum è Societate Jeſu, qui tùm quidem ad Philippinas Inſulas, undè non ita pridem in Europam tranſmiſerat, reverſurus, ſtatuit Te priùs adire, ut quod pro Fidei propagatione curandum ſuſceperat, negotium expeditionis ad novas Inſulas Oceani Sinici non multò ante Incolarum quorundam relatu cognitas, ſuis precibus apud Te promoveret. Omni proinde ſolicitudine Te hortati ſumus, ut pro perſpectâ animi tui magnitudine, ac religione complecti velles tantum opus, quod ad multarum animarum lucrum manifeſtè pertinebat. Quàm verò probè, ac liberaliter officia noſtra per eum delata à Te excepta fuerint, idem Religioſus Vir ad Comitia Generalia ſuæ Societatis iſthinc Romam ſubindè evocatus disertè Nobis teſtatus eſt; ait enim Te navigia, & commeatum, ac demùm omnia, quibus ad ornandam hujuſmodi profectionem opus erat, Miſſionariis eò navigaturis ſuppeditari ſtatim mandaſſe. Quibus omnibus perpenſis facere non poſſumus, quin per illum ipſum iſthuc reducem gratulemur Tibi, Chariſſime Fili Noſter, tam illuſtre propoſitum proferendi Chriſti Nomen, & Fidem ad exteras, eaſdemque remotiſſimas Orbis partes, & quin Tibi polliceamur tùm ſanè omnimodam benevolentiam noſtram, tùm verò cæleſtem benedictionem, atque mercedem, quæ nunquam deeſt his, qui pro Divinæ gloriæ incremento, & Evangelicæ veritatis dilatatione vero zelo incenduntur. Quin imò cum ad Tui ipſius commendationem referendam eſſe intelligamus pietatem, ac vigilantiam eorum, quorum operâ in Regnorum tuorum adminiſtratione uteris, par eſt, ut hac occaſione inter ceteros commemoremus, debitâque laude proſequamur Dilectum Filium Nobilem Virum Ducem ab Atriſco Comitem de Montezuma Præſidem Conſilii Indici, qui quemadmodùm juvandæ in Indiis rei Chriſtianæ magnâ ſedulitate, ut audivimus, ſemper incumbit, jugiter curans, alios, atque alios in dies Operarios in utramque Americam, & ad memoratas Philippinas mitti, ita hujus, quam modò diximus, novæ expeditionis ineundæ, accelerandæque diligens ſuaſor eſſe dicitur, ſi tamen Tibi propagationis Sanctæ Fidei ultrò cupido, opus eſt ſtimulis, quando tam alacriter Paternæ noſtræ charitati, ac ſolicitudini adhærere, ac propè occurrere voluiſti. Quâ ratione confidimus Te effecturum pariter eſſe, ut quæ modò idem Religioſus Vir Provinciæ ſuæ nomine iſthic expetere debet, tuâ authoritate perficiantur, itaut per Te auctus iis gratiis, quæ aliis Communitatibus Indiarum concedi ſolent, tanquam re probè confectâ tantum iter, Deo propitio, quantociùs ingredi poſſit. Majeſtati interim Tuæ, quam ſoſpitem diù eſſe cupimus, Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 30. Aprilis 1706. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

AR-

ARGUMENTUM

Cæſaris opem,& authoritatem implorat Adminiſtro Apoſtolico apud Majeſtatem Suam reſidenti,ut Religioſos Viros diverſorum Ordinum in Civitate Viennenſi extra Clauſtra verſantes ad repetenda Claſtra juxta Pontificium Mandatum adigere poſſit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Novit pro ſpectatâ ſuâ prudentiâ Majeſtas Tua, quàm interſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ut qui regularem vitam profitentur, regularem obſervantiam ubique locorum inconcuſsè cuſtodiant, atque ab eis præſertim abſtineant, quæ fidelis populi oculos palàm lædere poſſint, cujuſmodi eſt profectò eorum commoratio, atque vagatio extra Clauſtra, quæ vix ſine ſpirituali ipſorum periculo, ſine gravi Fidelium offenſione, ac ſine contemptu nominis religioſi contingere poteſt. Quapropter moleſtum Nobis fuit audire, quòd nonnulli diverſorum Ordinum Religioſi Viri, qui antecactis annis in iſtam Civitatem ſe receperunt, licere ſibi putent vivere extrà Monaſteria ſui Ordinis, & cum Laicis, & apud Laicos aſſiduè, ac fortè etiam cum ſcandalo, verſari quæſito colore, quòd locus ipſis, tanquam exteris, facilè non ſuppetat in Religioſis Domibus iſtius Civitatis, quæ ſuos alere, atque hoſpitari vix poſſunt. Soliciti itaque pro Paſtorali noſtro Munere occurrere huic malo, expreſsè injungimus Dilecto Filio Marco Antonio Santino, ut accuratè det operam, quatenùs hujuſmodi ſcandalum de medio tollatur, agatque ſedulo cum iis, ad quos pertinet, ut iidem Religioſi Viri eâ, quâ decet, charitate vel iſthic, vel alibi per finitimas Provincias à Superioribus Ordinum excipiantur. Cùm verò optimè intelligamus opus eidem fore ad id perficiendum tuâ authoritate, magnoperè à Te petimus, ut præſidium tuum in re ad bonum Eccleſiæ regimen adeò pertinente ab eo deſiderari non patiaris, quod facilè ab eximiâ tuâ pietate obtinere poſſe confidimus, dum viciſſim parati ſumus propenſæ noſtræ erga Te voluntatis argumenta, pro occaſionum eventu, præbere Majeſtati Tuæ, cui auſpicem bonorum omnium Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſimâ ſecundâ Maii 1706. &c.

ARGUMENTUM

Duciſſam Bavariæ de Liberorum ſuorum ſalute, ſtatu, ac ſorte ſolicitam conſolatur, eorumque libertatem omni ſtudio ſe curaturum pollicetur.

Dilectæ in Chriſto Filiæ, Nobili Mulieri, Thereſiæ Duciſſæ Bavariæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecta Filia, Nobilis Mulier, ſalutem &c. Etſi arduum planè ſit animis non cadere in tanta adverſitate, quanta ea eſt, quam modò patitur Nobilitas Tua, conſtantiam tamen illam, quâ nunc maximè opus eſt humanis viribus ægrè parandam ſola inducere poteſt Chriſtiana pietas, ſi mens inter mala, quæ perfert, ad Deum erecta ſupremæ ipſius voluntati conformari, & obſequi ſatagat, ac ſiniſtros caſus ad lucrum, cumulumque meritorum adhibeat. Quæ non ita dicimus, ut Te in præſenti, gravi utique rerum tuarum perturbatione, curarum omninò expertem eſſe velimus; Quis enim hoc à Matre de Liberorum ſuorum ſalute, ſtatu, ac forte ſolicitâ jure depoſcat? ſed ut ſolatium, quod procul dubio dies eſt allatura, veluti in anteceſſum prælibes, jacta in Patrem totius conſolationis curam tuam, ac omnipotenti ipſius ope fulgura in pluviam fore confidas. Atque hic omittimus intimum dolorem, quo Nos ipſi propterea affecti ſumus, multis commemorare, cum potiùs ad Paternam noſtram charitatem pertinere arbitremur cogitationes noſtras convertere ad exquirenda huic malo remedia. ſi quæ tamen, ut res modò ſunt, à Nobis afferri poterunt. quo in genere non modo probamus, ſed grata prorsùs habuiſſe profitemur officia à Venerabili Fratre Auguſtino Archiepiſcopo Amaſiæ Nuncio iſthic noſtro in hac causâ interpoſita, ac interim non remiſſiùs certè acturi ſumus per Adminiſtrum noſtrum apud Aulam Cæſaream, præcupidi, ut fructum, qualem res poſtulat, & vota noſtra anxiè opperiuntur, aſſequi ad tui commodum Nobis contingat. Rependi interim Tibi hanc ægritudinem lætis rerum eventibus optantes, ac à Domino enixè expetentes, Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 17. Junii 1706. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Ut novam reprobati Codicis Leopoldi editionem adornet juxta modum, qui à Sanctitate ſua in hoc Brevi præſcribitur, omnemque ulteriorum querelarum materiam arceat, Lotharingiæ Ducem hortatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Leopoldo Lotharingiæ, & Barri Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Quam pro reparandis Eccleſiæ juribus & pridem per Ablegatos tuos, & nuper datis etiam ad Nos literis obſtuliſti, novi Codicis editio, quo nihil prorsùs de iis, quæ ad Eccleſiam ſpectant, ſtatuatur, ſed ea tantùm, quæ ad Sæculare Dominium, & regimen pertinent, præſcribantur, pergrata quidem futura Nobis eſt, & luculentum eximiæ pietatis tuæ univerſo Catholico orbi teſtimonium præbitura. Verùm ut tota res debito fine concludatur, ac integra Nobilitati Tuæ gloria de ſervata Eccleſiæ libertate, ac dignitate permaneat, neceſſarium omninò eſſe duximus, iiſdemque Ablegatis tuis jam à pluribus menſibus ſignificari mandavimus, ut expreſſa, & omnimoda veteris per Nos reprobati Codicis Leopoldi, nec non editarum ſubinde Ordinationum, quas additionales, ſeu ampliativas vocant, abrogatio eodem novo Codice contineatur. Ad hæc literæ illæ, ſeu folia, quibus Nobilitatis Tuæ nomine Brevium noſtrorum adversùs eundem Codicem, Actumque appellationis Procuratoris Generalis Curiæ tuæ publicatio in Ditionibus tuis interdicta fuerat, prorsùs aboleantur: omnia demùm Edicta, atque Decreta ſive tuo, ſive ejuſdem Curiæ tuæ nomine adversùs Eccleſiæ jura, libertatem, & juriſdictionem hactenùs quomodocumque edita, quæve aliàs Sacrorum Canonum, Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Sacri potiſſimùm Concilii Tridentini Sanctionibus repugnent, penitus revocentur, ac de medio tollantur. Hæc porrò omnia quemadmodum abs Te expetere, ac requirere Paſtoralis Nos debiti noſtri neceſſitas ipſa compellit, ita quamprimùm à Te explenda, atque ut pium, ac verè Catholicum Principem decet, æquo animo exequenda fore præclara, Nobiſque comperta Nobilitatis Tuæ pietas, zelus, atque religio pollicentur. Eâ verò re nihil Animæ tuæ ſaluti conſultius, nihil Eccleſiæ dignitati æquius, nihil denique Nobis, qui Te ſyncero corde diligimus, tuamque, dum hæc ſcribimus, reipſa utilitatem curamus, efficere jucundius poteris. Cum præſertim omnibus palàm ſit, tuaque etiam prudentia ſatis perſpiciat, eo Nos loco poſitos eſſe, ut niſi Muneri noſtro deeſſe, graviterque apud æternum Judicem neglecti Paſtoralis Officii rei eſſe velimus, prædicta omnia diutiùs diſſimulare nequaquam poſſimus. Quamobrem Nobilitatem Tuam rogamus, & obſecramus, imò & tamquam Deo adhortante per Nos requirimus, & fidenter admonemus, ut poſthabitis eorum conſiliis, qui terrena ſapiunt, & quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, noſtris potiùs, qui de tuâ, Tibique ſubjecti Populi ſumus felicitate ſoliciti, vocibus obſecundes, deletâque omni querelarum materiâ ergâ Sanctam Eccleſiam, cujus Te verum Filium profiteris, ejuſque Miniſtros, de quibus præcipit Dominus: *Nolite tangere Chriſtos meos*: ita Te geras, ut, quod maximè cupimus, amore dumtaxat Tecum agere, nec

niſi

niſi beneficiis certare in poſterùm debeamus; & Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die decimâ ſextâ Junii 1706. &c.

ARGUMENTUM

Chriſtianis in Turcicâ Ditione vexatis, & Religioſis Viris Sacrum Chriſti Sepulchrum in Hieroſolymitana Civitate cuſtodientibus Cæſareum patrocinium enixè implorat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo,

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Pictas, quam Majeſtas Tua cum avito ſanguine hauſit, excitabit procul dubio inclytum animum tuum ad ferendam opem Religioſis Viris, qui Sacrum Chriſti Domini Sepulchrum Hieroſolymis cuſtodiunt, ubi Tibi compertum erit eos in præſens à Turcicis Adminiſtris plus nimio vexari, adigique ad nova in dies pendenda tributa, quæ aliter ab ipſis exolvi non poſſunt, quàm ſubductis iis, quæ ad Sacri illius Loci cultum pertinent. Digna eſt profectò hujuſmodi cauſa, quam Chriſtiani Principes omni ſtudio, ac fervore complectantur, atque de vi Fidelibus tum ibi, tum in diverſis partibus Turcicæ Ditionis degentibus aſſiduè illata, tanquam de injuriâ ſibi ipſis factâ, acriter conquerantur. Urget Nos itaque ſolicitudo noſtra ad expetendum Tuæ authoritatis eâ in re interventum, cupimuſque proinde, ut tuo nomine denuncietur Aulæ Otthomanicæ grave Tibi eſſe, quod Chriſtiani per Præſides Provinciarum Dominii Turcici malè habeantur, ac indebitè graventur; non enim ambigimus, quin ſi ibi innotuerit affici Te vehementer anguſtiis Chriſtianorum, mitius in eos in poſterùm agatur. Quòd verò attinet ad Sancti Sepulchri cuſtodiam cum decor Sacri Loci, in quo illud aſſervatur, poſtulet, ut tholus Eccleſiæ dirutus reficiatur, per Te non ægrè impetrari poſſe confidimus, ut Chriſtiani non impediantur, quominùs illum inſtaurare valeant, cum præſertim non de conſtruendo novo opere, ſed de veteri inſtaurando agatur, quod per pacta inter utramque Nationem inita licere omninò conſtat. Præclaram itaque occaſionem, Chariſſime Fili Noſter, amplectere, pium opus promove, Chriſtianorum vota ſolare, & deſiderio noſtro filiali ſtudio adhære, conſecuturus uberem apud probos laudem, ampliſſimamque à Deo mercedem, quam Nos Tibi ex animo apprecamur; dum Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ nonâ Junii &c. 1706.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Quandoquidem occulto Dei judicio fit, ut in poteſtate Infidelium permaneat præcipuum Orbis Sanctuarium, ſacrum ſcilicet Chriſti Domini Sepulchrum, & cum Civitate Sancta Hieruſalem tota illa terræ celeberrima pars, in quâ Redemptor noſter operatus eſt humani generis ſalutem, debent profectò Chriſtiani (cujus nominis gloria inſigni quodam titulo ad Majeſtatem Tuam pertinet) illud ſaltem in præſens, donec majora aggredi poſſint, diligenter cavere, ne Religioſi Viri cuſtodiam Sancti Sepulchri ſibi demandatam propter inſidias, & inexplebilem Turcarum avaritiam deſerere aliquandò cogantur. Quò quidem collimare videntur in præſens hoſtium Fidei conatus, qui pro Dominio Turcarum præſunt modò ei Provinciæ, ac finitimis regionibus dum Tributa in dies majora ſuperimponunt Chriſtianis, qui eis pendendis omninò impares effecti, quid conſilii intereà capiant, non ſatis agnoſcunt. Nos itaque de tanto periculo prætermodùm ſoliciti non aliâ ratione occurrere huic malo poſſumus, niſi accitâ in præſidium votorum noſtrorum authoritate tuâ, quam ad coercendam Barbarorum temeritatem magnoperè profuturam eſſe confidimus. Te itaque, Rex inclyte, enixè hortamur, ut per Oratorem tuum in Urbe Conſtantinopolitanâ degentem, Virum per ſe quidem in tuendâ in illis partibus re Chriſtianâ impigrum, & ſedulum cures, & efficias, ut ab Aulâ Otthomanicâ ad illius Provinciæ, & finitimarum Præſides mandata dirigantur, per quæ ipſi tandem mitiores, & æquiores ſe præbeant Chriſtianis, quos ſciant pro libitu ſuo vexare non poſſe. Quâ occaſione multùm etiam contuleris ad decus illius Eccleſiæ, in qua Sepulchrum Domini aſſervatur, ſi obtinueris poteſtatem fieri Chriſtianis farciendi Tholum jam pridem dirutum ejuſdem Eccleſiæ, atque in hunc finem cędendi, atque aggerendi materiam ad id neceſſariam, quod certè ſi æquitas ulla apud eos homines locum habet, ſperandum videtur; neque enim de novo opere conſtruendo, ſed de illo ipſo, quod anteà extitit, inſtaurando res eſt. Vides quàm digna ſit eximio tuo zelo hujuſmodi cauſa, quam quoniam ad ampliorem laudem, meritumque uberiùs Tibi comparandum pertinere intelligimus, enixè commendamus Majeſtati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 19. Junii 1706. &c.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Marchioni de Ferriol, Regis Chriſtianiſſimi in Urbe Conſtantinopolitanâ Oratori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, ſalutem &c. Chriſtiani, qui in variis Turcici Dominii ditionibus commorantur, præſertim verò, qui in Paleſtinâ, finitimiſque Provinciis degunt, ac inter eos Religioſi Viri, quibus ſacri Sepulchri cuſtodia Hieroſolymis eſt demandata, ſibi maximè infenſos nunc temporis eſſe perſentiunt Otthomanicæ Portæ Adminiſtros; hi enim obtentu opprimendi perduelliones in illis fortè partibus obortas, Fideles omnes, potiſſimùm verò Cuſtodes Sacri illius Depoſiti, aliis, atque aliis in dies onerant tributis, & quæſitas ex eleemoſynis Fidelium facultates ipſis, abutendo publicâ authoritate, diripiunt. Nos itaque Muneris noſtri eſſe duximus Chriſtianiſſimi Regis pietatem, ac zelum officiis noſtris excitare ad ferendam Fidelibus opem, atque ab eo expoſtulavimus, ut per Te, quem in tuendis iſthic Chriſtianorum rebus ſedulum, ac ſolertem eſſe diximus, agere velit, quatenùs iniqui hujuſmodi conatus reprimantur, & avidiſſimæ manus à præfato præſertim Sanctuario Hieroſolymis aſſervato arceantur. Confiſi prætereà de Regii nominis authoritate, deque præſtanti tuâ prudentiâ, & in rebus agendis dexteritate fieri poſſe exiſtimavimus, ut permittatur eiſdem ſacris Cuſtodibus ſarcire tholum illius Eccleſiæ, qui à multo tempore decidit, itaut nullum impedimentum patiantur in perficiendo hoc opere, quod novum non eſt, ſed veteris inſtauratio, ac proindè vi pactorum videtur omninò concedendum. Hæc Tibi ſignificanda eſſe duximus, ut ſcias Te, dum Chriſtianiſſimi Regis mandatis deſuper ad Te dirigendis obſequeris, rem prætermodum Nobis gratam, ac Deo in primis acceptam facturum eſſe, & Tibi, Dilecte Fili, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die decimâ nonâ Junii 1706. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

ARGUMENTUM

Matrimonium cum hæretica Muliere contractum à Subdiacono, qui Apoſtolicam Diſpenſationem obtinuerat, ad effectum nubendi cum Catholicâ, etſi gravia indè oriri poterant ſcandala, & detrimenta, convalidare renuit, ac Epiſcopum Herbipolenſem hortatur, ut præfatam hæreticam Mulierem ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium adducere ſtudeat.

Venerabili Fratri, Joanni Philippo Epiſcopo Herbipolenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEenrabilis Frater, ſalutem &c. In literis Fraternitatis Tuæ die nonâ Decembris Anni proximè elapſi ad Nos datis diù, graviterque expendimus cauſas, atque rationes multo quidem zelo à Te allatas, ob quas maturè deliberandum, ac Judicio noſtro ſtatuendum eſſe intelligis, utrùm expediat, quòd aſſertum matrimonium à Dilecto Filio Philippo Erneſto Comite de Hohenlohe poſt Diſpenſationem ſuper impedimento Ordinis Subdiaconatus, ad effectum nubendi cum catholicâ Fœmina peripſum obtentam, cum Acatholicâ contractum, Apoſtolicâ noſtrâ authoritate convalidetur, vel potiùs in ſtatu nullitatis permaneat, cum tamen gravia, ſi irritum ſit, utrique Familiæ incommoda, & maximum dedecus, proli verò inde ſuſceptæ perpetua nota, multarum demum Animarum ſaluti certa quodammodò pernicies imminere videatur. Nos itaque, etſi pro magnitudine ſpiritualis hujuſmodi periculi, quod tamen, propitio Deo, averti poſſe confidimus, intimè commoveamur, majoris tamen momenti eſſe exiſtimamus Eccleſię Dei, Apoſtolicæ Sedis, Prædeceſſorum noſtrorum, ac Sacrorum Canonum à Catholicorum cum Hæreticis conjugio abhorrentium regulas, niſi id totius Chriſtianæ Reipublicæ bonum expoſcat, non tranſgredi, ac propterea petitioni hujuſmodi per ipſos contrahentes Nobis humiliter oblatæ, de Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, quibus in Fidei cauſis ſupremi Inquiſitoris Munus eſt demandatum, conſilio, nequaquam aſſentiendum eſſe duximus; & nihilominùs de pietate, ac zelo, deque eximiâ virtute Fraternitatis Tuæ rectè ſentientes, ac probè omninò ſperantes, fieri poſſe confidimus ope Illius, qui facit ex tentatione proventum, ut lucrum ex ipsâ difficultate captetur. Credimus enim Te omni ſtudio daturum eſſe operam, ut ipſa acatholica Mulier, quæ animum non prorsùs averſum à Catholica Religione ſe gerere profitetur, hortatu demùm tuo ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium perducta, Apoſtolicâ ſe dignam benignitate præbeat. Aggredere itaque plenum meriti opus, dum Nos Deum precabimur, ut illud Tibi det perficere, in cujus etiam boni auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuę peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Junii 1706. &c.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopos, & Epiſcopos Eccleſias vel Diæceſes in Lotharingiæ, & Barri Ditione habentes hortatur, ut Eccleſiaſticam libertatem ſtrenuè propugnent, ejuſque violatores Canonicis remediis coerceant.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Lotharingiæ, & Barri Ditione ſuas Eccleſias, vel Diœceſes habentibus.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabiles Fratres, ſalutem &c. Etſi perſpectus Nobis Fraternitatum Veſtrarum zelus, & in tuendis Eccleſiæ Juribus ardor, atque conſtantia meritò ſperare Nos jubeant nihil Vos unquàm adversùs ejuſdem Eccleſiæ libertatem, aut dignitatem à ſeculari poteſtate tentari paſſuros: ſuprema tamen, quam univerſi catholici Orbis Eccleſiis debemus, cura Nos admonet, ut vigilantiam veſtram adhuc excitare, & Fraternitates Veſtras, ſpontè licet currentes, impellere, atque exſtimulare non deſinamus, cum præſertim multa in Dilecti Filii Nobilis Viri Leopoldi Lotharingiæ Ducis Ditionibus ab illius Magiſtratibus, & Miniſtris, quoad Perſonas, reſque Eccleſiaſticas, poſthabitis, quæ Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus nituntur, Inſtitutis, uſurpata, atque innovata eſſe ad Nos non unâ ex parte perlatum ſit. Quamobrem, & Muneri primùm noſtro, ac veſtro deinde etiam debito conſulturos Nos fore putavimus, ſi Fraternitates Veſtras iterum, atque iterum graviſſimâ hac de re admoneremus, ne ſcilicet Vobis conniventibus, & falſæ pacis, quæ omni bello deterior eſt, obtentu fortè diſſimulantibus Eccleſiaſtica Poteſtas, & Juriſdictio aliquid detrimenti capiat, quod poſteà temporis lapſu abuſibus patrocinante reparari difficiliùs poſſit. Volumus ergo, Venerabiles Fratres, Voſque Paſtorali ſolicitudine in Domino exhortamur, ut erga hujuſmodi Eccleſiæ Jurium, ſimulque Paternarum Traditionum violatores ſuaſionibus primùm, placidiſque conſiliis, quod Sacerdotalis manſuetudinis eſt, exequamini; deinde verò, cum opus fuerit, præſcriptis etiam à Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, quæ prudentiæ veſtræ opportuniora videbuntur, remediis Epiſcopali authoritate, ac fortitudine utamini; & Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ tertiâ Julii 1706. &c.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

Attentata à Cæſareis Militibus in res, Perſonas, & loca ſacra Ditionis Pontificiæ cum Principe Eugenio à Sabaudia vehementer expoſtulat, ac ejuſmodi ſcelerum reos graviter plecti, nec non Terras, & Populos Apoſtolicæ Sedi ſubjectos ab omni injuriâ, & moleſtiâ præſervari ab Eo expoſcit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Principi Eugenio à Sabaudiâ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Cùm ad eam ſolicitudinem, quæ ſemper inſedit animo noſtro propter bella, quæ inter Chriſtianos Principes tamdiù, ac tam acriter geri conſpeximus, novæ in præſens, & acerbiſſimæ curæ, multòque gravior cauſa doloris accedat ob pericula, ac damna Eccleſiaſticæ Ditioni non ſine publico, ac manifeſto ſacrarum rerum, Catholicæ Religionis, ac Divini nominis contemptu, recenter illata, facere non poſſumus, quin de ſummo mœrore inde à Nobis contracto conqueramur apud Nobilitatem Tuam, quam quidem confidimus moleſtiſſimè Nobiſcum laturam eſſe ſcandala reticenda potiùs, quàm cum horrore commemoranda, quæ occaſione exteri Militis in eamdem Ditionem inducti nuperrimè contigerunt. Et ſanè cum Nos in tanto animorum diſſidio, in quanto verſantur in præſens ſumma Chriſtianæ Reipublicæ Capita, procul ab omni partium ſtudio communis Patris partes obire, ac publicam ſalutem conciliare nunquam prætermiſerimus, rati ſumus eos omnes, qui noſtræ authoritati ſubſunt, immunes perpetuò fore ab iis malis, quibus ceteræ nationes pro ſuo quæque ſtudio confligantur; At quoniam eò res devenit, ut aliis, atque aliis periculis, quæ in dies imminere poſſunt, occurrendum omninò videatur, per celerem Curſorem has noſtras ad Te deferri curavimus, quibus Te enixè hortamur, atque in Domino obſecramus, ut pro eâ pietate, atque juſtitiâ, à quarum virtutum cultu tam præclarè commendaris, tuorum Militum licentiam coerceas, ne quid in poſterùm adversùs res, loca, atque Perſonas ſacras attentare audeant, neve Urbes, atque Oppida, Terras, aut Populos huic S. Sedi, atque Pontificiæ noſtræ authoritati etiam in temporalibus mediatè, vel immediatè ſubjectos moleſtiâ afficiant; confiſi prætereà Te graviter animadverſurum eſſe in eos, quos flagitia deſuper tacta ſacrilego auſu admiſiſſe compereris. Quàm æqua eſt petitio noſtra, tam alacrem fore Te ſperamus in obſequendo votis, ac petitionibus noſtris, quas Tibi magnoperè commendamus, parati mutuis officiis, ubi res feret, reſpondere Nobilitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Julii 1706. &c.

ARGUMENTUM

Duci Aurelianenſi adventum in Italiam gratulatur, & ab eo impensè flagitat, ut Ditionem Eccleſiaſticam ab omni injuriâ, ac moleſtiâ Copiarum Gallicarum immunem tueri velit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Philippo Duci Aurelianenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Ubi percepimus Nobilitatem Tuam in Italiam adveniſſe, mirificè lætati ſumus, utpotè qui præſtantiam tuorum decorum, & eam, quæ Tibi cum Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Rege Chriſtianiſſimo intercedit, arctiſſimam ſanguinis conjunctionem probè novimus, ac inſuper perſpectas habemus eximias virtutes, & inſignes animi prærogativas, quibus ornaris. Eſt & aliud prætereà, ob quod de eodem tuo adventu magnoperè gratulemur, nimirùm quia confidimus ope tuæ pietatis, æquitatis, atque prudentiæ eximi ab intimâ, atque graviſſimâ curâ, quam ob moleſtias Eccleſiaſticæ Ditioni ab incurſu exterorum Militum identidem illatas frequenter perſentimus. Nam cum id nunquam contingat ſine magno Populorum detrimento, Nos, qui ſaluti, atque indemnitati eorum, quæ noſtræ tutelæ commiſſi ſunt debemus pro Munere noſtro proſpicere, ſperamus Te pro filiali tuo in Nos ſtudio, proque tuâ in Apoſtolicam Sedem obſervantiâ effecturum eſſe authoritate tuâ, ne quid adversùs Populos, qui Nobis mediatè, vel immediatè ſubſunt, à tuis Copiis in poſterùm attentetur, neve ipſæ Copiæ terris, aut locis noſtræ Ditionis inſideant. Par eſt enim, ut Nos, qui Chriſtianorum Principum communem Patrem agimus, quique nihil tam quærimus, quàm ut perpetua inter ipſos Principes concordia vigeatur, neminem infenſum experiamur, immuneſque ſimus ab iis malis, quibus ceteri adverſis Partibus addicti impetuntur, neque ambigimus, quin ea prorsùs ſit mens ejuſdem Chriſtianiſſimi Regis, de cujus egregiâ in Nos voluntate tam præclarè Nobis pollicemur, quàm Ipſi viciſſim curamus benevolentiam ei noſtram nullâ non occaſione teſtari. Quo animo cum Te pariter eſſe exiſtimemus, has noſtras per celerem Curſorem ad Te mitti voluimus, ut per Te à ſolicitudine, in quâ verſamur ob querelas multorum Incolarum Ferrarienſis Agri, quæ nunc maximè ob recentes injurias ipſis à Copiis Gallicis nuperrimè, & ſanè graviſſimas inflictas, invaluerunt, exolvamur. Nobilitati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 28. Julii 1706. &c.

ARGUMENTUM

Quòd Cæſareæ Militares Copiæ, irruptione in Ditionem Eccleſiaſticam factâ, Pontificiis Subditis plurima damna, & locis, rebus, Perſoniſque ſacris graviſſimas injurias intulerint, cum Imperatore conqueritur, ac ejuſmodi ſcelerum Authores plecti meritis pœnis, & illata detrimenta congruenter ſarciri ab Eo poſtulat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Omnem dicendi vim ſupergreditur dolor, quo intimè tacti literas in præſens dare cogimur Majeſtati Tuæ: qui quidem dolor indè oritur, quòd per iteratos nuncios admonemur militares tuas Copias ingenti agmine ad quadraginta fermè millia hominum per Ducatum noſtrum Ferrarienſem, finitimaſque cjuſdem noſtræ Eccleſiaſticæ Ditionis partes deductas, graviſſima Incolis eorum locorum damna intuliſſe, nec aliter, quàm ſi in hoſtiles Agros irrupiſſent, innoxios homines curæ, atque tutelæ noſtræ commiſſos bonis, atque ſubſtantiis magnâ ex parte exutos in ſummo luctu, inopiâ, atque mœrore reliquiſſe. Quæ etſi Nobis nil tale expectantibus, neque ſanè, ut confidimus, meritis prætermodum moleſta acciderint, vulnus tamen longè graviſſimum cordi noſtro inflictum eſt, ubi audivimus in ipſas Eccleſias, atque in Chriſtos Domini hac ipsâ occaſione ſævitum eſſe, ac eò uſque progreſſam fuiſſe Militum prædæ, atque rapinis inhiantium audaciam, ut eorum quidam, ut ſacra Vaſa diriperent, ipſum Venerabile Chriſti Corpus (id quod ſine horrore, & lachrymis referre non poſſumus) contemnere, atque projicere non dubitaverint. Hæc Nos in anguſtiâ ſpiritus nobiſcum reputantes, eademque mala peccatis noſtris unicè tribuentes, ad pedes Crucifixi Domini cum gemitu procubuimus rogantes, ut fulmen iræ ſuæ à cervicibus innocentis, ac fidelis Populi, atque ab Altaribus, ac Templis ſancto ejus Nomini dicatis deflexum, in caput noſtrum converteret. Verùm cum exaudiri aliis, atque aliis fortè ſolicitudinibus (occulto ipſius judicio) reſervati non meruerimus, ne Officio noſtro, quantùm infirmitas noſtra patitur, ullâ ratione deſimus, preces noſtras in amaritudine cordis ad Majeſtatem Tuam dirigimus. Non enim ambigimus, quin ſis Nobiſcum execraturus tot ſcandala, atque flagitia, quæ omninò contra tuam æquiſſimam mentem contigiſſe certò ſcimus. Quò animo ut Te eſſe omnes intelligant, par eſt, ut zelo juſtitiæ, ac pietatis incenſus debitas de hujuſmodi ſcelerum Authoribus pœnas palàm ſumi, & quæ adversùs Divina, humanaque Jura hac occaſione geſta ſunt, ſarciri jubeas, ac demùm indictis ſeveriſſimis legibus caveas, ne quid ſimile ab his, qui apud Te ſtipendia faciunt, in poſterùm attentetur. His ſanè mediis oſtendes nolle Te pro avitâ virtute, ac religione, Eccleſiæ Dei, Catholicæ Fidei, ac Apoſtolicæ Sedis Dignitatem, ac Jura unquàm lædi: quâ ratione non modò perpetuam tuo nomini laudem comparabis, ſed Tibi, & Auguſtiſſimæ Domui tuæ conciliabis veram felicitatem, ac cœleſtes benedictiones, in quarum auſpicium Nos Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 31. Julii 1706. &c.

ARGUMENTUM

Præclaram Indolem, & excelſas, Chriſtianaſque virtutes Regis Britannici Inſtitutori Ejus Duci de Perth paternè gratulatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Duci de Perth.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Attulit Nobilitas Tua ingens profectò Paternæ noſtræ charitati gaudii, ac gratulationis argumentum, poſitâ veluti ob oculos noſtros imagine quadam præſtantis animi, quo eſt Chariſſimus in Chriſto Filius Noſter Jacobus Magnæ Britanniæ Rex Illuſtris, cujus quidem mores tam ritè, ac tam probè efformatos eſſe teſtaris, ut cum Ille minorem nuper egreſſus ætatem quaſi in conſpectum hominum prodierit, abſolutum quoddam exemplar præſetulerit earum virtutum, quas quamdiù per arduam adoleſcentiæ viam inceſſit, omni ſtudio ſibi comparare curavit. Quod bonum etſi in primis egregiæ indoli, quæ ei Divino munere obtigit, deinde verò præclaris optimorum Parentum exemplis, nec non Chriſtianiſſimi Regis liberalibus in Eum officiis, ac providæ curæ ſit tribuendum, non parùm tamen ad tui ipſius laudem pertinet, qui in tanti Principis animo inſtituendo, ac in eodem imbuendo tum Religione in Deum, tum Catholicâ Diſciplinâ, tum denique bonis artibus, iiſque ſtudiis, quæ Regem maximè decent, diligentiam tuam quò propiùs, quòque frequentiùs, eò ſanè operoſiùs, atque accuratiùs impendiſti. Atque id quidem poſtulant pietatis ſemina immiſſa mentibus hominum, ut nedum docili cordi, tamquam ſyncero ſolo committantur, ſed ut aſſiduo cultu promoveantur ad fructum eadem prorsùs induſtriâ, quâ novato, atque iterato agro lætior, atque uberior meſſis expectatur. Satis itaque commendare non poſſumus pietatem, prudentiam, atque ſolertiam à Te indeſinenter adhibitam, ut talis per Te hìc Princeps evaderet, qualem eum eſſe par eſt, & qualem ipſum certa, & indubia jura conſtituunt, hoc eſt ampliſſimarum Ditionum, multorumque Populorum Regem excelſum, ſed nihilominus Dei voluntati ita obſequi paratum, ut quamdiù inſcrutabili ipſius Judicio viſum fuerit, ut Thronum adire nequeat, ſortem ſuam æquanimiter perferre poſſit, ac ſciat, meritumque ſibi ex adverſitate conciliet; ſed: *Qui timetis Dominum, ſperate in Illum, & in oblectationem veniet Vobis miſericordia*. Interim compertum Tibi eſſe volumus Nos peculiari amore Te proſequi, & propenſam in tua commoda gerere voluntatem, cupereque præcipuis documentis explicare, quanti faciamus Nobilitatem Tuam, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ Auguſti 1706. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Ambitum quorumdam, qui malis artibus viam ſibi ad Monaſterienſem Eccleſiam parabant, graviter improbat, & Epiſcopum Paderbornenſem hortatur, ut Acatholicorum dolis occurrat, ac ejuſmodi Electionis libertatem, orthodoxæque Fidei rationes ſedulò promoveat.

Venerabili Fratri, Franciſco Arnoldo Epiſcopo Paderbornenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Quæ de diſſidiis inter Capitulares Eccleſiæ Monaſterienſis exortis tum ex literis à Fraternitate Tuâ ad Nos datis poſtremâ die Julii proximè præteriti, tum etiam aliundè percepimus, magnam profectò animi moleſtiam Nobis attulerunt; cum novi ejuſdem Eccleſiæ Præſulis Electionem pacificè, ac concorditer peragi maximè cuperemus, idque ipſum de perſpectâ eorundem Capitularium pietate, ac prudentiâ Nobis etiam polliceremur. Auxit prætereà mœrorem noſtrum, quòd audivimus eò jam res deveniſſe, ut plures Eccleſiaſticæ moderationis obliti, nec ſatis ſpectatâ Epiſcopalis Officii mole, nihil intentatum relinquant, ut Eligentium ſuffragia ſibi concilient, & regendarum animarum arripiant onus, quod ſancti Viri uſque adeò exhorruerunt, ut vel fugæ ſe dederint, vel latebras quæſierint, vel etiam mortem ipſam ab Eo, in cujus manu mors, & vita eſt, enixè flagitaverint, ne illud accipere cogerentur, vel certè numquam niſi inviti, & penè vim paſſi illud acceperint. Porrò dolorem noſtrum longè etiam acerbiorem efficit, quòd inter hæc Eligentium diſſidia, & Eligendorum certamina, ejuſmodi negotio ipſi etiam Acatholici ſe ingeſſerint, profanaſque manus ad Arcam Domini extendere minimè formidaverint. Nos certè pro Paſtoralis Officii noſtri debito nihil omninò prætermittemus eorum, quæ Monaſterienſis Eccleſiæ Juribus, Libertati Electionis, ac in primis Catholicæ Fidei rationibus opportuna fore cognoverimus: certiorem Te interim facientes nihil Nos hac in re geſſiſſe, quod vel exiſtimationem, dignitatemque tuam lædere, vel gratiis Tibi aliàs à Nobis tributis derogare ullo pacto valeat. Quidquid enim præſtitimus facilè intelliges non aliò collimare, niſi ut concors, libera, atque Canonica Monaſterienſis Epiſcopi Electio peragatur, nec ambigimus quin Tu pro eâ, qua præditus es, eximiâ virtute, ac animi religione, operam, ſtudiaque tua in eumdem finem collaturus ſis. Quod ut alacriùs exequaris, Tibi, Venerabilis Frater, Paternæ benevolentiæ pignus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die decimâ quartâ Auguſti 1706. Pontificatus Noſtri Anno ſexto.

ARGUMENTUM

De facinore à Cæſareis Militibus in Imolenſi Civitate admiſſo, undè plurimorum animalium prædam, & aliquot homines captivos abduxerant, vehementer expoſtulat cum Principe Eugenio à Sabaudiâ Cæſarei Exercitus Supremo Duce, eumque, ut illata damna quamprimùm ſarciri, & captivos priſtinam in libertatem reſtitui mandet, hortatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Principi Eugenio à Sabaudia.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Ejuſmodi eſt facinus à quibuſdam eorum Militum, qui ſub Cæſareis vexillis per iſtas partes excurrunt, contra fas omne, & in contemptum noſtræ authoritatis, intra Civitatem noſtram Imolenſem nuper admiſſum, ut niſi videri velimus Dignitatis, ac Jurium noſtrorum coram Deo, & hominibus negligentes, ac prorsùs immemores, Nobilitatem Tuam, qua inſciá id omne contigiſſe non ambigimus, admonere eâ de re teneamur, & tamdiù de injuriâ Eccleſiaſticæ Ditioni, ac noſtro nomini illatâ conqueri, quamdiù tuâ ope, atque authoritate fiat ſatis Juſtitiæ, quod ab æquitate animi tui ſperandum omninò videtur. Nam quid tam præter omnem expectationem, ut minùs rem explicemus, evenire poterat, quàm quod manus non exigua armatorum de repente irrumperet in Civitatem nil ſibi metuentem, tamquam neutri Partium inter ſe bella gerentium addictam, & ſub ejus poteſtate poſitam, qui ab omni earumdem Partium ſtudio tam ſemper abſuit, quàm Patrem communem decet, & nihilominùs iidem armati optimam inde prædam animalium aveherent, abducerentque ſecum captivos aliquot homines ibi quodammodò ſub publicâ fide (prout moris eſt in liberâ Civitate mœnibus ſepta, Incoliſque refertâ) degentes, vel etiam contractus ineuntes, atque ideò obtentu, quòd hæc omnia ad hoſtium ſuorum commeatum pertinerent? Non poterit autem quiſquam jure conqueri poteſtatem hanc comparandi, aggregandique victualia in Ditione noſtrâ alteri fuiſſe factam, ſivè potiùs permiſſam, ubi recolat id ſibi pariter in aliis ejuſdem noſtræ Ditionis partibus licuiſſe; adeò ſoliciti ſemper fuimus, ne quicquam alterutri Parti præ alia propenſiùs, atque procliviùs indultum à Nobis videretur. Acerbiſſimè itaque gravitas caſus, quem modò diximus, animum noſtrum torqueret, & irrequietum redderet, niſi pro eodem quaſi momento, quo hæc Nobis nunciabantur, certi quodammodò redditi fuiſſemus hæc ipſa omninò præter mentem, voluntatemque tuam admiſſa fuiſſe; ſpem enim, quam certè ſemper geſſimus de ſingulari, & inconcuſsâ animi tui æquitate, non parùm confirmabant ea, quæ noſtris literis in argumento non prorsùs abſimili ad Te datis paulò ante repoſueras: curaturum Te ſcilicet eſſe militarem licentiam debitos fines prætergreſſam ſeverioribus legibus coercere, ac deterrere publicis ſuppliciis, quibus jam nonnullos affici volueras. Hanc Nos igitur egregiam tuam voluntatem, & illuſtre propoſitum tuendæ Juſtitiæ interpellare tenemur in præſens, omninò à Te petentes, miſſo ad id celeri Curſore, ut damna, quæ non licuit inferre hominibus publica ſecuritate in loco noſtræ Ditionis, ac proindè non ſuſpecto, utentibus, rependi ex æquo jubeas, ſimulque pro ea, qua Nos proſequeris, obſervantiâ

effi-

efficias, ut Dignitas noſtra tam graviter, ac tam manifeſtè læſa iis, quibus par eſt, viis, ac mediis ſarciatur in novum ſpecimen, & teſtimonium eximiæ illius virtutis, cujus ſtudio præclarum ſibi nomen comparare ſatagit Nobilitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ quartâ Auguſti 1706. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Philippo Duci Aurelianenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Moleſtiſſimus certè, ſi quis alius unquam, ille Nobis accidit caſus, quem Nobilitatis Tuæ literis, ac vivâ voce Dilecti Filii Noſtri Joſephi S. R. E. Cardinalis de la Tremoille (præter ea, quæ à noſtris didicimus) in Civitate noſtrâ Imolenſi paulò ante contigiſſe admonemur; ſed quàm id inopinatò evenerit, non eſt cur pluribus explicemus, quando id planè loci ipſius conſtitutio, & facti circumſtantiæ per ſe ſatis, ſuperque oſtendunt. Cum enim ea Civitas non parùm abſit ab iis locis, per quæ militares utriuſque partis Copiæ nuper excurrerant, omni ſecuritate, ac otio perfrui poſſe videbatur, præſertim quia eadem pertinet ad Ditionem Eccleſiaſticam, hoc eſt ad Nos, qui quemadmodùm nemini infenſi fuimus, ita nullâ vi appeti meruimus, ac propterea nulla cuſtodia ei Civitati, etſi mœnibus ſeptæ, opus eſſe, imò etiam ejus Portarum claves ſatis tutò cuique, vel etiam fœminæ (prout tum quidem contigit) committi poſſe viderentur. Quando itaque eò res devenit, ut quod ibi nuper militari impetu attentatum eſt, diſſimulari à Nobis, illæsâ authoritate noſtrâ, nullo modo queat, diligenter de hujuſmodi facto inquiri, expedito in hunc ſcopum eò loci Judice Commiſſario mandavimus, certi ſumere de fontibus pœnas, ſi qui fortè ex noſtris deliquerint, aut quoquomodo conſcii ejus facinoris antea extiterint. Interim verò acriter eâ de re conqueſti ſumus apud ſupremum Cæſarei Exercitus Moderatorem Principem Eugenium à Sabaudia per literas noſtras, nec non hìc apud Dilectum Filium Noſtrum Vincentium S. R. E. Cardinalem Grimanum, ac pro jure noſtro poſtulavimus, ut homines vi abſtractos, & animalia ſimiliter abducta reſtitui quamprimùm curent, & efficiant, locoque reponi. Atque id eſt, quod præſtari à Nobis potuit, ut ſatisfieret Juſtitiæ, & petitionibus Nobilitatis Tuæ, à qua quidem gratum Nobis prætermodùm fuit percipere Te in iis, quæ ad noſtra, & Eccleſiaſticæ Ditionis Jura pertinent, eam religionem ſervaturum eſſe, quæ eximiâ tuâ virtute, ac pietate digna profectò eſt, cui tuo illuſtri propoſito omni documento benevolentiæ noſtræ perpetuò reſponſuri ſumus. Nobilitati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 14. Auguſti 1706. &c.

ARGUMENTUM

Duci Mantuæ delectum benignè permittit cujuſcumque loci Ditionis Eccleſiaſticæ, in quem Duciſſa ejus Conjux ſe recipere, ibique tutò conſiſtere poſſit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Ferdinando Duci Mantuæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Polliceri ſibi debet Nobilitas Tua ſe nacturam ſemper eſſe in Nobis pronam, alacremque voluntatem in his omnibus, quæ Tui, inclytæque tuæ Domus commoda, dignitatem, tranquillitatemque reſpiciunt; exigente id nimirùm ſingulari noſtrâ, ac paternâ ergà Te benevolentiâ, cujus nullum Tibi unquam deeſſe cupimus argumentum. Ubi itaque pro præſenti rerum ſtatu expedire duxeris, ac decreveris, ut Dilecta in Chriſto Filia Nobilis Mulier Duciſſa Conjux tua in aliquam Eccleſiaſticæ Ditionis partem ſe recipiat, ibique, quandiù res tulerit, confideat, conſilii hujuſmodi ſuſcipiendi facultas penès Te erit, ſtabitque prorsùs arbitrio tuo delectus loci, niſi fortè Nobiſcum judicaveris ſatiùs eſſe, ut in aliqua ex interioribus Civitatibus Provinciæ noſtræ Romandiolæ conſiſtat. Ceterùm Dilecto Filio Noſtro Fulvio S. R. E. Cardinali Aſtallio Legato Ferrariæ committimus, ut ſi contigerit eamdem lectiſſimam Conjugem tuam illàc pertranſire, omni eidem honoris ſignificatione, officio, ac ope adeſſe curet, ut prorsùs decenter, & quantùm virium noſtrarum perſpecta Tibi conditio patitur, tutò ſuſceptum iter proſequi poſſit; cupimus enim, ut vel ex hoc intelligas quanti Te faciamus, & quàm optemus obſecundare votis, & petitionibus, ac filiali ergà Nos animo Nobilitatis Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 18. Auguſti 1706. &c.

ARGUMENTUM

Gravia detrimenta commemorat, quæ Cæſareus Exercitus Subditis Eccleſiaſticæ Ditionis intulerat, ac tum de iis, tum etiam de mandatis, & minis, quibus ejuſdem Exercitus Commiſſarii pabula pro hybernis Cæſarei Equitatus imperare auſi fuerant, cum Imperatore conqueritur, & enixè à Majeſtate Sua poſtulat, ut militarem licentiam cohibere velit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Explicavimus aliàs Majeſtati tuæ quanto dolore afficeremur ob anguſtias Populi noſtri multa tum quidem damna ex tranſitu tuarum Copiarum propè, & intra fines Eccleſiaſticæ Ditionis perpeſſi, nam præter vim Templis, & ſacris rebus illatam (quod in primis commemorandum, & jugiter, ac acerbiſſimè eſt dolen-

dum,

dum, cum Dei honorem, & cultum directè reſpiciat) notum nimis eſt eâ occaſione compulſos fuiſſe illarum partium Incolas tum commeatum, tum animalia ad eum in remotas partes adducendum, quæ ſubindè magnâ ex parte deperdita ſunt, Militibus tradere, ex qua durâ neceſſitate quanta locis illis calamitas parta ſit, vix dici, aut percipi poteſt. Et ſanè certò Nobis polliciti ſumus hæc omnia, quæ Te prorsùs inſcio contigiſſe probè intelleximus, ad Te literis noſtris perlata moleſtiſſima Tibi fore, tum quia confidebamus Te alieniſſimo eſſe animo à contriſtando uſque adeò paterno corde noſtro, tum quia pro Perſona, quam geris, Advocati, ac Defenſoris Eccleſiæ, nihil tam Te velle duximus, quàm ut Jura Romani Pontificis in Eccleſiaſticâ Ditione integra prorsùs, & illæſa, ſartaque, ac tecta permanerent. Interim verò dum opem, atque levamen nedum à tuis officiis, ſed ab authoritate tuâ, perſpectæ æquitati, ac pietati tuæ innixi, præſtolabamur, accidit, ut novis curis implicaremur, delatis ad Nos quàm citiſſimè clamoribus noſtrorum, qui conqueruntur Commiſſarios Imperiales non jam poſtulatis, & precibus, ſed mandatis agere, & quaſi ſuo jure Communitatibus, ac Univerſitatibus noſtræ Ditionis per ſyngraphas præcipere, ut ingentem vim pabuli pro hybernis Cæſarei Equitatus, qualem nec locorum anguſtia, nec anni ſterilitas afferre poteſt, quamprimùm parent, experturi militares executiones, ni fecerint. Quâ in re cum non tam injuncti oneris gravitatem, quàm modum ipſum, quo in Populis tutelæ noſtræ commiſſis ſuprema noſtra authoritas manifeſtè læditur, perpendere Nos oporteat, juſtitiam, ac religionem animi tui interpellare cogimur, Chariſſime Fili Noſter, pro jure noſtro à Te expetentes, ut ſeriò commoneas Officiales tuos, ne in ſubditos hujus Sanctæ Sedis dominatum, aut hoſtilem animum exercendum ſibi eſſe putent, ſed lenitate potiùs eos congruis ſtudiis, atque officiis non defuturos demereantur; quod non ægrè à Te impetrare poſſe ſperamus, qui viciſſim cupimus, & parati ſumus Pontificiæ noſtræ benevolentiæ præclara teſtimonia reddere Majeſtati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ ſeptimâ Septembris 1706. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

ARGUMENTUM

Ut Officialium Cæſareorum, qui Pontificiæ Ditionis Subditos nimiùm divexabant, licentiam coerceat, à Principe Eugenio à Sabaudiâ petit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Principi Eugenio à Sabaudiâ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Conceptâ à Nobis ex his, quæ Nobilitas Tua literis noſtris non ita pridem perhumaniter repoſuerat, firmâ ſpe fore in poſterùm Eccleſiaſticam Ditionem (quemadmodum petebamus) immunem prorsùs ab iis incommodis, quæ paulò ante graviſſima pertulerat ob ingentem armatorum numerum, qui eam pervaſerant, non urgeremus in præſens rem eamdem novis officiis, niſi quodammodo ad id impelleremur precibus, ſivè potius clamoribus eorum, qui ſe denuò vexari conqueruntur, ac mandatis, & minis adigi ab Officialibus Cæſareis ad parandam ſtatim pro Equitatu tuo tantam pabulorum copiam, quan-

ta quidem nec ob locorum anguſtiam, nec ob notam nimis anni decurrentis inopiam, congeri ullo modo poteſt. Quo nomine etſi profectò eximendi videantur Incolæ illarum partium ab omni moleſtiâ, & ab omni immoderata hujuſmodi petitione, Nos tamen, qui authoritatem noſtram manifeſtè lædi conſpicimus, ſi in ſubſtantias Populorum, qui tutelæ noſtræ commiſſi ſunt, ullam ſibi quiſpiam arroget poteſtatem, facere non poſſumus, quin pro jure noſtro Te hortemur, ac excitemus ad redigendos in ordinem hujuſmodi Officiales, ita ut per Te moniti intelligant licere quidem ſibi de his, quæ ſubditis noſtris ſuppetunt, ac in commercio ſunt, æquis conditionibus cum eiſdem paciſci, nulla tenùs autem fas eſſe ea ſibi pro libito adjudicare. Jura itaque noſtra, & Apoſtolicæ Sedis, quâ es æquitate, ac pietate, interturbari non ſinas, ac Tecum reputa non minorem Tibi gloriam ex cultu Juſtitiæ, conſtantique in eamdem Sedem devotione, quàm ex bellicâ virtute eſſe perpetuò obventuram. Nos interim in pignus benevolentiæ noſtræ Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ ſeptimâ Septembris 1706. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

ARGUMENTUM

Quibuſdam Duciſſæ Bavariæ poſtulatis benignè annuit, eamque in anguſtiis poſitam paternâ charitate conſolatur.

Dilectæ in Chriſto Filiæ, Nobili Mulieri, Thereſiæ Duciſſæ Bavariæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecta in Chriſto Filia, Nobilis Mulier, ſalutem &c. Dal Padre Teodoro Smachers Confeſſore dell'A. V., che ci hà reſa la di Lei lettera, Ella ſentirà l'intiera diſpoſizione, in cui ci troviamo di condeſcendere alle pie, e lodevoli ſue brame, ogni volta però, che l'affare ſia in tale ſtato, che per ridurlo ad effetto altro non manchi, che il noſtro Indulto, non potendoſi tale conceſſione ſecondo le regole canoniche praticare diverſamente. Côntiper tanto l'A. V. sù queſta noſtra intenzione, alla quale uniamo li noſtri voti più fervoroſi, perche Ella poſſa goderne quanto prima gl'effetti. L'iſteſſo Padre Smachers le rappreſenterà la ſincera paſſione, con cui c'intereſſiamo ne'ſuoi avvenimenti, e inſieme il vivo deſiderio, che abbiamo di contribuire dovunque da Noi ſi poſſa al ſuo ſollievo. Vorreſſimo, che l'A. V. faceſſe uſo di queſti noſtri ſentimenti, e inſieme ſi perſuadeſſe dell'offerte da Noi fatte al medeſimo Padre; mentre frattanto pregando Dio ben di cuore, che rimuneri con copioſe felicità quelle diſaventure, ch'Ella ſoffre con tanta raſſegnazione alle ſue divine diſpoſizioni, diamo all'A. V. con tutta la pienezza del noſtro paterno affetto l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ &c. die 13. Octobris 1706. &c.

ARGUMENTUM

Audaciam nonnullorum Regularium, qui Patriarchæ Antiocheno Viſitatori Apoſtolico debitam præſtare obedientiam renuerant, damnat, ac improbat; quæ idem Patriarcha conſtituerat, ſervari decernit; & Archiepiſcopum Goanum admonet, ut ab attingendis illius Actis abſtineat, & Pontificiæ voluntati obſequatur.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Goano.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Perſpectum eſſe Fraternitati Tuæ arbitramur, quòd Nos ab ipſo noſtri Pontificatus exordio intelligentes demandatam eſſe Nobis omnium Eccleſiarum ſolicitudinem, curas, cogitationeſque noſtras convertimus ad Chriſtifideles in remotiſſimis iſtis Indiarum Orientalium partibus agentes, quos præ ceteris ſpeciali aliquo paternæ noſtræ charitatis teſtimonio dignos eſſe duximus, ac propterea vias, rationeſque Nobiſcum coram Deo expendimus, quibus eorum ſpirituali ſolatio, bono, atque ſaluti conſulere valeremus. Decrevimus itaque Venerabilem Fratrem Carolum Thomam Patriarcham Antiochenum ſpectatę apud omnes, probatæque Nobis pietatis, prudentiæ, ac doctrinæ Præſulem cum ampliſſimis Viſitatoris Apoſtolici, Noſtrique etiam, & hujus Sanctæ Sedis de Latere Legati facultatibus per iſtas partes uſque ad Sinarum Imperium allegare, quod & ſubindè perfecimus, confiſi hoc ſingulare noſtri in fideles iſtos amoris argumentum arctiori quodam Chriſtianę charitatis, & filialis devotionis vinculo obſtricturum eſſe eorum voluntates erga Sanctam Romanam Eccleſiam, à quâ, tanquam ab amantiſſimâ omnium Eccleſiarum, omniumque Fidelium Matre, ac Magiſtrâ, per Miniſterium noſtrum ſe diligi, præ oculis haberi, foverique vel ex hoc facilè noſſe poterant. Incendendum autem eſſe ipſorum erga Nos, atque Apoſtolicam hanc Sedem ſtudium, & obſequium, eorum præſertim ope ſperabamus, qui Paſtorale in iſtis partibus officium gerentes, debent oves ſibi creditas in unitate Dominici Gregis continere, eaſdemque ad excolendam Eccleſiaſticam, ac Pontificiam authoritatem, cum qua Epiſcopalis Dignitas, ac poteſtas adeò conjuncta eſt, omni ſtudio hortari, atque excitare. Verùm præter omnem expectationem noſtram accidiſſe audivimus, quòd illi ipſi, qui maximè omnium præclaram hanc occaſionem promovendi ſpirituale bonum Populorum alacriter ſuſcipere debuiſſent, eam minimè omnium complexi ſint, & quod nonnulli ex Religioſis Viris, qui ſacris Miſſionibus in iſtis partibus dant operam, ſuæ profeſſionis, ſuique Inſtituti immemores, ſcandali, pravique exempli materiem hoc ipſo ſalutari tempore prębere non dubitaverint. Dolendum verò eſt in hoc graviter deliquiſſe quoſdam ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum, qui in Civitate Madraſpatani commorantes, cum non ignorarent Munus, ac facultates, quibus idem Patriarcha à Nobis latè erat inſtructus, Pudycherium tamen, ubi ille opportunitatem tranſmittendi ad Sinarum Imperium præſtolabatur, adire, ut opus erat, abſolvendi cujuſdam Judicii gratia, etſi ſæpiùs ab eo vocati, monitique ſub pœnâ ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, renuerunt, ac interim Sacra publicè facere, non ſine gravi Chriſtiani Populi offenſione, non ſunt veriti, latamque ſub-

indè in ipſos ab eodem Patriarcha Excommunicationis ſententiam non reformidaverunt. Foveri profectò non merebatur tam manifeſta eorum contumacia, ſed partes erant Catholicorum Antiſtitum juſto zelo in hac causâ incendi, ac curare, ut qui Sacris interdicti erant, redirent ad cor, ac intelligerent ſe non priùs expiari poſſe, quàm veniam ab ipſomet Patriarchâ, vel à Nobis, facti humiliter pœnitentes obtinerent. Nihilominùs rumore, non quidem ſatis adhuc tuto, publico tamen, admonemur, Fraternitatem Tuam quaſi neſciam, aut incertam perſonæ, ac facultatum ejuſdem Venerabilis Fratris Patriarchæ Antiocheni, ad delenda, atque irritanda quæcumque per eum in iſtis Partibus acta fuerant, progreſſum fuiſſe, anſamque per hoc Contumacibus præbuiſſe, quâ ſe nec Excommunicationis vinculo, nec impedimento Irregularitatis illigatos eſſe perperam judicarent, aut certè temerè dictitarent. Et quamvis nullo modo adduci poſſimus ut credamus, Te ſingulari prudentiâ, ac pietate præditum abrogare ea voluiſſe, quæ per Viſitatorem Apoſtolicum, hoc eſt authoritate noſtrâ conſtituta fuerunt, ne tamen hæc ipſa, quæ vulgò in præſens efferuntur, certi exempli vim aliquandò obtinere poſſint, Tibi denunciandum eſſe ducimus, omnibuſque compertum eſſe volumus, nemini quacumque Dignitate præſtanti fas eſſe, aut fuiſſe Decreta, aut Acta authoritate eidem Patriarchæ à Nobis demandatâ edita irritare, aut irrita declarare. Notum prætereà facimus ſententiam Excommunicationis ſic, ut præfertur, latam in ſuo robore permanere, ac permanſuram eſſe, donec illi, qui obſtricti eâ ſunt, abſolutionem ab eodem Patriarchâ, ſive ab alio ſpecialem à Nobis poteſtatem habente, aſſequi mereantur. Confidimus autem Te de periculo Animarum fore pro tuo munere ſolicitum, ac ſedulò daturum operam, ut illi, qui certè Fidelibus præire debebant in via ſalutis, à laqueo, quem paraverunt pedibus ſuis, ritè exſolvantur. Auſpicem interim bonorum omnium Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 30. Octobris 1706. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Epiſcopo Meliaporenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Seriem earum rerum, quæ in iſtis partibus eo tempore contigerunt, quo Venerabilis Frater Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus Pudycherii morabatur, profecturus ad Sinarum Imperium, quò Nos ipſum cum ampliſſimis Viſitatoris Apoſtolici in partibus Indiarum Orientalium, noſtrique etiam, & hujus Sanctæ Sedis de Latere Legati facultatibus allegavimus, tum ex literis, quas Fraternitas Tua ex Sancto Thoma de Meliapor die undecimâ Januarii proximè elapſi milleſimi ſeptingenteſimi quinti ad Nos dedit, tum ex multorum ſcriptis, publicoque rumore cognovimus. Quibus auditis fieri non potuit, quin multâ amaritudine repleretur cor noſtrum; nam qui uberem Nobis fructum in ſpirituale commodum iſtorum Fidelium pollicebamur ex hujuſmodi profectione, quam idem Patriarcha, Pontificiæ noſtræ ſolicitudini charitate, ac zelo planè ſingulari obſecutus, ſuſceperat, moleſtiſſimè tulimus, parta eſſe hac ipsâ tam præclarâ occaſione gravia ſcandala ab iis ipſis, in quorum operâ,

atque præſidio ad promovendam animarum ſalutem ſpes utique magna conſtituenda videbatur. Et ſanè mirum, ac dolendum eſt inter ipſos Operarios Vineæ Dominicæ fuiſſe quoſdam ſeverioris etiam diſciplinæ, ac Inſtituti Profeſſores, qui cum probè ſcirent, qua Dignitate inſignitus eſſet idem Patriarcha, quove Munere Apoſtolicâ noſtrâ authoritate fungeretur, ſui nihilominùs ſtatus, debitique erga Nos cultus, & obedientiæ immemores, ejus mandatis parere palàm detrectaverint, evocatique ab eo ſępiùs, ac moniti ſub interminatione ſpiritualium, gravisſimarumque pęnarum, ut Pudycherium proficiſcerentur, maluerint tueri ſe ipſos Acatholicorum præſidio, quominùs eò pergerent, quàm ad ipſum Præſulem eos compellantem accedere: quin etiam pœnas ipſas, per quas, niſi paruiſſent, à Sacrorum Ordinum Exercitio, & ab Altari arcebantur, Sacris temerè operantes contempſerint, ac demùm præſumpſerint poſſe ſe beneficium abſolutionis, poſt latam adversùs eos Excommunicationis ſententiam, ab aliis, quàm à Nobis, vel ab eodem Patriarcha, quibus tantùm hujuſmodi facultas reſervata fuerat, obtinere. Intelliges itaque pro ſpectatâ tuâ pietate, & ſacrarum rerum, Eccleſiaſticarumque legum peritiâ, quàm læſa fuerit per hujuſmodi inobedientiam, ac contumaciam dignitas, atque authoritas noſtra, & quàm graviter agendum ſit ex præſcripto ſacrorum Canonum adversùs hujuſmodi delinquentes, & refractarios homines, niſi reſipuerint, ſeque ipſos Eccleſiaſticæ poteſtati, atque obedientiæ eâ, qua par eſt, animi demiſſione, admiſſorumque dolore ſubdiderint. Ut itaque aditus miſericordiæ, ſi modò eâ ſe dignos præbere curaverint, ipſis pateat, quod Nos pro lenitate, & charitate Apoſtolica Chriſti Domini exemplo curare in primis debemus, poſt totam cauſam diligenter expenſam, & poſtquàm compertum Nobis fuit eos Eccleſiaſticis Cenſuris verè obſtrictos eſſe, in nihilo ſuffragante ipſis abſolutione à Venerabili Fratre Archiepiſcopo Goano, ſive à quovis alio nulliter obtentâ, non prætermiſimus eundem Venerabilem Fratrem Patriarcham Antiochenum hortari, ut quatenùs Religioſus Vir Michael Angelus Turonenſis ex Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci Cappuccinorum, qui vocatus, ut præfertur, ac monitus obſequi neglexit, facti pęnitens abſolvi ab excommunicationis ſententiâ in eum latâ, & ſecum diſpenſari ſuper irregularitate contractâ humiliter poſtulaverit, prævia ſalutaris pęnitentiæ impoſitione, petitam abſolutionem, ac diſpenſationem eidem miſericorditer impertiatur, dum tamen ille à Civitate Madraſpatani, niſi aliter idem Patriarcha expedire in Domino judicaverit, ſubinde diſcedat. Interim verò ne præfatus Michael Angelus abſolutionis ſolatio, ſi eo ſe dignum præſtitit, diutiùs deſtituatur, Fraternitati Tuæ, de cujus zelo, ac pietate admodùm confidimus, facultatem hiſce noſtris tribuimus abſolutionem, ac diſpenſationem, ut præfertur, ad tempus Tibi beneviſum, cum reincidentia tamen, ac impoſitis pariter ſalutaribus pœnitentiis, eidem Religioſo Viro Michaeli Angelo Turonenſi, etiam per Superiores Ordinis, benignè impertiendi. Quod item ſervari à Te volumus cum aliis ejuſdem Ordinis Religioſis Viris, ſi qui fortè ſæpedicti Patriarchæ mandatis ante, vel poſt ejus diſceſſum à Pudycherio, obedire neglexerint, prout Nos Dilectum Filium Religioſum Virum Euſebium Burgenſem dicti Ordinis, qui ob eamdem cauſam ad Nos ex Madraſpatano ſupplex, ac dolens acceſsit, abſolutionis, & diſpenſationis gratia, quam humiliter petiit, impoſitâ ei pęnitentiâ ſalutari, Apoſtolicâ benignitate ſolati ſumus. Quod attinet ad Sacerdotem Paulum de Sà, quem ob recurſum ad Judices Laicos, aliiſque de cauſis, conſtat ab eodem Patriarcha excommunicatum

fuiſſe

fuiſſe in cauſa coram ipſo inter Dilectum Filium Religioſum Virum Guilielmum de Valle Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum nuncupatorum, ipſumque Sacerdotem Paulum de Sà eum à cenſuris priùs abſolutum, & ſuper impedimento irregularitatis diſpenſatum, prævia renunciatione præfati recurſus nulliter facti, ac injuncto pręcepto parendi Mandatis Eccleſiæ, attentâ ejuſdem Guilielmi de Valle abſentiâ, habilitandi, & inducendi in poſſeſſionem Parochiæ Gondeluri Tibi in Domino tribuimus facultatem. In quibus omnibus ſcire Te volumus Nos peculiarem rationem habuiſſe teſtimonii, atque judicii per Te eiſdem tuis literis ad Nos delati, dumque Te hortamur, ut Populos vigilantiæ tuæ creditos ad pietatis cultum, & ad debitam erga Nos, atque Apoſtolicam Sedem reverentiam incumbere ſemper magis ſatagas, Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 30. Octobris 1706. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

ARGUMENTUM

Cum nonnullæ Germanorum militum Cohortes Legationis Ferrarienſis fines ingreſſæ fuiſſent, ac ibidem hyberna facturæ viderentur, à Principe Eugenio Summo Cæſarei Exercitus Moderatore impenſiſſimè flagitat, ut eaſdem Cohortes revocare quamprimùm velit, & Ditionem Pontificiam ab hujuſmodi militaribus vexationibus, & gravaminibus eximat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Principi Eugenio à Sabaudia.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Deferuntur continenter ad Nos ex diverſis Eccleſiaſticæ noſtræ Ditionis partibus, nunc verò multò acriùs, multòque vehementiùs pro rei gravitate è Locis, quæ ſubſunt Legationi Ferrariæ, clamores, atque querelæ illorum Incolarum, qui cum in præſens videant integras Germanorum militum Cohortes ſuos fines ingredi, ibi, ut videtur, longiores moras, ſive etiam, ut fert rumor, hyberna facturas, magnoperè à Nobis contendunt, ut ab hujuſmodi malo, atque periculo, cujus vel ſolo metu intimè perculſi ſunt, eos noſtræ authoritatis interventu eximamus. Etſi autem nullo modo adduci poſſumus, ut credamus à Nobilitate Tua deliberatum unquam, imò nec quidem cogitatum fuiſſe imponere injuſtum hoc, ac prorsùs inauditum gravaminis genus Locis ſub Dominio, ac Juribus Eccleſiæ poſitis, quæ, ut ſatis perſpectum eſt, integrâ libertate, ac perpetuâ immunitate ab ejuſmodi onere perfrui debent; ut tamen quieti, ac tranquillitati eorum proſpiciamus, quorum ſalutem, atque indemnitatem curandam, tuendamque cum Pontificio Munere ſuſcepimus, & quibus deeſſe non debemus, nec profectò volumus, de his omnibus, quæ ibi vulgantur, vel quodammodò attentari videntur, monitam facimus eamdem Nobilitatem Tuam, quam eâ eſſe credimus tum integritate, atque virtute, ut juſtitiam manifeſtè lædi paſſura nunquam ſit; tum erga Nos obſervantiâ, ut nihil, Te ſummo Cæſarei Exercitus Moderatore, eventurum ſit, quod Nos tam graviter perturbare, atque in graviores cogitationes inducere poſſit; ſed imò non denegandum Nobis confidimus id, quod rationi omninò congruit, ut

ſci-


ſcilicet Pontificiæ Ditionis Populi, nedùm à neceſſitate, ſed etiam à timore excipiendi, hoſpitandique tuos Milites eximantur. Nec ſanè, quò id obtineamus, commemorandas hìc eſſe ducimus eorumdem Populorum calamitates, ſatis, ſuperque perſpectas tum propter damna occaſione tranſitus exterorum Militum ipſis antehac illata, de quibus non ſemel coacti fuimus conqueri apud Te, qui quidem, petitionum noſtrarum æquitate cognitâ, coercendam eſſe tantam licentiam intellexiſti, à qua ipſi Milites adeò non temperant in præſens, ut nuper non exigua ipſorum manus intra ipſam Civitatem noſtram Boniæ ad exigenda victualia penetrare non dubitaverit: tum etiam ob recentem, ac notam nimiùm fluminum per ipſum Agrum Ferrarienſem decurrentium exundantiam, quæ abreptis frugibus, ac ſterilitate ipſi ſolo inductâ, ſummam in illis partibus rerum omnium, ac pabuli præſertim inopiam attulit. Nos enim hac in re cetera omnia omittimus, ut jus, faſque, cui unicè nititur Eccleſiæ libertas, proſequamur, & cum nihil Divinis, humaniſque legibus tam conſentaneum ſit, quàm ne Eccleſia in ſervitutem unquam redigatur, nevè hujuſmodi oneribus ſubjiciatur, Nos tam fœdam notam ei inuri, confidentibus Nobis hoc loco, ſi quid poterit ſolicitudo noſtra, nequaquam patiemur; ac interim Nobis pollicemur Majeſtatem Cæſaream nedum æqui, bonique conſulturam, ut in hoc propoſito conſiſtamus, ſed memorem ſe Advocati Eccleſiæ titulum unà cum Dignitate aſſumpſiſſe, curaturam eſſe, ne quid à ſuis, quod tanti nominis gloriæ repugnet, admittatur. Quod verò præcipuum eſt, affuturum Nobis eſſe confidimus Deum Omnipotentem, quem vindicem, & aſſertorem cauſæ noſtræ, ubi res expoſcet, interpellabimus. Sed interim ſpem abjicere nolumus, quin Tu ipſe, his auditis, ad relevandas tam acerbas Paterni noſtri cordis curas animum adjicias, & quin hiſce noſtris, quas ad Te non ſine multâ ægritudine ſcribimus, & per celerem Curſorem mittimus, ita reſpondeas, ut teſtimonium rectæ, egregiæ, ac obſequentis erga Eccleſiam voluntatis à Te retuliſſe lætemur. Et Nobilitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę &c. die 19. Decembris 1706. &c.

Digitized by Google

EPISTOLÆ
ET
BREVIA
SELECTIORA
ANNI MDCCVII.

Digitized by Google

Digitized by Google



VENITE FILIJ AUDITE ME TIMOREM DNI DOCEBO VOS.
Psal. 33. u. 12.

ARGUMENTUM

Patriarchæ Antiocheno gratulatur, quòd in Sinarum Imperium feliciter pervenerit, & ab illius Optimatibus honorificè exceptus, ab ipſo Imperatore ad Aulam accitus, ac ſplendidè ubique habitus fuerit. Ejuſdem Patriarchæ pietatem, atque prudentiam laudat, illique omnia Pontificiæ authoritatis præſidia, ac paternæ benevolentiæ teſtimonia pollicetur.

Venerabili Fratri, Carolo Thomæ Patriarchæ Antiocheno in Sinarum, ac aliis Indiarum Orientalium Partibus cum facultatibus noſtri, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legati Viſitatori Generali.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Inter tot curas, atque moleſtias, quas utique graviſſimas nunc temporis perferre cogimur, & quæ acceſſione tot malorum, quibus modò conflictatur Chriſtiana Reſpublica, multò magis ab eo tempore invaluerunt, quo Fraternitas Tua ſacram iſtam profectionem, charitate Chriſti, ac zelo ſalutis Animarum incenſa, Noſtriſque vocibus alacriter obſecuta ſuſcepit, effulſit tandem Nobis immiſſa deſuper à Patre Luminum, & Deo totius conſolationis lux aliqua, quæ cor noſtrum mirificè recrearet. Advenerunt ſcilicet ad manus noſtras diù à Nobis optatæ, ac aſſiduis votis expetitæ literæ tuæ, quæ die 20. Septembris 1705. à Xao-ceu-fu Provinciæ Cantonenſis datæ cer-

tio-

tiores Nos fecerunt Te emenſo demùm tanto Terrarum, Mariumque ſpatio, victiſque tot difficultatibus, atque periculis, quæ multa, & maxima fuiſſe, Te etiam reticente, facilè conjicimus, ad Sinarum Imperium cum tuis incolumem, benedicente Domino, perveniſſe. Suſtulimus itaque ad Cœlum manus, Deo gratias humiliter agentes, cui placuit tam læto nuncio ſolari ſpem noſtram, quæ certè magnoperè confirmata eſt, ex quo audivimus Te nedum ingenti lætitiæ ſenſu, & ſyncerœ devotionis affectu à Fidelibus iſtis, ſed præcipuâ etiam, & ſanè inſuetâ honoris ſignificatione ad Optimatibus iſtius Imperii receptum fuiſſe, mandante id nimirùm ipſo Sinarum Imperatore, ad cujus Aulam parato Tibi aditu per Dilectos Filios Religioſos Viros Societatis Jeſu, qui magno ſtudio in id, ut ſcribis, incubuerunt, accitus, & liberaliter, ac ſplendidè ubique habitus properabas. Quæ res cum non parùm aliquandò conducere poſſint ad promovendam animarum ſalutem, gratiſſimæ Nobis fuerunt; ſed illud in primis jucundum accidit, quòd in his omnibus, quæ in iſtis partibus à Te hactenùs facta fuiſſe audivimus, invictum zelum, quo pro Dei honore flagras, ſuſpeximus, & pietatem, ac prudentiam ſingularem, qua uteris, expendimus, & quòd ubique manum Domini greſſus, ac conſilia tua miſericorditer dirigentem agnovimus. Auſpicia tam læta optatos rerum eventus ſubſecuturos eſſe, perficiente Eo, qui cœpit, confidimus, quod ut ex ſententiâ contingat, quoties Sacris operabimur, proùt hactenùs fecimus, adjunctâ etiam precibus noſtris bonorum omnium oratione, poſtulabimus. Credimus interim Te viciſſim gratulaturum eſſe tantum ſolicitudini noſtræ levamen, & animo noſtro gaudium attuliſſe. Neque hìc Tibi commemorandum eſſe arbitramur, quàm parati ſimus Tibi authoritate noſtrâ, omnique præſidio ſemper adeſſe, cum ignorare non poſſis intereſſe valdè noſtri Muneris, noſtræque Dignitatis Tibi Dei cauſam agenti in omnibus aſpirare, ac propterea certum Te eſſe volumus Nos curaturos eſſe magnitudinem benevolentiæ noſtræ Tibi de Eccleſiâ Dei, & de Nobis probè meritò re ipſâ declarare, Venerabilis Frater, cui Apoſtolicam Benedictionem ex intimo Pontificii noſtri cordis peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 1. Januarii 1707. &c.

AR-

ARGUMENTUM.

Patriarchæ Antiocheni literis ex Cantonenſi Provinciâ datis reſcribit ſe jam improbaſſe audax Edictum nomine Archiepiſcopi Goani adversùs ipſius Patriarchæ authoritatem temerè promulgatum, eumque præterea ſeriò monuiſſe, ut congruam ſatisfactionem, ac debitam obedientiam eidem Patriarchæ præſtet; deindè ſubdit cogitare ſe de mittendis ad illas partes aliis Miſſionariis, qui expetita ſubſidia pro ejus, reliquorumque indigentiis ſublevandis afferant.

Venerabili Fratri, Carolo Thomæ Patriarchæ Antiocheno in Sinarum, ac aliis Indiarum Orientalium Partibus cum facultatibus noſtri, & Apoſtolicæ Sedis de Latere Legati Viſitatori Generali.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Acceptis literis Fraternitatis Tuæ ex Cantonenſi Provincia die vigeſima Septembris Anni milleſimi ſeptingenteſimi quinti datis, quarum vel ſolo aſpectu tantum ſanè gaudii percepimus, quantum moleſtiæ, quamdiù in earum expectatione fuimus, perſenſeramus; attentè in primis expendimus juſtam, ac rationabilem petitionem tuam, quâ dum læſam in Perſonâ tuâ Pontificiam noſtram Dignitatem acriter, ac jure quidem meritò conquerebaris, enixè expoſcebas, ut omninò curaremus ſarciri, ubi primùm fieri poſſet, graviſſimam hanc injuriam Pontificio nomini, & Apoſtolicæ Authoritati per enormem utriuſque contemptum illatàm. Quapropter ſtatim perlegimus Edictum tum nulliter, ac injuſtè, tum temerè ſub nomine Archiepiſcopi Goani ad confovendam quorumdam Fratrum Minorum Ordinis Sancti Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum contumaciam adversùs legitimam, & ampliſſimam Tibi à Nobis attributam poteſtatem in Civitate Medraſpatani, aut fortè etiam alibi, publicatum, & execrati ſumus Scripti illius, & Authoris (quicumque demùm Is fuerit) audaciam, & nihil interim priùs habuimus, quàm denunciare Fidelibus nullitatem, inefficaciam, ac temeritatem illius Edicti per Apoſtolicum noſtrum Diploma, cujus exemplaria typis edita ad Te tranſmitti curamus, ut quemadmodùm, atque ubi expedire duxeris, ea publicè proponi mandes. Et quamvis his attentis vix locus ſupereſſet ambigendi, utrùm Edictum de ejus mandato prodierit, cujus nomen in fronte præfert, nec ullo titulo excuſari poſſe videatur, qui Dignitatem, ac facultates, quibus à Nobis ampliſſimè inſtructus in eas Partes proficiſcebaris, ſcire ſe diſſimulabat, cum hæc ipſa Orbi univerſo perſpectiſſima eſſent, nihilominùs Venerabili Fratri Archiepiſcopo Goano literas dedimus, ſeriò Eum monentes, ut ubi ille ſibi conſcius ſit Edictum ſe mandante prodiiſſe, curet ſtatim ſatisfactionem congruam Apoſtolicæ Sedi, debitamque Tibi ipſi obedientiam præſtare, ne aliàs cogamur juxtà Canonum diſpoſitionem ad ulteriora progredi, ſeveriùſque in eum ſtatuere, quemadmodùm pro Munere noſtro tenemur, & quidem parati ſumus, niſi id, quod debet, perfecerit, ea omnia, quæ Nobis incumbunt, exequi. Cæterùm quod attinet ad augendum iſthìc Operariorum numerum, quemadmodùm pro ſpe meſſis opportunum, ac neceſſarium eſſe aliis tuis lite-

ris apertè admones, ſcire Te volumus Nos ſeriò cogitare de allegandis iſthùc primo tempore, ſi res ex ſententiâ ceciderit, aliis Miſſionariis, qui congrua præſidia, tum pro tuendâ Dignitate tuâ, tum pro relevandis ſingulorum indigentiis ad Te afferant, ac interim nulla media intentata relinquemus, quo rebus tuis, quàm celeriùs fieri poterit, conſultum ſit; quod ſi fortè ſegniùs id actum videatur elapſis annis, temporum conditioni, ac viarum difficultati tribuendum eſt; Confidimus tamen argumenta curæ, quam de Te gerimus, ad Te ſubindè perveniſſe. Bono itaque animo Te eſſe cupimus, ac volumus ut Tibi perſuadeas Te omnia, quæ ad dignitatem, & commodum tuum pertinent, facilè, ac alacriter à Nobis relaturum eſſe, Venerabilis Frater, cui in pignus benevolentiæ noſtræ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die primâ Januarii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

ARGUMENTUM

Graviter arguit Archiepiſcopum Goanum, quòd Edicto proximè memorato Patriarchæ Antiocheni Viſitatoris Apoſtolici Dignitatem, ac ſimul Apoſtolicæ Sedis authoritatem violare auſus fuerit, eique ſub canonicarum pœnarum interminatione injungit, ut perperam acta quamprimùm corrigat, Sedi Apoſtolicæ ſatisfaciat, debitamque obedientiam præfato Patriarchæ Viſitatori præſtare non differat.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Goano.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Significavimus Fraternitati Tuæ per noſtras Literas die trigeſimâ proximè elapſi Octobris datas incerto tum quidem, ſed publico rumore Nobis innotuiſſe Te progreſſum fuiſſe ad delenda, atque irritanda ea, quæ in iſtis partibus Venerabilis Frater Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus Viſitator Apoſtolicus in Partibus Indiarum Orientalium cum facultatibus noſtri, & hujus Sanctæ Sedis de Latere Legati egerat, atque conſtituerat. Quod ſanè cum alieniſſimum eſſet à loco, ac munere, quod in Eccleſiâ Dei ſuſtines, & nullo modo conſentiret cum obedientiâ, ac cultu à quovis Catholico Antiſtite Nobis, atque huic Sanctæ Sedi debito, fidem apud Nos nullatenùs mereri poterat, & tamen ne contingeret hujus ſcandali famam invaleſcere, Tibi per literas noſtras denunciandum eſſe duximus nemini quacumque Dignitate fulgenti, aut quavis poteſtate ſuffulto, licere, aut licuiſſe ad examen revocare, aut impugnare, ſivè irritare ea, quæ idem Patriarcha, & Viſitator Apoſtolicus tam amplis facultatibus à Nobis inſtructus præſcripſerat. Verùm non multò poſt certis nimiùm teſtimoniis, ac documentis admoniti fuimus prodiiſſe in lucem, ac in Diœceſi Meliaporenſi ſub nomine Fraternitatis Tuæ publicatum fuiſſe quoddam Edictum, quod nullum per ſe quidem, & injuſtum ſatis, ſuperque ipſum legentibus apparet, ac inſimul injurioſum nomini ipſius Patriarchæ Antiocheni, quippè qui in eo, tamquam reus uſurpatæ Dignitatis, ac Muneris, inauditâ prorsùs audaciâ, traducitur, cum tamen nihil tam ubique compertum vel tum eſſet, præſertim verò in ea Diœceſi, quàm Munus, quo ille fun-

gebatur, ab ipſo Venerabili Fratre Epiſcopo Meliaporenſi probè agnitum. Eſt præterea Edictum illud omninò læſivum Juriſdictionis ipſi Patriarchæ à Nobis commiſſæ in omnes Fideles iſtarum partium, eſtque demùm per omnia temerè, & in manifeſtum contemptum Pontificiæ Authoritatis conceptum, atque dictatum. Muneris proinde noſtri eſſe duximus hoc ipſum Edictum cum omnibus inde ſecutis, & quandocumque ſecuturis, Apoſtolico noſtro Diplomate abrogare, illorumque nullitatem, inefficaciam, ac temeritatem Fidelibus omnibus, quemadmodùm fecimus, palàm declarare, ac denunciare. Te interim pro rei gravitate monemus, ut ſi fortè cor tuum Te redarguat, quòd Edictum illud, Te Authore, aut ſaltem conſentiente, ſivè conſcio, quod adhuc quidem vix credere poſſumus, prodierit, ne differas eam Apoſtolicæ Sedi ſatisfactionem, qualem læſa enormiter ipſius authoritas poſtulat, præbere, itemque ne prætermittas obedientiam debitam eidem Patriarchæ Antiocheno ſtatim præſtare, ne Nos ſubinde cogamur, pro aſſerendâ, ut par eſt, traditâ Nobis divinitùs authoritate, ea media, quæ ex Sacrorum Canonum diſpoſitione hujuſmodi caſibus congruunt, adhibere, ac ſeveriùs in Te ſtatuere, quàm pro noſtrâ erga Te voluntate cuperemus. Et Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die primâ Januarii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

ARGUMENTUM

Cùm per alias literas facultatem Epiſcopo Meliaporenſi tribuiſſet abſolvendi cum reincidentiâ Religioſum quemdam Virum ex Ordine Cappuccinorum à cenſuris, in quas incidiſſe à Viſitatore Apoſtolico ob denegatam ſibi obedientiam denunciatus fuerat, Sua Sanctitas tempus declarat, atque præſcribit, intrà quod prædictus Epiſcopus ejuſmodi facultate uti debeat.

Venerabili Fratri, Epiſcopo Meliaporenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Denunciavimus Fraternitàti Tuæ ſuperioribus literis die trigeſimâ proximè elapſi Octobris datis, quid à Nobis conſtitutum fuiſſet circà Perſonam Religioſi Viri Michaelis Angeli Turonenſis ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum, quem conſtabat graviſſimè deliquiſſe, denegatâ debitâ obedientiâ Venerabili Fratri Carolo Thomæ Patriarchæ Antiocheno Viſitatori Apoſtolico cum poteſtate noſtri, & hujus Sanctæ Sedis de Latere Legati ad Sinarum, aliaque Indiarum Orientalium Regna à Nobis allegato, ut fuſiùs in eiſdem ad Te noſtris literis explicavimus, ubi etiam adjecimus, quod ſpirituali periculo ipſius Michaelis Angeli commoti, hortati fuerimus eumdem Patriarcham, ut quatenùs idem Religioſus Vir facti pœnitens, abſolutionem ab Excommunicationis ſententiâ in ipſum latâ, tum etiam diſpenſationem ſuper Irregularitate contractâ humiliter petiiſſet, utramque ipſi impoſitâ ſalutari pœnitentiâ miſericorditer impertiri vellet, ità tamen ut idem Religioſus Vir à Civitate Madraſpatani, niſi aliter ipſi Patriarchæ viſum fuiſſet, ſtatim abſcederet, prout aliàs Superioribus Ordinis injunxeramus. Interim verò Fraternitati Tuæ per eaſdem noſtras literas indulſimus,

ut quatenùs prçfatus Michael Angelus admiſſorum dolore tactus pœnitentiæ ſigna daret, ac abſolvi, ſecumque diſpenſari poſtularet, ipſi ad tempus Tibi beneviſum, cum reincidentiâ tamen, ac impoſitis pariter ſalutaribus pœnitentiis, abſolutionem, ac diſpenſationem (ut præfertur) impertiri poſſes, quod ideò decrevimus, ne ipſe, cui propter locorum intervalla abſolutionis, ac diſpenſationis ab eodem Patriarchâ Antiocheno obtinendæ beneficium protrahi neceſſe erat, cenſurarum vinculis miſerè innodatus interim exiſteret. Porrò quamvis certò Nobis perſuaderemus Te facultate Tibi à Nobis, ut præmittitur, attributâ tam ſobriè, ac prudenter uſurum fuiſſe, ut ſpatium ad petendam, atque obtinendam à Patriarchâ abſolutionem ad tempus Tibi beneviſum, tuo ſcilicet arbitrio relictum, non paſſurus fuiſſes incertum, atque indefinitum, aut plus quàm res ipſa poſtulet, productum eſſe: ne tamen ulla anſa Contumaci ſubtrahendi ſe denuò à debita erga Patriarcham obedientiâ præbeatur, declaramus mentem noſtram fuiſſe, & eſſe, ut hujuſmodi temporis ſpatium per Te præſcribendum, ſeù forſan præſcriptum iis terminis arctetur, quibus petitione ſtatim factâ reſponſum, penſatâ æquè, ac congruè locorum diſtantiâ, commodè haberi poſſit: quo temporis ſpatio elapſo ſciat is, qui deliquit, ſe iiſdem, quibus anteà, vinculis irretitum eſſe, nec abſolutione, ac diſpenſatione à Te obtentâ ampliùs gaudere poſſe; quod idem per omnia obſervari volumus cum ceteris omnibus ejuſdem Ordinis, qui ante, vel poſt ejuſdem Patriarchæ diſceſſum à Pudycherio ſimiliter deliquerint, & in eaſdem Cenſuras inciderint. Neque verò id grave ei videri debet, qui novit, quàm temerè, ac palàm authoritatem Apoſtolicam in ipſius Patriarchæ Dignitate, ac Munere contempſerit, prout ex aliis, atque aliis facti circumſtantiis nimiùm Nobis ſubindè innotuit. Tuum itaque erit id totum, quod ad hujuſmodi negotium pertinet, ex mente noſtrâ conficere, ac Fideles omnes, & in primis Religioſos Viros tùm monitis, tùm exemplo excitare ad prçbendam Romano Pontifici, Apoſtolicæ Sedi, ac aliis ab eâ authoritatem habentibus debitam obedientiam, quod Te exactè impleturum confidimus, Venerabilis Frater, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die prima Januarii 1707. Pontificatus Noſtri Anno VII.

AR-

ARGUMENTUM

Quòd Germani Milites in Eccleſiaſticam Ditionem inopinatò irruperint, ibique hybernas ſtationes figere meditentur, eorumque Duces menſtruas pro illis alendis pecuniarum præſtationes à Legatis Ferrarienſi, & Bononienſi poſtulare auſi ſint, cum Imperatore Joſepho graviſſimè conqueritur, & à Majeſtate Suâ, ut ejuſmodi attentata quamprimùm corrigat, prædictamque Ditionem omninò inviolatam eſſe ſinat, vehementer expoſcit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Quæ diebus elapſis Ferrariâ Nobis nunciata ſunt de inopinatâ Germanorum Militum irruptione in noſtram Eccleſiaſticam Ditionem, adeò animum noſtrum commoverunt, ut ſtatim ad Nos Dilectum Filium Noſtrum Vincentium S.R.E. Cardinalem Grimanum advocaverimus, cum eo de illata Nobis, atque Apoſtolicæ Sedi injuriâ graviter expoſtulantes, ipſique injungentes, ut ſedulis officiis ſuis apud Dilectum Filium Nobilem Virum Principem Eugenium à Sabaudiâ Supremum Exercitus tui in Italiâ Moderatorem ageret, quò Nos & præſentibus malis eximeremur, & quæ majora per hybernas, quas fama ponendas vulgaverat, Militum ſtationes imminere poterant, evaderemus. Noſtras etiam eâ de re Apoſtolicas literas ad eumdem Eugenium Principem adjecimus, quibus acerbum animi noſtri ſenſum de hujuſmodi à Ducibus Catholicis in Eccleſiæ contemptum æquè, ac detrimentum attentatis ſeriò expreſſimus. Verùm emendationis loco, quam petebamus, redditis nuperrimè Nobis ejuſdem Eugenii Principis literis inutilia verborum officia, & vanas prorsùs excuſationes accepimus, neceſſitatem quandam, ſeu potius prætextum propulſandorum Majeſtatis Tuæ hoſtium obtendentes; Miſſo enim, quòd nullus modò Gallorum Militum in Terris noſtris verſatur, aut facilè rediturus timetur, quænam tandem neceſſitas aut adduci, aut fingi poteſt, aliena rapiendi, inſontibus nocendi, amicos vexandi, ſupremam, ac liberam Pontificiam juriſdictionem perturbandi, uno verbo, in Deum, & Eccleſiam peccandi? Iteratis intereà nunciis quotidiè admonemur illata Subditis noſtris à Cohortibus tuis damna invaleſcere, & quod prorsùs intolerandum, & hactenùs inauditum eſt, quorundam Ducum eòuſque audaciam proceſſiſſe, ut & hyberna Militum hoſpitia, & menſtruas pro iis alendis pecuniarum præſtationes ab ipſis Legatis noſtris Ferrarienſi, & Bononienſi impudenter expetere, quin etiam integras jam Legiones finibus noſtris eo conſilio immittere, non ſine graviſſimo pauperum illorum, & multis recentibus malis afflictorum Incolarum detrimento, & exitio auſi fuerint, perindè ac ſi cum aperto hoſte, non cum amico Principe, amantiſſimoque Parente (quales Nos erga Majeſtatem Tuam eſſe ſcimus, & Deus ipſe, qui ſecreta cordium ſcrutatur, agnoſcit) eique ſubditis Populis ageretur. Quare Nos ampliùs tacere non valentes, aut noſtrorum, etiam quoad temporalia, Subditorum neceſſariam tuitionem ultrà differre, ne apud Deum, & homines proditæ turpiter Eccleſiaſticæ Libertatis rei efficiamur,

ea quamprimùm adhibere remedia conſtituimus, quæ traditæ Nobis divinitùs poteſtati competunt, quæque in tam gravi negotio ſine maximâ neglecti noſtri Muneris culpâ omittere non poſſumus. Abſit enim, ut fædum adeò inferamus crimen gloriæ noſtræ, quâ tamen non in Nobis (gloria enim noſtra nihil eſt) ſed in Domino gloriari volumus, & debemus. Erit profectò adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui ſperantes in ſe confundi non patitur, fidenterque cum Propheta clamabimus: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Hi in curribus, & hi in equis, Nos autem in nomine Domini*. Inſimul tamen ad ipſam Majeſtatem Tuam, cujus perſpecta Nobis inſignis pietas, & avita, quam à clariſſimis Progenitoribus hauſiſti, ergà hanc S. Sedem Religio plenam Nobis fiduciam parit querelas noſtras paternè quidem, ſed eâ nihilominùs, quæ ſummum, licèt immeritum Dei Sacerdotem decet, libertate deferre ſtatuimus, hortantes Te, atque Unigeniti Filii Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti nomine, cujus vices in Terris gerimus, enixiùs requirentes, ut Eccleſiaſticam Ditionem, quæ ſacrum B. Petri Apoſtolorum Principis Patrimonium exiſtit, inviolatam eſſe omninò ſinas, neque S. R. E. quæ non ancilla, ſed libera eſt, jura, & immunitatem à Militibus tuis ullo pacto temerari permittas. Longè ſiquidem à piiſſimâ Majeſtatis Tuæ mente abſona eſſe arbitramur tam iniqua Militum tuorum facinora, atque etiam iniquiora conſiliâ, quæ proindè & indignatus audies, & protinùs, ut omnis juſtitia exigit, emendari curabis. Quis enim credat paſſuram aliquando Majeſtatem Tuam arma præcipui Romanæ Eccleſiæ Defenſoris, quo titulo non minùs,quàm ipsâ Imperii adminiſtratione gloriaris, contra Romanam ipſam Eccleſiam violentâ Terrarum ejus perturbatione converti? iiſdemque Sedi Apoſtolicæ ſubjectis Populis hoſtili manu expoliandis adhiberi, qui paucos ante annos ſuis ipſis opibus orbari ſe æquo animo tulerunt, ut ampliſſima Auguſtiſſimæ Domui Tuę Turcico bello vexatæ ſubſidia pararentur? Quod quidem, ut ipſa per ſe Majeſtas Tua liquidò agnoſcit, abſque ingenti inclyti Nominis tui dedecore, atque univerſæ Eccleſiæ Dei ſcandalo, ſed & ipſius Imperii tui, Deo ulciſcente, damno, animæque tandem verendâ pernicie fieri omninò non poſſet. Speramus itaque, ac certò Nobis pollicemur Majeſtatem Tuam agnitâ cauſæ, quam ſuſtinemus, juſtitiâ,Nos è graviſſimis hiſce anguſtiis illicò liberaturam, ſanctæque Eccleſiæ non lędendæ, non onerandæ, non affligendæ, ſed tuendæ potiùs, fovendæ, atque omni beneficiorum genere amplificandæ ſtudia, & cogitationes tuas omnes impenſuram. Hæc conſervandi, hæc ſtabiliendi, hæc augendi feliciter Imperii tui tutiſſima erit ratio, ſi ſcilicet, ut ſapienter olim Prædeceſſorem quemdam tuum ſanctiſſimi Epiſcopi monuerunt, ita Te Sanctæ Matris Eccleſiæ memineris Filium, ut ejus paci, atque tranquillitati prodeſſe tuum facias Principatum; Magis enim Chriſtianum regitur, atque propagatur Imperium, dum Eccleſiaſtico ſtatui conſulitur, quàm cum in parte quacumque Terrarum pro temporali ſecuritate pugnatur. Et Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ, Chariſſime Fili Noſter, amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 4. Januarii Anno 1707. &c.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM.

Dilecto Filio Nobili Viro Principi Salmenſi Cæſareæ Majeſtatis Aulæ Pręfecto.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Compertum eſt Nobis Nobilitatem Tuam eâ eſſe fide, ac ſtudio ergà Cæſaream Majeſtatem, ut tua maximè intereſſe exiſtimes, ne ullum unquam apud ipſam Majeſtatem aditum inveniant ea conſilia, quæ juſtitiæ, ac pietati, hoc eſt, veteri in utraque excolendâ inſtituto Auſtriacæ Domus vel minimùm adverſetur, ac proindè facere non poſſumus, quin ſolicitudinem noſtram explicemus perſpectæ prudentiæ, atque integritati tuæ nunc, quando timere eſt ne fortè ſint, qui ſubductâ, aut offuſcatâ Cæſari veritate conentur ipſius mentem pertrahere in deliberationes ab eo propoſito prorsùs alienas in magnam Pontificii nominis, & Apoſtolicæ Sedis injuriam, atque contemptum; cum enim multa, & quidem graviſſima, ac prorsùs inaudita palàm, ac manifeſtè attententur in præſens ab his, qui copiis Cæſareis in Italiâ magno cum detrimento, ac cum intolerabili planè præjudicio Eccleſiaſticæ Ditionis, in qua non ſecus, ac in propriis, aut in ſubditorum Populorum terris, ſivè potiùs in hoſtium agris, illi ipſi licere ſibi putant hyberna facere, Incolaſque ad pendenda graviſſima onera obſtringere, impetunt apertè Jura, libertatem, ac Immunitatem Eccleſiæ, ac trahunt flagella ab omnipotenti illius manu, qui ſuis ſanctis aſſeruit: *Qui Vos ſpernit, Me ſpernit*. Hæc eſt ſumma eorum, quæ Nos Cæſareæ Majeſtati per celerem Curſorem magno cum animi noſtri ſenſu denunciamus, qui ſicut certi ſumus, atque parati officium noſtrum in aſſerendis, ut par eſt, uſque ad extremum vitæ ſpiritum Eccleſiæ rationibus, non deſerere, ſic ambigere non poſſumus, quin ſi Cæſar paternis noſtris vocibus monitus ſeriò advertat, quàm graviter per hujuſmodi actus læditur juſtitia, ac debita in Pontificium nomen, ac Eccleſiaſtica jura religio, atque obſervantia, ad hos motus authoritate ſuâ coercendos, atque omninò ſubmovendos animum ſtatim convertat; in quo conſilio, ut par eſt, per Eum ſuſcipiendo certò Nobis pollicemur Te, petitionum noſtrarum omnimodâ æquitate cognitâ, operam tuam, ac diligentiam, ubi è re erit, pręclarè poſiturum, ne Cæſar hoc animæ, ac famæ periculum incurrat: quo ſtudio non minùs præſtantiam tuæ in Eum voluntatis, & cultus, quàm Filialem in Nos, atque in hanc S. Sedem obſervantiam præclarè teſtaberis. Noſque interim in pignus Paternæ Noſtræ charitatis Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 4. Januarii 1707. &c.

ARGUMENTUM

Novarum in Regno Poloniæ perturbationum allato rumore, Epiſcopo Varmienſi, qui paulò ante ab Urbe diſceſſerat, moleſtiam indè conceptam ſignificat, ſimulque Pontificiæ mentis confirmat propoſitum promovendi omni ſtudio publicam ejuſdem Regni tranquillitatem, ac ipſum Epiſcopum, ut ſui officii partes hunc eumdem in ſcopum ſedulò obire non prætermittat, paternè adhortatur.

Venerabili Fratri, Epiſcopo Varmienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Invaluit hic in Urbe poſt diſceſſum Fraternitatis Tuæ allatus undique rumor novarum commotionum in Regno Poloniæ, undè timere eſt, ne optata tranquillitas eriùs, quàm pro afflicto illarum rerum ſtatu oporteret, ipſi Regno contingat. Quod ad Nos attinet, conſtitutum Nobis eſt, ſalvâ ſemper indemnitate Catholicæ Religionis, ac Dignitate Apoſtolicę Sedis, conſtanter hærere propoſito Tibi coram explicato promovendi, quantùm facultas erit, omni ſtudio pacem, atque tranquillitatem ejuſdem Regni, quam çum libertate ipſius Nationis, & cum obſervantiâ legum intelligimus eſſe neceſſariò conjunctam. Ex his verò, quæ illinc certiùs ad Nos ſubindè deferentur, rationem inibimus eorum, quæ pro executione ejuſdem conſilii, ac ſenſus noſtri demandanda eſſe arbitrabimur Venerabili Fratri Julio Archiepiſcopo Rhodienſi Nuncio illic noſtro. Interim facere non poſſumus, quin Te pro ſingulari noſtrâ in Te charitate commoneamus, ut in tantâ rerum perturbatione memor omninò ſis debiti, quod Tibi cum ipsâ Dignitate injunctum eſt, & ut ſeriò perpendas diſtrictam Tibi Deo reddendam eſſe rationem, niſi talenta liberaliter Tibi ab eo credita, proùt major ipſius gloria exegerit, aut Eccleſiæ bonum tulerit, alacriter impenderis. Et Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 15. Januarii 1707. &c.

ARGUMENTUM

Petit quàm enixè à Rege Portugalliæ, ut authoritate, zeloque ſuo removeri quamprimùm curet impedimenta à Batavis interjecta, quominùs Archiepiſcopus Cranganorenſis in illius Eccleſiæ poſſeſſionem inducatur, illorumque Fidelium Paſtorali regimini incumbat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Petro Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Soliciti de ſpirituali ſalute Chriſtifidelium, qui ſunt in partibus Serræ Malabarium, perpendimus non ſine ſummo dolore eos in magno animarum ſuarum periculo verſari, ſi contingat Venerabilem Fratrem Joannem Archiepiſcopum Cranganorenſem, cujus Paſtorali curæ ea non exigua Dominici Gregis portio eſt demandata, diutiùs indè abeſſe, quin etiam à capiendâ illius Eccleſiæ poſſeſſione repelli. Nec ambigimus, quin difficultates, quæ interceſſerunt, ab Acatholicis, hoc eſt à Batavis, qui in illis partibus dominantur, fuerint excitatæ: quod Majeſtati Tuæ pariter perſpectum eſſe ex tuis literis die 14. Julii anni proximè elapſi ad Nos datis probè cognovimus. Verùm ne hac occaſione immeritò traducantur Religioſi Viri Ordinis Carmelitarum Sanctæ Thereſiæ Excalceatorum nuncupatorum, præſertim verò Venerabilis Frater Angelus Epiſcopus Metellopolitanus Vicarius Apoſtolicus, tanquam ſi Ipſi præfatas difficultates aliquo modo confoviſſent, æquum eſſe ducimus, re exploratâ, Tibi explicare eos adeò in hoc non deliquiſſe, ut omnem prorsùs moderationem, ac reverentiam, appropinquante ad eas partes Archiepiſcopo Cranganorenſi, ſervaverint. Res itaque eò redit, ut impedimentum omne Magiſtratibus Acatholicis ibi conſidentibus tribuendum ſit, ac proinde operæ pretium feceris, ſi authoritate tuâ ita apud Hollandiæ Status Generales egeris, ut obices interjecti, quominùs Archiepiſcopus præfatus in illius Eccleſiæ poſſeſſionem inducatur, quantociùs fieri poterit, removeantur, quibus ſublatis Vicarius Apoſtolicus in mandatis habet ab omni prorsùs actu, qui ad ſpirituale regimen illorum Fidelium pertineat, ſtatim abſtinere: quod ut clariùs perſpectum Tibi ſit, tenorem ipſius Mandati, cujus exemplar iſthùc tranſmittitur, oſtendi voluimus Majeſtati Tuæ, cui in pignus Paternæ noſtræ benevolentiæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 15. Januarii 1707. &c.

ARGUMENTUM

Quæ ab hæreticis Militibus ſub Cæſareis vexillis in Italiâ verſantibus in contemptum non minùs Pontificiæ authoritatis, quàm Catholicæ Fidei detrimentum, palàm attentabantur, Imperatori denunciat, ejuſque pietatem enixè rogat, ac obteſtatur, ut authoritate ſuâ eorumdem Militum licentiam coerceat, & rei Catholicæ indemnitati opportunè proſpiciat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Ne anteactis malis cumulus deeſſet, adjecta eſt iis curis, quas Majeſtati Tuæ paulò ante explicatas animo indeſinenter verſamus, nova, ac ſanè acrior ſollicitudo ob periculum Catholicæ Religionis, quo imminente non eſt liberum Nobis tacere, niſi velimus Ovibus Nobis creditis, pro quibus, ubi res expoſcat, animam ponere tenemur, Paſtoralis vocis officium denegare. Dùm itaque præ multitudine doloris, atque mæroris loquimur, diligentes aures præbe Nobis, Chariſſime Fili Noſter: non enim levis, aut negligenda eſt cauſa, quæ Nos urget. Exploratum Tibi eſt quota pars eorum Militum, qui magno numero ſub tuis vexillis afflictæ Italiæ incubant, hæreſi infecta ſit. Tibi verò nondum perſpectum eſſe credimus, quod illi ipſi hæreſi infecti producant conſilia ſua, & quid, arrepta hac occaſione occultè moliantur, nimirum ſua audaciâ, ac militari licentiâ freti errores ſuos in corda Fidelium ſenſim immittere ſatagunt: quo nomine non ceſſant ſacra Catholicæ Romanæ Eccleſiæ Myſteria contemnere, & Dignitati, ac Poteſtati Pontificiæ paſſim illudere. Verendum verò eſt, quod dolentes dicimus, ne id, quod illi hoc tempore ipſis ſatis, ac nimiùm commodo attentant, non multò poſt obtineant: nam ſicut peſtis, quæ corpora inficit, nunquàm acriùs ſævit, aut latiùs graſſatur, quàm cum in frequentiam hominum incidit, ſic illa, quæ longè deterior eſt, animarum lues extremam perniciem ſpirituali ſaluti tum maximè afferre poteſt, cum inducitur in Civitates, ac familiari hoſpitio recipitur. Augent periculum conventus, quos ipſi Hæretici inter ſe habent, tum conciones, ac damnatæ ceremoniæ, quibus liberè dant operam; vix enim fieri poteſt, quin hujuſmodi abominationes, etſi privatim exerceantur, in vulgus ſenſim non pervadant, & puſillorum animos non offendant primùm, deinde etiam non pervertant. Siquis autem ſeriò perpendat quàm deplorabile ſit vel unius animæ exitium, ſatis intelliget, quanti referat, ne multæ turmatim ad interitum deducantur. Vides, Cæſar, quàm celeri, validoque remedio occurrendum ſit morbi initiis, ne, cum malum invaluerit, præſidium fruſtrà quæratur. Voca in conſilium ingenitam, & avitam pietatem tuam, & cohibe authoritate hujuſmodi auſus in teſtimonium illius zeli, quo pro Divino honore, & pro Catholicæ Religionis integritate, par eſt Te incendi; dum Nos Majeſtati Tuæ Apoſtolicam

Digitized by Google

Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 22. Januarii 1707. Pontificatus Noſtri Anno VII.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimę in Chriſto Filię Noſtrę, Eleonorę Magdalenę Thereſiæ Hungariæ, & Bohemiæ Reginæ Illuſtri, in Romanorum Imperatricem Electę Viduæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Renuit conſolari anima noſtra, niſi graviſſimo ſcandalo, de quo meritò anxia, & ſolicita eſt, celerrimè occurratur: quod quidem ſcandalum ob oculos Fidelium verſatur in quibuſdam Italiæ partibus, ubi Hæretici liberum exercitium ſuæ Sectæ temerè uſurpant, & licere omnia ſibi putant, quia ſub Cæſareis auſpiciis ſtipendia faciunt. Nos verò, qui certò ſcimus hoc prorsùs alienum eſſe à rectâ, ac piâ Cæſaris mente, Ipſum literis noſtris enixè hortamur, ac obteſtamur, ut hujuſmodi auſus ſua authoritate compeſcat, ne quod aliàs timendum eſſet, ſi negligentiùs eâ in re ageretur, malum latiùs ſerpat, & electam hanc Dominici Agri partem inficiat. Non exiguam interim ſpem conſtituimus in eximiâ virtute Majeſtatis Tuæ, quam confidimus ſedulò curaturam eſſe, ut ejuſdem Imperatoris inclyti Filii tui menti ſic inhæreant Paterna noſtra conſilia, ut ſtatim adhibeatur congruum remedium, cujus dilatio periculum magnoperè augere, & integritati, ac puritati Catholicæ Fidei vehementer obeſſe poſſet. Cupimus itaque, ut in cauſa tanti momenti nullis parcas officiis, aſſecutura, ſi id perfeceris, uberrimam mercedem à Deo, relatura etiam à Nobis omnia argumenta Pontificiæ Charitatis hoc nomine, quaſi inſigni quodam beneficio, Tibi conciliandæ. Interim in auſpicium felicitatis Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Januarii 1707. Pontificatus Noſtri Anno VII.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Religioſo Viro, Inghilberto Biſcoff è Societate Jeſu, Cæſareæ Majeſtatis Confeſſario.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, ſalutem &c. Paucis Tibi exponimus ingens doloris noſtri argumentum, confiſi rei gravitate Tibi detectâ operam, ac diligentiam tuam, qualem res ipſa poſtulat, non defuturam. Aper de ſylva non jam circuit, ſed ingreſſus eſt vineam Domini, & depaſcitur eam. Sed

præſtat periculum apertis verbis denunciare. Hæretici, qui in Italiâ non exiguam Cæſarei Exercitus partem conficiunt, hæreſis veneno, quo ipſi ſuo malo imbuti ſunt, inficere Fideles parant, ac proindè de rebus ſacris, deque Eccleſiaſticâ Poteſtate, ac de Pontificia Dignitate temerè, ac palàm obloquuntur. Interim verò cœtus ſuos cogunt, falſa loquentes ex Cathedris peſtilentiæ, ac execrabiles ſuos Ritus liberè exercent. Monitam pro munere noſtro de his omnibus facimus Majeſtatem Cæſaream, quam per ſe ſatis intellecturam eſſe credimus, quanti ſua interſit occurrere ſuâ authoritate hujuſmodi abominationibus, nè malorum, quæ indè innumera, & graviſſima in perniciem Animarum confici poſſunt, ulla in ſe culpa recidat. Quæ verò partes in hac cauſa, quæ Dei honorem directè reſpicit, Tibi incumbant, pro tuâ prudentiâ probè agnoſces. Supereſt, ut dignam tuo loco operam impendas, dum Nos Tibi, Dilecte Fili, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Januarii 1707. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Principi Eugenio à Sabaudiâ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Quemadmodùm Officii noſtri fuit graviter conqueri apud Nobilitatem Tuam, ubi Jura, ac libertatem Eccleſiæ ab his, qui tuæ authoritati ſubſunt, attingi, ac manifeſtè lædi conſpeximus, ita quidem, multòque acriùs Paſtoralem vocem edere cogimur nunc, quando Oves Chriſti ſanguine redemptas, Nobiſque commiſſas in proximo contrahendæ mortiferæ labis diſcrimine conſtitutas eſſe cognoſcimus. Magnum ex conſuetudine Hæreticorum cum Fidelibus ob pronas in malum mentes hominum imminere periculum quis non intelligit? Nos quidem Gregi Fidelium ex tunc timere cœpimus, ubi audivimus ingentem acatholicorum Militum numerum invehi in Italiam, ſed ex timore, quem timebamus, ſenſim dilapſi ſumus in ſummum dolorem, quo in præſens intimè cruciamur. Admonemur enim ab his, qui Paſtorale munus obeuntes excubant in illis partibus, in quibus hujuſmodi homines moras protrahunt, & hoſpitantur, eos ipſos homines audaciâ ſuâ fretos rebus ſacris, & Eccleſiaſticæ authoritati paſſim illudere, ac ubique ponere ob oculos puſillorum ſcandala, ac abominationes ſuas, eoſdemque neque à Concionibus, neque à damnato, ac execrato Rituum ſuorum exercitio abſtinere. Niſi itaque Tu Divini honoris zelo tactus, & noſtris etiam Paternis vocibus non ſine gemitu effuſis commotus cohibeas authoritate tuâ tantam temeritatem, malum vix adhuc quidem detectum ita ſæviet, ita dilatabitur, ut poſtea dolendum erit potiùs, quàm facilè ſanandum; pertinet autem ad Te vehementer, ne Catholicæ Religionis cauſam neglexiſſe videaris. Aſpiret Deus ope ſuâ ſtudiis, atque conſiliis, quæ impendet cauſæ tam neceſſariæ Nobilitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 22. Januarii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

ARGUMENTUM

Diſſidia in Congregatione Miſſionis oborta ſedari peroptans, illius Superiorem Generalem ſeriò, ac paternè monet, ut miniſterium ſuum eâ moderatione, ac temperantiâ obire ſtudeat, quæ pacis cupidum, & charitatis amatorem Præpoſitum decet, ac ita ſe gerat, ut Sodales ſui, præſertim Itali, non quaſi Dominantem in Clero, ſed Parentem ſentiant, atque experiantur; Eique deinde nonnulla injungit ad rectum Congregationis regimen, ac neceſſariam tranquillitatem ſtabiliendam opportuna.

Dilecto Filio, Franciſco Vvatel Superiori Generali Congregationis Miſſionis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, ſalutem &c. Optata cunctis pax, & tranquillitas Congregationis Veſtræ, quam Tibi datis ad Nos literis jam gratularis, non quidem, ut putas, edito nuper Cardinalium deputatorum Decreto adhuc firmata, aut comparata eſt, ſed potiùs ex moderato prudentiæ tuæ, ac verè paterno in ſpiritu lenitatis regimine, Deo potiſſimùm adjuvante, ſperanda eſt. Niſi enim firmiter in animum tuum induxeris eâ Te ratione erga Italos Fratres tuos in poſterùm gerere, ut nulla querelarum occaſio, immò nec umbra quidem ſuperſit, animorum perturbationes præteritis diſſidiis eò jam deveniſſe conſpicimus, ut planè verendum ſit, ne fiant noviſſima veſtra pejora prioribus; Noſque immutandi regiminis veſtri conſilium, quod opportunum huc uſque non duximus, neceſſarium tandem exiſtimare compellamur. Quamobrem Te primùm hortari præſentibus hiſce literis noſtris, ac ſeriò etiam admonere decrevimus, ut iis omnibus, quæ offenſionem parere ullo modo poſſunt, è medio ſublatis, eâ in exercendo Miniſterio tuo temperantiâ utaris, ut Itali præſertim Sodales tui, non quaſi Dominatorem in Clero, & partâ veluti victoriâ exultantem, ſed pacis cupidum, charitatis amatorem, uno verbo, Parentem, quod amoris potiùs, quàm poteſtatis vocabulum eſt, omninò ſentiant, atque experiantur. In id verò conducet maximè, ſi binos Presbyteros, qui ad Romanam Domum ultimi ex Galliâ miſſi ſunt, quive turbarum pars extitere non minima, ſtatim revoces, relictoque in Avenionenſi Collegio Sacerdote, quem ibi authoritate noſtrâ Præſidem conſtitutum amovere Te nullatenùs poſſe ſcire planè debueras, novos per Italiam tam Domorum, quàm Provinciarum Præpoſitos, quorum electionem non ampliùs protrahendam cenſemus, ejuſmodi eligas, qui iis, quos regere debebunt, non inviſi, ſed grati, prudentes, & fraternitatis amatores, adeòque componendis contentionum reliquiis, fovendæque omnium paci aptiores judicari poſſint. Quod quidem ut certiùs obtineamus, eorumdem omnium cathalogum, antequam in publicum prodeat, ſecretò ad Nos tranſmitti à Te volumus, ne qui fortè fallacibus, aut minùs exactis relationibus Tibi, qui longè poſitus ſingulos per Te ſatis noſſe non vales, minùs idonei fortaſsè obtrudantur. Nos enim pro ſupremi Muneris noſtri debito, ac ſingulari, qua Congregationem Veſtram charitate complectimur, id omninò aſſequi volumus, ut Præfectorum deputatio, ſicut & cetera, quæ ad proſperum Inſtituti veſtri ſtatum, atque incrementum pertinent, rectè diſponan-

tur, omniaque, ut Apoſtolus monet, honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant. Ità nempè intendimus honori, ac dignitati tuæ conſulere, ut communi ſimul ejuſdem Congregationis utilitati proſpectum ſit, ſtatuendæque, ut par eſt, inter Vos, unitati ſpiritus in vinculo pacis. Hunc in finem omne Apoſtolicæ authoritatis noſtræ ſubſidium, ac providentiam, Deo adjuvante, conferre parati ſumus, & Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Januarii 1707. &c.

ARGUMENTUM

Sex ſacros Hiſpaniarum Antiſtites ſingillatim graviter admonet, ut quamdiù in illis partibus propter belli calamitatem inſederint homines hæreticâ labe infecti, diligentiſſimè caveant, ne ſuo veneno illos Fideles corrumpant; & Paſtoralis officii partes in tuendâ Orthodoxæ Religionis puritate ſolerter, ac ſtrenuè obire curent.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Eccleſiæ N. N.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Etſi confidere debeamus Fraternitatem Tuam, cujus in obeundo Paſtorali munere adeò commendata eſt vigilantia, operam, ac diligentiam ſuam in cuſtodiendis creditis Ovibus eò præclariùs nunc temporis poſituram eſſe, quò in majus diſcrimen propter perturbata Chriſtianæ Reipublicæ tempora res ſacræ cum humanis adduci videntur; Nos tamen, qui ex hac ſpeculâ ſolicitudine pleni turbinem in perniciem ſpiritualis multorum ſalutis adventantem conſpicimus, aut certè timemus, imminentis periculi admonendum Te eſſe ducimus, ut in eo avertendo ſtudia tua acriùs impendas; ſanè nunquàm magis timendum eſt, ne in Civitatibus, ac Regnis etiam benè, ac rectè inſtitutis Chriſtiana diſciplina laxetur, frigeſcat charitas, periclitetur ipſa Religio, quàm cum in eis iræ, & bella exercentur, arma tractantur, militaria caſtra, à quibus exulare ſolet pietas, conſtituuntur; præſertim verò ubi in his diutiùs conſideant homines hæreticâ labe infecti, qui profectò nihil antiquius habent, quàm Eccleſiæ unitatem, & Catholicæ Religionis integritatem disjungere, ac propè diſcerpere, parùm abſimiles ab iis Militibus, qui inconſutilem Chriſti tunicam proſcindere voluerunt. Hi quoniam eorum ſermo, ut cancer ſerpit, immittere ſenſim ſatagunt in corda Fidelium ſuæ pravitatis ſemina, propoſitâ falsâ quadam libertatis ſpecie, quæ tamen deterior eſt omni ſervitute, utpotè quæ incautos ſubjicit humani generis hoſti, & Filios Dei ſub tenebrarum poteſtate conſtituit. Cavere igitur accuratè debent, qui zelo animarum incenduntur, ac præſertim Epiſcopi, ne hujuſmodi monſtra Diœceſes ſibi commiſſas ſuo veneno, tum per conſuetudinem, & alloquia, tum, quod deterius eſſet, per conciones, & execratos Rituum ſuorum uſus corrumpant: in quo Te decet eſſe magnoperè ſolertem, ut inclyta iſta Natio, quæ à conſtanti Orthodoxæ Religionis cultu ſummam ſibi laudem conciliavit, à veteri gloriâ non declinet. Quanti itaque Dei honorem, quanti puritatem fidei, quanti animarum facis ſalutem, hortamur Te, ne de fervore tuo quidquam hac occaſione remittas, ſed imò magis ſtudia, ac ſedulitatem tuam intendas, memor exigen-

das

das eſſe è manibus Paſtorum Oves Iſrael, quæ fortè eorum (quod abſit) negligentiâ perierint. Aſpiret Deus piis laboribus, atque conatibus tuis, dum Nos in optati eventus auſpicium, Deum Optimum Maximum rogamus, ut compleat, atque perficiat uberi ſuorum munerum largitione Apoſtolicam Benedictionem, quam Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 29. Januarii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

Quinque aliis Archiepiſcopis, vel Epiſcopis Hiſpaniarum: Eodem exemplo.

ARGUMENTUM

Regi Chriſtianiſſimo ortum Principis Majeſtatis Suæ Pronepotis amanter, & ex animo gratulatur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dopo aver reſe le dovute grazie à Dio per il gran riſtoro, che gli è piaciuto di dare alle preſenti graviſſime afflizioni della Chieſa colla felice naſcita di un Principe Pronipote della Maeſtà Voſtra, le rivolgiamo à Lei ſteſſa per la notizia, che con tanta bontà hà voluto recarci di sì lieto ſucceſſo, di cui certamente niun'altro poteva à Noi giungere più grato. Mentre però ce ne congratuliamo egualmente con la Maeſtà Voſtra, che con la noſtra Santa Religione, non laſciamo di porgere fervoroſi, e inceſſanti voti à S. D. Maeſtà, perche ſi degni di benedire, e proſperare il nato Principe, e inſieme di conſervare per lunghiſſimi anni la Maeſtà Voſtra, onde Ella poſſa educarlo in quei glorioſi ſentimenti, che conſtituiſcono la Sua Reale Perſona, e Famiglia il più forte, e valido ſoſtegno della Fede Cattolica; e con tutta la pienezza, e tenerezza maggiore del noſtro Paterno affetto diamo alla Maeſtà Voſtra l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die 12. Februarii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

ARGUMENTUM

Accepto nuncio de S. R. I. Electoris dignitate Hannoverano eterodoxo Duci in Comitiis Ratiſbonenſibus adjudicatâ, Archiepiſcopum Electorem Moguntinum vehementer redarguit, quòd ejuſmodi pernicioſo Decreto non modò, ut debebat, non obſtiterit, ſed potiùs aſſenſum præbuerit. Deinde illud irritum, ac inane cum omnibus inde ſecutis, & ſecuturis declarat, & de nullitate coram Deo proteſtatur. Demùm hanc ipſam Pontificiam declarationem publicis Cancellariæ Imperialis Actis ad perpetuam Poſterorum memoriam inſeri mandat.

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco, Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Ubi primùm moleſtus admodùm, ac planè acerbus Nobis allatus eſt nuncius in Comitiis Ratiſbonenſibus de præſtantiſſimâ Sacri Romani Imperii Electoris dignitate Hannoverano eterodoxo Duci adjudicandâ communibus jam ferè ſuffragiis conventum eſſe, ſedulâ hujuſmodi rei meditatione perculſi, neque animum continere potuimus, neque lachrymis temperare. Quis enim non videat, quanta ſit inde, & in Apoſtolicam Sedem injuria, & in Religionem Catholicam derivatura calamitas? Illud verò gravius Nobis, duriuſque accidit, quòd Fraternitas Tua, quæ aliàs cum ſoli Bambergenſi Eccleſiæ præeſſet, tam fortiter, ut probè novimus, ejuſdem Hannoverani Ducis conatibus obſtiterat, amplioribus ſubinde ejuſdem Apoſtolicæ Sedis aucta beneficiis, pernicioſi hujuſmodi Decreti, quod pro ſuâ, quâ in Electorali Collegio, ipſiſque Comitiis, authoritate præcellit, totis viribus avertere debuiſſet, auctrix potiùs, impultrixque habeatur. Quo ſanè non levem dedecoris notam, & maculam nomini tuo, Venerabilis Frater, inurendam eſſe, ſi modò locum, quem in Eccleſia tenes, perpendere ſedulò velis, facilè potes per Te ipſum intelligere. Cùm præſertim Te, qui Cancellarium Romani Imperii geris, latere omninò non debeat quæ, & qualia ſint Jura Romanis Pontificibus hac in re competentia, ab ipſis Imperatoribus, ceteriſque Imperii Principibus conſtanter agnita, ac verbo, & re toties declarata. Noſti prætereà, cum damnoſa illa Chriſtianæ Reipublicæ, omnique bello deterior, Veſtphaliæ pax iniretur, atque inter cetera Comes Palatinus Rheni acatholicus ſeptem Imperii Electoribus, inconſultâ hac Sanctâ Sede, octavus adjungeretur, Apoſtolicum Nuncium, mandante tunc, atque inde etiam publicè per Apoſtolicas literas approbante fel. rec. Innocentio X. Prædeceſſore noſtro, acerrimè contradixiſſe, conſtantiſſimâ proteſtatione adhibitâ, eâque in ipſomet Cancellariæ tuæ Tabulario ad memoriam hominum ſempiternam repoſitâ. Ignorare demùm minimè potes, quæ Te, potiſſimùm, aliiſque Germaniæ Præſulibus, ac Principibus urgentibus, geſta fuerunt à recol. mem. Innocentio XII. pariter Prædeceſſore noſtro, qui nimirùm ſtatim ac de hujuſmodi Electoratu in gratiam prædicti Ducis Hannoveræ ſtatuendo pertractari audivit, cl. me. Leopoldum, dum vixit, Romanorum Regem in Imperatorem Electum, datis ad Eum ſemel, atque iterùm Apoſtolicis literis, ab improvido conſilio avocare

curavit, ne ſibi incumbentis Apoſtolici muneris partes aut ignorare, aut negligere videretur. Vides ergo, Venerabilis Frater, quantum (admiſſa ejuſmodi novitate in maximum ſanè Religionis Orthodoxæ dedecus, ac detrimentum vergente) de tuis laudibus, atque totius Germaniæ, deque Romanæ Eccleſiæ authoritate detraheretur, quin & de fama, & honore noſtro, niſi pro commiſſi Nobis Paſtoralis officii debito, deliberationi huic obſiſtere viribus omnibus conaremur. Quare explica tandem, atque exerce prudentiam, pietatem, ac Religionis zelum, quibus Te abundè cumulavit Altiſſimus, ut ſi res nondum omninò peracta eſt, Apoſtolicæ Sedis Juribus, Catholicæque ſimul Fidei indemnitati proſpici opportunè poſſit. Si verò, quod nonniſi gementes audiremus, tranſacta, atque ad exitum perducta fuerit, ſcias quodcumque eâ de re quomodolibet decretum, aut conſtitutum fuerit, ipſo Jure nullum, irritum, invalidum, & inane eſſe, & habendum eſſe, itaut nemini ex eo aliquod Jus acquiſitum fuiſſe, nec eſſe, minùſque ullo tempore acquiri poſſe cenſendum ſit, atque ita ſanè traditâ Nobis ab Omnipotenti Deo authoritate decernimus, & declaramus; ac nihilominùs ad abundantiorem cautelam, & quatenùs opus ſit, præmiſſa omnia ſi, ut præfertur, geſta ſint, vel gerantur in futurum, eadem authoritate damnamus, reprobamus, reſcindimus, irritamus, viribuſque, & effectu penitùs, ac omninò vacuamus cum omnibus inde ſecutis, & quæ in poſterùm forſan attentari contigerit, ac inſuper contra hujuſmodi geſta, & gerenda, deque eorum nullitate coram Deo majori, quâ poſſumus, efficaciâ proteſtamur. Porrò hanc animi noſtri declarationem, firmamque ſententiam omninò volumus, & Fraternitati Tuæ præſentium tenore mandamus, ut in ipſis Imperii Comitiis palàm omnibus facias, & ad perpetuam Poſterorum memoriam publicis etiam Imperialis Cancellariæ tuæ Actis inſeras. Et Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 12. Februarii 1707. &c.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopo Electori Colonienſi, quòd ſacros Ordines, & Sacerdotium ſuſceperit, amanter gratulatur, eumque ob varia, quæ ediderat, ſingularis pietatis argumenta meritis laudibus ornat. Illi deindè ſignificat poſſe à quocumque maluerit Catholico Antiſtite muhus Conſecrationis recipere, ſervatâ formâ Indulti à fel. rec. Innocentio XI. Ei aliàs conceſſi. Demum Pallium, quod poſtulaverat, Se Ipſi libenter traditurum pollicetur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joſepho Clementi ex Ducibus Bavariæ, Electo Colonienſi, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Non abſimili eventu ab eo, quo literæ noſtræ Nobilitati Tuæ ſeriùs, quàm debuiſſent, redditæ fuerunt, tuæ tum octavâ, tum vigeſimâ quintâ proximè elapſi menſis Decembris ad Nos datæ cum iis, quæ poſtremâ ejuſdem menſis, & Anni die Nobis conſcripſiſti, dilato illarum curſu, ad manus noſtras inſimul paulò an-

te

te pervenerunt, ut cumularetur gaudium noſtrum,ex quo Te eiſdem auſpicatiſſimis diebus Sacros Diaconatus, & Presbyteratus Ordines ſuſcepiſſe, primum verò Sacrum proximâ Circumciſionis Chriſti Domini ſolemnitate facturum uno, eodemque tempore cognovimus. Nec ſine Dei Optimi Maximi ſuaviter omnia diſponentis nutu contigiſſe Tecum advertimus, ut Diploma, quo Tibi terminum ad ſuſcipiendos eoſdem Sacros Ordines, & Epiſcopalem Conſecrationem prorogabamus, iſthùc non anteà afferretur,quàm Tu ad præfatos Ordines conſcendiſſes, & fervore incenſus ad ea, quæ muneri tuo congruunt, properares, ut nulla pio huic deſiderio dilationis, aut moræ occaſio interponeretur, Tuque interim ad propitiandum tuis Votis Deum, hoc perturbato rerum omnium ſtatu, hoſtiam placationis pro Te, & Ovibus Ipſi offerres. Nec defuit Nobis uberioris lætitiæ argumentum, ex quo aliundè intelleximus Dilectum Filium Nobilem Virum Ducem Bavariæ, & Sacri Romani Imperii Principem Electorem, inclytum Germanum Fratrem tuum, Te Sacris primùm operante, aſtitiſſe, Sacramque Synaxim ex tuis manibus ſummâ conſuetæ pietatis ſignificatione ſumpſiſſe. Dùm itaque ſuppetunt undequaque Nobis præcipua gratulationis argumenta, facere non poſſumus, quin debitis in Domino laudibus proſequamur tuum hoc præclarum ſtudium, ac votum perficiendi ea omnia, quæ muneri tuo conveniunt, ut ſpirituale regimen creditarum Tibi Ovium aſſumere, earumque ſaluti Paſtorali vigilantiâ proſpicere poſſis. Ceterum, quod attinet ad ipſum Conſecrationis actum, cum à fel. record. Innocentio XI. Prædeceſſore noſtro in Diplomate confirmationis Electionis de Te factæ in Archiepiſcopum Colonienſem indultum Tibi fuiſſe dignoſcatur, ut à quocumque, quem malueris, Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Sanctæ Sedis habente, accitis, & in hoc aſſiſtentibus aliis duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis, ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus Conſecrationis ſuſcipere valeas, id omne perficere juxtà ejuſdem conceſſionis tenorem, ſervatiſque ceteroquin ſervandis, pro libito poteris: Pallium verò de Corpore Beati Petri ſumptum, quod extradi Tibi enixè, ac devotè poſtulas, libenti animo Tibi elargiemur, ubi per tuum ad id ſpecialiter conſtitutum Procuratorem illud Tuo nomine in ſecreto noſtro Conſiſtorio à Nobis de more peti curaveris. Quæ fuſiùs à Dilecto Filio Joanne Baptiſta Barone Scarlatto intelliges, dum Nos Deum precamur, ut Tibi cœleſtis ſuæ gratiæ incrementum tribuat, & in pignus charitatis, quâ Te mirificè proſequimur, Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 12. Februarii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

AR-

ARGUMENTUM

Ducem Parmæ dignis extollit laudibus, quòd eximio ſtudio, ac zelo ad avertenda à ſuâ Ditione Catholicæ Fidei detrimenta incumbat; Eumque, ut in egregio propoſito conſtanter perſiſtat, eterodoxorum Militum licentiam, & ſcandala, quantum poterit, coerceat, ac Epiſcopos ad munus ſuum obeundum non tam exemplo, quàm ope excitet, magnoperè hortatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Franciſco Parmę, & Placentię Duci.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Ubi inter præſentes notas nimiùm Italiæ calamitates, quæ bona, atque fortunas Populorum paſſim abſumunt, nihil timendum eſſet Catholicæ Religioni, ingentes curæ, quas perferimus, non eſſent abſque ſolatio, quandoquidem res Divinas, periclitantibus humanis, in tuto eſſe conſpiceremus. Verùm quia meritò addubitandum eſt, ne Fides ipſa ſenſim in diſcrimen adducatur, ex quo hæreſis, ut audivimus, vi, ac licentiâ militari freta uſque adeò exultat, ut venenum ſuum non jam occultè foveat, ſed palàm tentet, ac audeat effundere; Nos conquieſcere nullo modo poſſumus, neque ullam Pontificiæ ſolicitudinis partem in tanto periculo omittere debemus. Eſt verò in primis efferenda à Nobis præcipuis in Domino laudibus eximia pietas Nobilitatis Tuæ propter ſtudium, & operam huic ipſi cauſæ diligenter impenſam; non enim ignoramus Te præcipuas curas in præcavendis, quantùm facultas erat, Catholicæ Fidei detrimentis ex tunc poſuiſſe, cùm eterodoxi Milites contra omne jus, faſque, ac Te ſanè invito, & reclamante, iſthùc immiſſi fuerunt: quâ in re egregiè teſtatus es Te non ſegniorem eſſe in ſpirituali, quàm in temporali tuorum ſalute parandâ. Et quamvis dolendum ſit tuos hujuſmodi pios conatus propter ingruentia mala, quibus obſiſtere non potuiſti, propè irritos cecidiſſe; non tamen propterea fraudandus es merito, nec remittendus eſt præclarus ille animi fervor, quem explicaſti; ſed acriori ſtudio, quoad rectè fieri poterit, agere, atque eniti debes, ut eorumdem acatholicorum Militum compeſcantur ſcandala, ea præſertim, quæ mentes Fidelium corrumpere, praviſque doctrinis imbuere, atque inficere poſſunt. Et quoniam pro filialis tui in Nos ſtudii præſtantiâ gratum Tibi fore credimus charitatis noſtræ ſtimulis ad curſum ultrò ſuſceptum magis, magiſque incitari, illud etiam à Te petimus, ut Epiſcopos ad munus ſuum obeundum alacriores tuo favore, tuâque ope, ubi res tulerit, efficias. Ita fiet, ut Deus, qui bonæ menti, ac ſalutaribus conſiliis numquam deeſt, inſidias, atque pericula ab Ovili ſuo procul arceat, & adversùs temporum difficultatem ſua paſcua fideli Populo ſervet innoxia. Parati interim omnia Pontificię charitatis teſtimonia reddere Nobilitati Tuę, Apoſtolicam Benedictionem eidem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 19. Februarii 1707. &c.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopo Mechlinienſi,ejuſque Suffraganeis mandat, ut ſub gravibus pœnis præcipiant Superioribus tam Secularibus, quàm Regularibus quorumcumque locorum ſacrorum, & immunium in cujuſque reſpectivè Diœceſi exiſtentium, ne per integrum annum deſertores Milites, vel cujuſcumque alterius criminis reos in eadem loca recipere audeant.

Venerabili Fratri, Humberto Guilielmo Archiepiſcopo Mechlinienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Ex literis Fraternitatis Tuæ Bruxellis tertiâ decimâ die proximè elapſi menſis Januarii datis permoleſtè accepimus ſubeſſe hoc tempore in iſtis Partibus periculum gravium ſcandalorum ob conſuetudinem inductam recipiendi paſſim intra Eccleſias, ac loca ſacra, & immunia cujuſcumque generis, vel etiam Sectæ criminoſos homines, exceſſuum præſertim militarium Reos, vel etiam transfugas, ac deſertores: quo fit, ut Officiales Militiæ, quorum non pauci ſunt Acatholici, Juribus, ac Immunitati Eccleſiæ parùm, aut nihil tribuentes, extradi ſibi hujuſmodi homines tam audacter poſtulent, ut pœnas ſe de iiſdem profugis in ipſis ſacris locis ſumpturos eſſe palàm minitentur. Et quamvis urgeat declinandi periculi ratio, non ideò tamen ab his, quæ per ſacros Canones, & per fel. record. Gregorii XIV. Conſtitutionem ſancita ſunt, recedendum, aut derogandum eſſe ducimus Juri, ac Immunitati Eccleſiæ, nequidem quoad Hæreticos ipſos Militiæ adſcriptos, qui præmeditati criminis Rei ad loca ſacra confugerint, imò ob eaſdem, aliaſque graviſſimas cauſas bonum Eccleſiæ reſpicientes, neque congruere, neque expedire arbitramur demandare Fraternitati Tuæ, aut Epiſcopis ſuffraganeis tuis facultatem extrahendi hujuſmodi criminoſos homines à Locis immunibus, in quæ ſe receperint, eoſdemque Officialibus ſuis extradendi. Idcircò æquius, atque conſultius eſſe exiſtimamus, ut tum Fraternitas Tua, tum Provinciales Epiſcopi, qui Tibi ſuffragantur, in ſuis reſpectivè Diœceſibus ſub Præcepto injungant Superioribus tum Secularibus, tum Regularibus Eccleſiarum, ac ſacrorum Locorum quorumcumque, etiam Conventuum, ac Monaſteriorum, ne audeant per annum inde venturum excipere, aut in eiſdem locis immunibus retinere Milites, ſive deſertores, ſive cujuſcumque alterius criminis reos, ſub pœnâ ſuſpenſionis ab exercitio Ordinis, ac privationis Officiorum, ac Dignitatum, quin etiam inhabilitationis perpetuæ ad eaſdem, aut ſimilia munera in poſterùm obtinenda. Tibi interim, ac præfatis Epiſcopis ſuffraganeis tuis attributam eſſe volumus facultatem declarandi incurſum earumdem pœnarum adversùs illos, qui Præcepto hujuſmodi minimè obtemperaverint; dum Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 19. Februarii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

AR-

ARGUMENTUM

Iniquas Pacis à Rege Poloniæ cum Svecorum Rege initæ conditiones, & amiſſam orthodoxæ Fidei latiùs propagandæ ſpem dolet. Ad ea adhibenda media, quæ eidem Poloniæ Regi quoad ſpiritualem ſalutem prodeſſe poſſint, paratum ſe exhibet, parique charitate, ac zelo in negotio promovendæ converſionis magni Principis ad Catholicam Fidem, cujus haud levem extare ſpem Cardinalis de Saxoniâ ad Sanctitatem Suam ſcripſerat, ſe verſaturum pollicetur.

Dilecto Filio Noſtro, Chriſtiano Auguſto, S. R. E. Presbytero Cardinali de Saxonia.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Interſerat quidem plurimùm Catholicæ Religionis, ac publicæ ſalutis, ne quoad componendas perturbatiſſimas res Regni Poloniæ quidquam per Regem ſtatueretur, antequàm ille eximiam tuam prudentiam, atque pietatem in conſilium advocaſſet; non enim cogeremur modò dolere cumulatas calamitates, quæ ex captâ præcipiti per eum deliberatione imminent in præſens illi Regno, neque nova pericula, quibus ibi proponitur Orthodoxa Fides, non injurias, ac probra Regii nominis, non demùm Authoritatis noſtræ,& Apoſtolicæ Sedis contemptum: quæ omnia mala ſecum attuliſſe videtur deterior bello Pax ſub iniquis conditionibus per Regem ipſum paulò ante inita, atque confecta. Porrò cum ejus tractatus jam, ut dicebatur, abſoluti, atque obſignati rumor ad Nos primum pervaſiſſet, nullam ei fidem adhibendam eſſe duximus; adeò res à vero longè abeſſe videbatur: mox eodem rumòre adhuc invaleſcente in admirationem maximam perducti ſumus, donec re certiùs exploratâ ſummam, ac inexplicabilem moleſtiam contraximus, recurrente nimirùm ſtatim menti noſtræ eorum memoriâ, quæ pro aſſerenda ipſius Regis dignitate egimus; ſtudia enim noſtra, ac officia tum multa, tum maxima in hunc ſcopum impenſa unà cum ſpe conceptâ lucri animarum, ſi contigiſſet Catholicam Religionem invehi in Regiones, undè à tanto jam tempore exulaverat, uno, eodemque caſu interiiſſe perſpeximus. Et quamvis his omnibus perpenſis extenuetur quodammodò in Nobis opinio, quam de addictâ prorsùs, ac devotâ Pontificio nomini, & Apoſtolicæ Sedi ejuſdem Regis voluntate antea gerebamus: Nos nihilominùs Tecum ſoliciti, ne Is, qui in ceteris omnibus ſui adeò negligens videri voluit, & pravorum hominum inhæſit conſilio, in apertum demùm ſpiritualis ſuæ ſalutis diſcrimen per eoſdem impellatur, parati ſumus ea media adhibere, quæ Ipſi in negotio ſpiritualis ſalutis præſidio eſſe poſſint, quemadmodum Tu ipſe pro tua pietate, ac zelo omninò expedire exiſtimas. Non abſimili charitate verſabimur in negotio promovendæ converſionis magni illius Principis, quem memoras, qui ſi ſuperno lumine tactus velit ſeriò ſuam vocationem ſequi, & ad gremium Romanæ Eccleſiæ, ejurato Schiſmate, convolare, & inſigni exemplo ſuo gentem ſibi ſubjectam ſecum adducere, ſummum amantiſſimæ Matri gaudium afferet, ejuſque nomine à Nobis omni amoris, & honoris ſignificatione excipietur. Cetera, quæ ad explicandum totum præſentem rerum Polonicarum ſtatum Nobis ſignificaſti, pergrata Nobis acci-

derunt, & ſingulare tuum in Nos ſtudium indè etiam perſpeximus, cui perpetuis amoris noſtri documentis reſpondere parati ſumus, & Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noſter, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 5. Martii 1707. Pontificatus Noſtri Anno VII.

ARGUMENTUM

Paternam ſuam voluntatem erga Cæſarem diſertè profitetur, ſeque Cæſarei animi ſibi conciliandi cupidum oſtendit; conſtantiâ tamen Summo Pontifice dignâ reiicit conſilia nonnullorum, qui certas propoſitas conditiones, utcumque graves, accipiendas eſſe Sanctitati Suæ ſuadere conabantur, & Cardinali de Saxonia denunciat ejuſmodi conſiliorum authores eſſe admonendos, ut de Sua Sanctitate, deque Pontificiâ Dignitate, rectiùs ſentiant.

Dilecto Filio Noſtro, Chriſtiano Auguſto, S. R. E. Presbytero Cardinali de Saxonia.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Nemini dubium eſt, quin Catholicæ Eccleſiæ utilitas, atque felicitas magnâ ex parte ſita ſit in fœdere Sacerdotii, ac Regni, hoc eſt in mutuo inter Romanum Pontificem & orthodoxos Reges, ac Principes conſenſu, atque concordiâ. Quod cum ipſi etiam Fidei, & Eccleſiæ hoſtes probè intelligant, abrumpi hoc vinculum maximè cupiunt, certi propitium ſibi tempus adeſſe, cum advertunt deferbuiſſe in corde alicujus Principis amorem illum, quo decet omnes Eccleſiæ Filios communem Parentem excolere. Moleſtiſſimum propterea Nobis eſt malorum operâ factum eſſe, ut Majeſtas Cęſarea ſubeſſe ſibi cauſas putet, propter quas ambigere debeat de noſtrę in ſe voluntatis propenſione, eoque nomine ſui in Nos ſtudii ſignificationes remiſiſſe aliquatenus videatur, cum tamen publicis rebus, & Religionis bono nihil tam in præſens expediret, quàm ut ipſa Nobiſcum ſenſus, ac conſilia ſua conjungeret. Hinc perlibenter audivimus Te pro egregia virtute, ac ſingulari tuâ in Nos obſervantiâ ſedulam operam poſuiſſe in explicandâ, ac conteſtandâ opportunè ſyncerâ voluntate, ac paternâ benevolentiâ noſtrâ ergà eamdem Majeſtatem, cui certè præclaro teſtimonio tuo Nos reipsâ, quoad rectè fieri poterit, & prout tulerit occaſio, reſpondere omninò curabimus. Ceterum, ſi qui fortè iſthic exiſtimant æquum eſſe, ut Nos ad conciliandum Nobis (quod certè cupimus) tanti Principis animum, conditiones per eos propoſitas, utcumque graves, amplectamur, & præcipua Jura, veteresque prærogativas noſtri muneris, & Apoſtolicæ Sedis, tamquam unicum redimendi amoris pretium, elargiamur: hos hortari par eſt, ut rectius de Nobis, deque noſtrâ Dignitate ſentiant; dum Nos enixè Deum rogabimus, ut eorum potiùs mentes ad conſilia Chriſtianæ Reipublicæ ſalutaria, & Cæſarei nominis gloriæ, ac pietati utiliora convertat. Tibi interim, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 5. Martii 1707. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Epiſcopum Gandavenſem Paſtoralis Officii partes egregiè obeuntem meritis ornat laudibus, eumque, ut in pio propoſito permaneat, hortatur, & Pontificiâ authoritate, ubi res tulerit, illi ſe adfuturum pollicetur. Plura deindè de præſtanti virtute Comitis de Bouſſu Cathedralis Eccleſiæ Gandavenſis Præpoſiti virtute, ac de Brugenſis, & Antuerpienſis Eccleſiarum vacantium ſtatu ſubdit.

Venerabili Fratri, Epiſcopo Gandavenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Cum ex ipſa temporum perturbatione præclara his, qui præſunt Chriſti ovibus, ſuppetat occaſio, latiorque pateat campus proferendi Paſtoralem zelum pro aſſerendâ Eeclesię indemnitate, ac Fidei integritate, confidimus Fraternitatem Tuam, ceteroſque Belgii Epiſcopos debito fervore incenſos hoc præſertim tempore eſſe omni ſtudio evigilaturos, ne Eccleſiæ libertati, ac juribus quidquam detrahi hac occaſione contingat, neve in corde Fidelium puritas orthodoxæ Religionis, quæ Acatholicorum conſuetudine decolorari facilè poteſt in tanto publicarum æſtu rerum, ac malorum ingruentiâ, ullâ ex parte obumbretur. Et id quidem de tuâ virtute eò alacrius Nobis pollicemur, quò magis compertum habemus ex his, quæ noſter in iſtis Partibus Internuncius Nobis non ſemel ſignificavit, Te muneris tui partes tam ſedulò, ac egregiè hactenùs obiiſſe, ut nedum lætari, debitiſque in Domino laudibus hanc tuam insignem vigilantiam, ac prudentiam proſequi debeamus: ſed meritò ſperare poſſimus Te deinceps non minori diligentiâ in officio perſtiturum. Nos certè, qui Tibi adeſſe, atque aſpirare iis, quibus licuit, mediis, atque viis anteà non prætermiſimus, parem ergà Te voluntatem, ubi res feret, explicare in poſterùm curabimus. Libenter interim ex tuis literis agnovimus comprobari præclaro tuo teſtimonio opinionem ſanè favorabilem, quam de præſtantibus dotibus Dilecti Filii Comitis de Bouſſu Cathedralis iſtius Eccleſię Præpoſiti animo præconcepimus, quod tuum officium, utpotè non exigui apud Nos ponderis, fructu vacuum eſſe pro occaſionum eventu non patiemur. Ceterum illud Tibi perſuaſum eſſe cupimus verſari continenter ob oculos mentis noſtræ præſentem Brugensis, & Antuerpiensis Eccleſiarum ſtatum, quas quidem Eccleſias, Paſtorum ſolatio hoc tempore deſtitutas eſſe magnoperè dolemus, ac proindè cogitationes noſtras in hunc ſcopum frequenter intendimus, ſoliciti Antiſtites ipſis præficere, qui ſpirituale earumdem regimen eâ, quâ par eſt, pietate, conſtantiâ, ac ſedulitate ſuſtineant. Pontificii amoris pignus Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 19. Martii 1707. &c.

ARGUMENTUM

Agit de Pontificio Militari præſidio, quod in Mantuanâ Civitate conſtitui illius Dux à Suâ Sanctitate poſtulaverat, & de nonnullis, quæ ejuſmodi conſilium perturbabant.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Ferdinando Carolo Duci Mantuæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Perſpectum eſt Nobilitati Tuæ, quòd ubi primùm tuo nomine Nobis ſignificatum fuit optari à Te vehementer, quò rebus tuis in tanto bellorum impetu, quo univerſa Italia tot jam annos miſerè concutitur, conſultum eſſet, ut tua Civitas Mantuæ, dimiſſo quovis extero præſidio, noſtris Militibus communiretur (confidebas enim, nec immeritò, Te communis Patris fidei, ac clientelæ commiſſum omnem ſuſpicionem propenſionis in alterutram diſſidentium Principum partem à Te facilè amoliri poſſe.) Nos nedùm deſiderio tuo pronas aures præbuimus, ſed cum id abſque eorumdem Principum conſenſu perfici non poſſet, opem Tibi noſtram apud ipſos polliciti ſumus, moxque actu præſtitimus. Siquidem egimus ſeorſim cum Dilectis Filiis Noſtris S. R.E. Cardinalibus de la Tremoille, & Grimano, quatenùs hujuſmodi aſſenſum neutri obſuturum à Cæſareâ, & Chriſtianiſſimâ reſpectivè Majeſtatibus obtinere, explicato deſiderio noſtro, curarent; & quamvis uterque eorum hanc provinciam alacriter, ac libenter ſuſceperit, & non multò poſt ex his, quæ eidem Cardinali de la Tremoille Rex Chriſtianiſſimus reſcripſit, ſpes eſſet Ipſum conſiliis noſtris facilè eſſe adhæſurum, ex parte tamen Majeſtatis Cæſaræ Cardinalis Grimanus, ſæpius à Nobis requiſitus, nullum ſe ad ea retuliſſe ab Aula reſponſum teſtatus eſt. In hoc rerum ſtatu moleſtum Nobis fuit audire ea, quæ inter ipſas Partes tanto tuarum rerum incommodo, tuoque nomine, ac ratione prætermiſſis, tranſacta ſunt, ex quorum notitiâ magna certè ingentibus curis noſtris facta eſt acceſſio propter paternam charitatem, & ſingularem benevolentiam, quâ Te proſequimur; ne tamen tanti momenti negotium, quod certè Nobis ſummoperè cordi eſt, deſtituamus, urgentiſſimis officiis rem eandem diligenter promoveri mandamus apud Majeſtatem Cæſaream, quemadmodùm à Dilecto Filio Noſtro Raynutio S. R. E. Cardinali Pallavicino fuſiùs intelliget Nobilitas Tua, cui lætiores rerum vices à Deo enixè precari non omittemus; & eidem Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 26. Martii 1707. &c.

ARGUMENTUM

Cardinali de Saxonia, uti Archiepiſcopo Strigonienſi, & Hungariæ Primati, enixè injungit, ut quibuſdam gravibus attentatis per laicam, ac illegitimam Poteſtatem in eodem Regno in rebus Eccleſiaſticis fortiter obſiſtat, & Eccleſiæ libertatem ſtrenuè tueatur.

Dilecto Filio Noſtro, Chriſtiano Auguſto, S. R. E. Presbytero Cardinali de Saxonia.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Solicitudinem noſtram, ac zelum tuum magnoperè incendere debent ea, quæ in manifeſtum Authoritatis Eccleſiæ contemptum attentata nuper fuiſſe dicuntur in Regno Hungariæ per nonnullos rerum novarum Auctores, qui poſt graviſſimas turbas adversùs legitimam, Regiamque Poteſtatem ibi excitatas, quas acriùs in dies vi, & armis urgere pergunt, ſacra etiam Eccleſiæ Jura, veluti manu ad Dei Arcam temerè extensa, attingere, atque uſurpare non ſunt veriti. Fertur enim prodiiſſe in illis partibus Edictum quoddam, quo nedùm nominandi, aut præſentandi ad Beneficia, prout ſervatur in Patronatu Laicorum, ſed conferendi etiam eadem Beneficia, unà cum temporali, ac ſpirituali ipſis annexâ Juriſdictione, inſtituendi prætereà, ac deſtituendi, declarandi ſcilicet, quòd Beneficia etiam in præjudicium obtinentium, ſi viſum fuerit, vacent, aut tanquam vacantia habenda ſint, Jus, ac plenam diſpoſitionem, omnimodamque Juriſdictionem ei, qui in illo Regno publicæ rei præficitur, competere tam falsò, quàm temerè aſſeritur; ac deinde per idem Edictum denunciatur modernum Præpoſitum Scepuſienſem, propterea quòd confœderationi, ut vocant, & conſtituto ab eodem rerum Hungaricarum Moderatore obſequi detrectavit, atque inde receſſit, à Jure, quod habebat in eadem Præpoſiturâ, excidiſſe: quo nomine iis, ad quos pertinet, injungitur, ut Adminiſtratori pari modo deſignato, in Præpoſiti locum, ut dicitur, ſuffecto, tanquam Superiori, atque Prælato obſervantiam, honorem, atque obedientiam in poſterùm adhibeant, ac præſtent. Cum verò nemini, cui vel parùm notæ ſint Leges, & Conſtitutiones Eccleſiæ, incompertum ſit hujuſmodi aſſerta omni veritatis, ac juſtitiæ titulo deſtitui, & mandata Capitulo, ac Clero Scepuſienſi, ut aſſeritur, per præfatum Edictum directa ex defectu legitimæ poteſtatis nullius eſſe roboris, itaut ſupervacaneum eſſe videatur quemquam de eorum invaliditate, quam præſeferunt, admonere; quia tamen uno, eodemque tempore ſupremam Eccleſiæ Authoritatem, ac Regiam Cæſareæ Majeſtatis Dignitatem, Tuique ipſius jura propter Primatis munus, quod cum Eccleſiâ Strigonienſi in Hungariæ Regno obtines, lædi ea in re conſpicimus, congruum eſſe duximus Te, à quo ſemper digna Magno Eccleſiæ Antiſtite pietatis, ac vigilantiæ argumenta Nobis pollicemur, hiſce noſtris admonere, ut ubi facultas erit, hujuſmodi conatibus fortiter obſiſtas, ac libertatem Eccleſiæ adversùs intruſos per laicam, atque illegitimam poteſtatem, eâ, quâ ſoles, virtute tuearis: quod Te ſedulò facturum confidimus, & Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Aprilis 1707. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Summam moleſtiam perceptam ex ingreſſu, & ſtatione ingentis manus Militum exterorum in Legatione Ferrarienſi, & parem ex oppoſito lætitiam, quam ſuſceperat ab exitu eorumdem Militum è finibus Ditionis Eccleſiaſticæ, explicat Cardinali Aſtallio Legato Ferrarienſi, cujus ſingularem prudentiam, ac virtutem eâ præſertim occaſione teſtatam multis laudibus effert.

Dilecto Filio Noſtro, Fulvio S. S. Coſmę, & Damiani Diacono, S. R. E. Cardinali Aſtallio nuncupato Legato Ferrarię.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Ubi primum audivimus magnam exterorum Militum manum in Eccleſiaſticam Ditionem immiſſam in iſtis partibus conſediſſe, dolori intimo, quo perpenſâ Populi noſtri afflictione perculſi ſumus, ſolatium, atque præſidium ab Eo quæſivimus, in quo confidere Nos oportet, ac illas ipſas, quas tum quidem ſacrorum temporum ratio ſuggerebat, Ecclesiæ voces uſurpantes, inter veſtibulum, & Altare cum Sacerdotibus Domini ploravimus dicentes: *Parce Domine, parce Populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur eis Nationes*. Graviùs ſiquidem eorum, quos regendos, tuendoſque ſuſcepimus, premebamur anguſtiis, quàm iis, quibus tunc temporis tenebamur, ægritudinis moleſtiis, ac urgebat Nos longè magis animi, quàm corporis ſolicitudo, incenſa præſertim zelo Apoſtolicæ charitatis ob juſtum metum, ne cum temporali ſpiritualis noſtrorum ſalus periclitaretur; quibus omnibus accedebat cura non levis orta ex ſtimulo, ac debito aſſerendæ noſtræ authoritatis, cui, ſi ea proceſſiſſent, aut invaluiſſent, parùm ſanè conſultum videbatur. Quæ eò dicimus, Dilecte Fili Noſter, ut intelligas quàm libenter ex tuis modò literis percipiamus eoſdem Milites è noſtris demum finibus exceſſiſſe, & quàm gratum Nobis accidat officium, quo gratularis, quòd ab hiſce difficultatibus, majorumque malorum periculis, nullo ſupremi Juris, quod in Pontificia Ditione Nobis competit, nullo etiam Dignitatis, quam pro munere Chriſti Vicarii, quod, licet immerentes, gerimus, diſpendio Nobis Dei ope contigerit emergere. Quâ in re cum non exigua Tibi laus ob ſingularem, eximiamque prudentiam, quam in declinandis, quoad fieri potuit, aut imminuendis hujuſmodi malis adhibuiſti, omnium teſtimonio debeatur, par eſſe ducimus Tibi denunciare cumulatam eſſe hoc nomine præter modum benevolentiam ergà Te noſtram, auctumque eſſe in Nobis deſiderium explicandi Tibi reipsâ, prout occaſio tulerit, quanti faciamus egregiam virtutem tuam, Dilecte Fili Noſter, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 9. Aprilis 1707. &c.

ARGUMENTUM

Mandata quædam Regis Chriſtianiſſimi pro regimine Conventuum Ordinis Fratrum Eremitarum Diſcalceatorum S. Auguſtini, tamquam ab illegitimâ authoritate profecta, ſibi probari non poſſe Majeſtati Suæ ſignificat, & Pontificiam eâ in re mentem Illi à Nuncio Apoſtolico diſertè exponendam eſſe ſubjicit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Eximia Majeſtatis Tuæ jam dudum Nobis perſpecta pietas facit, ut ea, quæ ad Paſtorale munus Nobis divinitùs creditum, ſimulque ad animæ tuæ ſalutem, & conſcientiæ tranquillitatem pertinere cognoſcimus, Majeſtati Tuæ fidentiùs aperiamus. Quare cùm à nonnullis, qui zelum Dei fortè habent, ſed certè non ſecundùm ſcientiam, ſuggeſtum Tibi eſſe intellexerimus, ut quædam tam in Pariſienſi, quàm in aliis Provinciæ Franciæ Conventibus Fratrum Eremitarum Diſcalceatorum Ordinis Sancti Auguſtini authoritate tuâ fieri præciperes, quæ etſi recto, ac felici religioſæ illius Congregationis regimini conducere videntur, tamen cum prorsùs illegitima, quin, & à receptis Eccleſiæ moribus abhorrente viâ peracta fuerint, & neceſſariâ firmitate carere neceſſe eſt, & probari Nobis, ſalvis canonicis Sanctionibus, & hujus Sanctæ Sedis dignitate, minimè poſſunt. Propterea Venerabili Fratri Auguſtino Archiepiſcopo Amaſienſi Nuncio apud Te noſtro mandavimus, ut Majeſtati Tuæ animi noſtri ſenſum, totiuſque negotii momentum uberiùs exponat; non dubitantes quin Majeſtas Tua, ubi pro ſingulari animi ſui æquitate, ac ſapientiâ rem ſeriò perpenderit, libenter paſſura ſit, ut quem ſuſcepti conſilii ſui finem ſibi ſtatuerat, eum, ſalvis Eccleſiaſticæ poteſtatis juribus, & quæ minùs validè geſta ſunt, penitùs reſciſſis, & abrogatis, conſequatur. Atque ità regulari Diſciplinæ, quæ profectò Nobis non minùs, quàm Majeſtati Tuę cordi eſſe debet, reparandæ rectiùs, atque adeò firmiùs proſpicietur, ac omnia, ut Apoſtolus monet, non modò honeſtè, ſed & ſecundùm ordinem fient. Ac Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 12. Aprilis 1707. &c,

ARGUMENTUM

Archiepiſcopo Colonienſi S. R. I. Principi Electori Pallium mittit, cujus myſticas ſignificationes Illi diſertè explicat, ac ſimul inſigne munus particulæ Ligni Sanctiſſimæ Crucis cryſtallinâ thecâ incluſæ Ipſi elargitur.

Venerabili Fratri, Joſepho Clementi, Archiepiſcopo Colonienſi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Deferet ad Fraternitatem Tuam has noſtras literas Dilectus Filius Abbas Alexander Clemens Scarlattus, cui injunximus, ut cum primùm Te adjerit, ſit Tibi luculentus teſtis Pontificiæ noſtræ ergà Te benevolentiæ. Quâ occaſione opportunum eſſe duximus eidem, utpotè Procuratori à Te ſpecialiter conſtituto ad petendum à Nobis Pallium Archiepiſcopale, extradere hoc Inſigne ſublimis illius Ordinis, ad quem aſpirante, ac benedicente Domino conſcendiſti; quod quidem Pallium confidimus à Te, quâ es pietate, ac zelo, exceptum, habitumque iri non tam, ut ornamentum excelſi in Eccleſiâ Gradus per Te nuper adepti, quàm ut documentum Paſtoralis Officii, quod ſuſcepiſti; ex candido ſiquidem ovium vellere contextum, & de Altari, ſub quo SS. Apoſtolorum Corpora quieſcunt, deſumptum eatenùs ſacrorum Antiſtitum humeris imponitur, quatenùs illi, qui eo decorantur, intelligant debere ſe boni Paſtoris exemplo ovibus ſibi creditis piâ ſolicitudine ſuccollare. Vota interim noſtra ſunt, ut quod Tibi à Nobis perlibenti animo traditur, ſit Tibi multæ lætitiæ, multæque felicitatis auſpicium; cupimus enim Tibi quodammodò reſpondere gaudium, quo per Te afficimur, quoties audimus Te Eccleſiaſtica munia eodem devotionis fervore obire, quo ad ſacros Ordines dudum promoveri curaſti. Accipies præthereà per manus ejuſdem Abbatis (cujus operâ, ac fide Nobis perſpectâ, Tibique probatâ libenter utimur) munus, quod ad Te mittimus, Crucis mole quidem exiguæ, multi tamen faciendæ, quatenùs confecta eſt ex ſegmento ſalutiferi illius Ligni, in quo Chriſtus Dominus Redemptionis noſtræ pretium exſolvit; hanc verò cryſtallinâ thecâ in Crucis pariter figuram conformatâ, & aliqualiter ornatâ concludi, & circumducto ſerico purpureo filo obſignari fecimus, quò certior ſis Te ſacri, ſalutariſque illius depoſiti, cujus cuſtodes eſſe gloriamur, participem per Nos effectum fuiſſe; quibus demum amoris noſtri documentis adiicimus Apoſtolicam Benedictionem, quam Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 7. Maii 1707. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Turbas in Regno Hungariæ excitatas nondum ſedari, & attentata in rebus Eccleſiaſticis in dies augeri vehementer dolet. Zelum Cardinalis de Saxonia tot, tantiſque malis opportuna remedia excogitantis laudat, piumque illius propoſitum paſtoralibus adhortationibus confirmat, ac urget.

Dilecto Filio Noſtro, Chriſtiano Auguſto, S. R. E. Presbytero Cardinali de Saxonia.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Dolenda planè eſt præſens luctuoſa nimis rerum Hungaricarum facies, qualem eam eſſe ex tuis ad Nos literis agnovimus, nec ſatis improbari poſſunt prava eorum conſilia, qui cum videant Regnum propè univerſum propter turbas in eo excitatas, & arma contra Regiam, & legitimam poteſtatem ſuſcepta, & tot jam annos tractata, in graves calamitates deveniſſe, ac in majores prolapſurum eſſe intelligant, malunt tamen bona, ac fortunas Populorum belli tam exitialis incendio abſumi, & tantùm Chriſtiani ſanguinis effundi, quàm cervices flectere, ac ſe ſubdere Cæſareæ Majeſtati, cujus Nos quidem authoritatem eâ in re tam temerè lædi permoleſtè ferimus. At execrabile prorsùs eſt, quod illi ipſi Sacra etiam adorti ſint, & Catholicam Religionem, cujus cultu Regnum illud tamdiù floruit, perturbare modò non vereantur; nam quòd Hæreticis æquè, ac Catholicis, aut fortè plus illis, quàm iſtis tribuant, iniquum prorsùs eſt; nec temeritate vacat, quòd de ipſis Sacerdotiis Laici, ut ſunt, pro arbitrio diſponere velint, ac jus deſtituendi, ac inſtituendi in eis uſurpent, quod contigiſſe nuper audivimus circa Præpoſituram Scepuſii. Quoniam verò charitas, ac ſolicitudo Paſtoralis tum maximè incendi debet, cum ſpiritualis crediti Gregis ſalus in ſummum diſcrimen adducitur, & anguſtiæ, ac difficultates undique occurrunt, gratulati ſumus, ubi ex eiſdem tuis literis deprehendimus Te eâ virtute eſſe, ut animum propterea non deſpondeas, ſed media ſedulò excogites, Viroſque authoritate præſtantes, probatæ fidei, ac pietatis adhibere ſtatuas, ut ea mala, quantùm fieri poteſt, compeſcantur, aut certè imminuantur; de jure enim, quod Tibi competit, tamquam Archiepiſcopo Strigonienſi, & Primati ejus Regni authoritate Apoſtolicâ conſtituto, utcumque illud oppugnari videatur, ambigendum Tibi non eſt, cum præſertim nunc primùm non contigerit, quòd Antiſtites exteræ Nationis illi Eccleſiæ præfuerint. Quòd verò attinet ad folia, quæ Cleri Hungarici nomine tam falsò, quàm temerè Cæſari directa fuerunt, intelliges nullam de eis rationem habendam, cum ad vanos metus ingerendos confecta ſint; ſcire tamen Te volumus nihil hujuſmodi ad manus noſtras perveniſſe; gratum autem Nobis fuit ex poſterioribus tuis literis cognoſcere Capitulum Strigonienſe epiſtolâ illâ, cujus exemplar ad Nos miſiſti, palàm denuntiare voluiſſe ea ſcripta ſe inſcio, prodiiſſe, atque à ſe omninò improbari. Nos interim pro ſummâ charitate, quâ Te proſequimur, Deum enixè precabimur, ut det Tibi perficere, quæ pro tranquillitate, ac ſalute commiſſi Tibi Gregis meditaris, & in bonorum omnium auſpicium Apoſt. Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noſter, peramanter impertimur. Dat. Romæ apud S. Petrum &c. die 15. Maii anno 1707. &c.

ARGUMENTUM

Cardinalem de Portocarrero Archiepiſcopum Toletanum graviter arguit, quòd, Apoſtolico beneplacito neglecto, conſenſum præbuerit ſolutioni pecuniæ, quam Rex Catholicus ab Eccleſiis Hiſpaniarum poſtulaverat in ſumptus belli; Eumque, ut quibus poterit, mediis perniciosſum exemplum è medio tolli, læſamque Eccleſiaſticam Immunitatem ſarciri curet, ſeriò adhortatur.

Venerabili Fratri Noſtro, Ludovico Epiſcopo Præneſtino, S.R.E. Cardinali de Portocarrero nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater Noſter, ſalutem &c. Quò propenſior eſt noſtra in Te voluntas, & quò præclariùs de tuâ virtute ſentimus, eò moleſtiùs audivimus, quòd cum nuper Rex Catholicus petiiſſet commodari ſibi, pendique ab Eccleſiis Hiſpaniarum in ſumptus bellicos vicies centena millia nummorum, Circumſpectio Tua, & Capitulum Toletanum conſenſerint pro parte ſibi contingente ſolutioni, nullo tamen priùs obtento beneplacito Apoſtolico, quod neceſſariò ad id prærequiri Sacrorum Canonum authoritate ſancitum eſt, ut ſatis liquet ex Capitulo: *Non minùs*: & ex Capitulo: *Adversùs*: de Immunitate Eccleſiarum. Fertur intereà, Te annuente, conventum fuiſſe, ut quò celeriùs pecunia vi dicti conſenſus ab Archiepiſcopali iſtâ, & Capitulari Menſâ in eamdem ſummam conferenda cogi, & exolvi poſſet, ea deſumeretur ex Depoſitis, quæ eroganda erant in pias cauſas, cum pariter obeſſet, quò minùs id liceret, ſimilis Apoſtolici beneplaciti defectus, acceſſiſſe nihilominùs tuam, & ejuſdem Capituli promiſſionem de reficiendis, & integrandis eiſdem Depoſitis, ubi pecuniæ tantumdem exigi non poſſet ex proventibus ad ea ſarcienda à Fiſco Regio adſcriptis. Hùc pertinet, quòd Clerum, cujus res agebatur, non legitimè priùs convocatum, non ſententiam rogatum, irrequiſitum, & inauditum obſtrinxeris tum ad ſolutionem præſcripti oneris, tum ad refectionem memorati Depoſiti. In quibus omnibus, cum Eccleſia manifeſtè læſa quoad Jura, ac Immunitatem reparari omninò poſtulet, Noſque etiam, ob neglectam in hiſce conventionibus authoritatem noſtram, conquieſcere nequeamus, omni ſtudio à Te petimus, & pro Jure noſtro requirimus, ut, quibus poteris, mediis ſatagas congruum, ac celere hiſce malis remedium afferre, & abſurda tam gravia delere. Oportet enim, & Tua in primis intereſt, ſolicitum eſſe, ne Te inſignis iſtius Eccleſiæ regimen obtinente, conſtabiliantur iſthìc, & demandentur ad conſequentes ætates exempla parùm cuſtoditæ Eccleſiaſticæ Poteſtatis, ac Immunitatis, quæ non uſquequaque conſentire videntur cum ſingulari pietatis, ac zeli laude, quam non uno nomine, nec ſanè vulgaribus argumentis es conſecutus; quod Te certè curaturum pro tuo munere, & ad levamen etiam animi noſtri confidimus, Venerabilis Frater Noſter, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 21. Maii 1707. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Epiſcopum Malacitanum laudat, quòd pecuniam à Rege Catholico mutui nomine expetitam Clero ſuo præſcribere detrectaverit, niſi conſultâ priùs Sede Apoſtolicâ, ac Pontificio obtento beneplacito; Eum deindè hortatur, ut Nuncium Apoſtolicum adeat, cui opportuna mandata, ac neceſſarias facultates pro ejuſmodi negotii expeditione jam tribuiſſe ſubdit.

Venerabili Fratri, Joanni Franciſco Epiſcopo Malacitano.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Agnovimus quidem ex Fraternitatis Tuæ literis præſtantiam tuæ charitatis, quæ Te valdè ſollicitum reddit de publicis malis, ac de gravibus incommodis ex diuturno bello in iſtud Regnum inductis; ſed multò magis ſuſpeximus, ac commendavimus zelum à Te hac occaſione pro libertate Eccleſiæ explicatum, dum nihil ſtatuendum, ac præſcribendum eſſe duxiſti Clero Malacitano quoad ea præſtanda ſubſidia, quæ ſub mutui nomine ab Eccleſiis Hiſpaniarum ex parte Catholici Regis nunc temporis expetuntur, niſi conſultâ priùs Apoſtolica Sede, ac niſi obtento deſuper beneplacito noſtro, quod omninò ſervandum eſſe in hujuſmodi caſibus Sacrorum Canonum authoritate conſtitutum eſſe dignoſcitur. Nos itaque probè expenſo præſenti rerum iſtarum ſtatu, agnitoque cauſæ ſatis ſuperque notæ momento, judicavimus annuendum eſſe hujuſmodi petitioni, ac facultatem concedendi beneplacitum noſtrum tribuimus Venerabili Fratri Antonio Felici Archiepiſcopo Damaſceno Nuncio apud eumdem Regem noſtro, qui propterea pro ejuſdem negotii expeditione erit tuo, ejuſdemque tui Cleri nomine adeundus. Verùm congruere nequaquam exiſtimavimus, ut quò pecunia, quæ pro parte veſtrâ conferenda eſt, in ſummam à Te, ac à Clero iſto expetitam, paratior ſit, & ſtatim ſuppeditari poſſit, attingantur Depoſita, quæ iſthìc in commodum piarum cauſarum cuſtodiri dicuntur, cum Nobis ſatis exploratum non ſit, undenam ea Depoſita proceſſerint, aut cui præſertim pio loco, aut operi addicta ſint, aut quid demùm hactenùs obfuerit, quò minùs in eos uſus, in quos aſſervabantur, fuerint erogata. Quæ ſanè omnia oporteret Nos exploratiùs noſſe, ut ſuper his maturè deliberare, atque eorumdem diſtractioni aſſenſum noſtrum liberè præbere valeremus. Quòd ſi tamen celeriori ope publicæ res opus habere videantur, licebit Vobis, ipſo noſtro Nuncio annuente, quem propterea neceſſariis facultatibus communivimus, tantùm æris alieni ſuper bonis Eccleſiæ contrahere, quantùm res præſens expoſcet, ut ab eodem Nuncio fuſiùs percipiet Fraternitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 31. Maii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

AR-

ARGUMENTUM

Benigno excipit animo filialis obſervantiæ ſignificationes Monialium Ordinis Viſitationis B. M. V. Anneſii in Sabaudia, tum etiam Stolam bombycinam auro intextam ab ipſis ſibi dono miſſam. Preces verò earumdem de peculiari cultu Apoſtolicâ authoritate inſtituendo erga Sacratiſſimum Cor D. N. I. C. examini Sacrorum Rituum Congregationis ſe ſubjeciſſe reſcribit.

Dilectis in Chriſto Filiabus, Præpoſitæ, & Monialibus Ordinis Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis Anneſii in Sabaudiâ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilectæ in Chriſto Filiæ, ſalutem &c. Iteratas filialis veſtræ erga Nos obſervantię ſignificationes literis veſtris per Religioſum Virum Nobis nuper redditis devotè explicatas libenter ſuſcepimus, & unà cum eis oblatum Nobis veſtro nomine munus Stolæ bombycinæ auro intertextæ, quæ per ſe quidem Nobis grata, quatenùs à Vobis profecta, tum demùm gratior evaſit, cum intelleximus eam confectam fuiſſe ex parte quadam ſtrati illius, in quo diù jacuit Sacrum Corpus Sancti Franciſci de Sales vigilis, dum vixit, invictique iſtius Eccleſiæ Paſtoris, ac Ordinis veſtri Inſtitutoris eximii, ut ex adjecto Venerabilis Fratris Michaelis Gabrielis Epiſcopi Genevenſis teſtimonio cognovimus. Atque utinam contingat Nobis, aſpirantibus auſpiciis veſtris, ſpiritum ſacri illius Antiſtitis, qui Divino amore incenſus omnibus omnia fieri curavit, cum Sacerdotali ornamento, quo Nos auxiſtis, induere. Veſtrum tamen eſt aſſiduis precibus tantæ charitatis fervorem, & zelum, æmulatorem inſignis zeli, quo Ille flagravit, Nobis à Deo indeſinenter expoſcere, in quo decet Vos tantò magis eſſe ſolicitas, quantò graviores ſunt curæ, quibus modò in hoc perturbatiſſimo totius rei Chriſtianæ ſtatu, & in tantis, quibus Eccleſiæ navicula jactatur, fluctibus, proximè attingimur, & continenter impetimur. Verùm ne hoc à Vobis pietatis officium requirentes, & pro veſtro in Nos ſtudio referre ſperantes, præterire videamur id, quod tantoperè exoptare ſcribitis, ut ſcilicet in ſpirituale Fidelium, prҫſertim verò Inſtituti veſtri ſolatium, peculiaris cultus erga Sacratiſſimum Cor Jeſu Chriſti Redemptoris noſtri in Eccleſiâ, approbantibus Nobis, inſtituatur: ſcire Vos volumus preces hujuſmodi veſtras ſubjiſſe jampridem, & (ubi è re eſſe propter adjectas à Vobis nuper rationes dijudicabitur) iterùm ſubituras examen in Congregatione Sacrorum Rituum, ſed probè interim, ac piè facitis, dum hæc vota veſtra, & omnem, quam de promovendo hoc cultu ſuſcepiſtis, ſolicitudinem, Divinæ voluntati ſubjicitis, certæ æquanimiter expectare judicium maturè, ac providè deliberantis Eccleſiæ, quod aliud non eſt, quàm rectâ, & compendio quodam ad ipſum Cor Domini pertingere. Nihil ſanè gratiùs hoc obſequio præſtare poteſt Anima fidelis Cœleſti Sponſo, qui in ſacris literis, ut myſtico oſtendat eloquio Dilectam ſimplici præſertim, ac humili mentis obtutu, & flexibili quadam animi, ac deſideriorum docilitate gratiam apud ſe inveniſſe: *Vulneraſti*, inquit, *cor meum, Soror mea Sponſa, in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui,* quo pariter nomine probari meruit Propheta, de quo Dominus: *Inveni David Filium Jeſſe, Virum ſecundùm cor meum,*

qui faciet omnes voluntates meas. Atque hæc in commendationem devotionis, ac obedientiæ veſtræ dicta eſſe volumus, Dilectæ in Chriſto Filiæ, quas cœleſtis gratiæ rore perfuſas eſſe cupimus, in cujus boni auſpicium Apoſtolicam Vobis Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die quartâ Junii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

ARGUMENTUM

A' Cardinali de Lamberg petit, ut conſilium à nonnullis ſuſceptum conſtabiliendi in Civitate Lyncii Seminarium pro Nationibus Septemtrionalibus diligenter promovere, omnique ope juvare velit.

Dilecto Filio Noſtro, Jo. Philippo, Tituli S. Silveſtri in Capite Presbytero, S.R.E. Cardinali de Lamberg nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Cum dignum præcipuâ in Domino laude eſſe exiſtimemus conſilium à nonnullis, ut audivimus, nuper ſuſceptum conſtabiliendi in Civitate Lyncii in Auſtriâ Seminarium pro Nationibus Septemtrionalibus, cujus Alumni purâ, ac catholicâ doctrinâ, probis, honeſtiſque moribus, bonis etiam artibus imbuantur, ac ita demum efformentur, ut in Patriam aliquando reduces, tum exemplis veræ, ac ſolidæ pietatis, tum monitis ſalutis compendio eſſe poſſint Catholicæ Religioni, credimus vigilantiæ, ac ſolicitudinis noſtræ eſſe partes promovere tam inſigne Inſtitutum, eique opem, atque præſidium Eorum, qui authoritate præſtant, officiis noſtris conciliare. Diligenter itaque à Te petimus, ut quibus in rebus adeſſe, ac opitulari poſſe intelliges pio huic operi, quatenùs feliciter provehatur, atque incrementum in dies majus ſuſcipiat, id præſtes eâ animi alacritate, ac zeli præſtantiâ, quam in his, quæ Dei honorem reſpiciunt, præclarè ſemper explicas: quod quidem non tam hortatu noſtro, quàm tuâ ſponte, atque intuitu cumulandi tuum apud Deum meritum, à Te factum iri confidimus, Dilecte Fili Noſter, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ quartâ Junii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Cum perſpectum habeamus, præſtantem eſſe Fraternitatis Tuæ zelum pro dilatatione Catholicæ veritatis, cumque etiam probè intelligamus profuturum eſſe admodùm ad propagandum ejuſdem cultum apud eas Nationes, in quibus latè graſſatur hæreſis, Seminarium illud, quod pro Regnis, ac Provinciis Septemtrionalibus in Civitate Lyncii in Auſtriâ præclaro, ac pio quorumdam ſtudio nuper eſt inſtitutum, ſi modò conſtabiliatur, atque augeatur, cum certè ſperandum ſit, quòd Alumni illarum Nationum, qui ſolida orthodoxæ Religionis principia in eo hauſerint, alios, atque alios, cum ad propria reverſi fuerint, lucrari poſſint, & ad gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ perducere; Nos, qui tanti boni ſpe incendimur, eam fundationem Tibi magnoperè commendatam eſſe cupimus, quatenus tuâ authoritate, ac favore promoveas illius incrementum. Et licet ſtimulis opus eſſe non arbitremur in his, quæ ad amplificandam Divini nominis gloriam pertinent, credimus tamen gratum Tibi fore pietatem tuam ſolicitudini noſtræ jungere, & novum interim argumentum tuæ egregiæ voluntatis Nobis præbere, qui viciſſim multa Pontificiæ noſtræ charitatis teſtimonia deferre parati ſumus Fraternitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ quartâ Junii 1707. &c.

Archiepiſcopis Trevìren., & Salisburgen. & Epiſcopo Tridentino: *Eodem exem.*

ARGUMENTUM

Monaſterienſis Eccleſiæ utilitatem, & commoda diligenter commendat novo illius Epiſcopo Franciſco Arnoldo, eumque ad reparanda damna ex diuturnâ vacatione in ipſam invecta impensè hortatur; grati deindè animi ſignificationes, quas pro collato Paſtorali munere Sanctitati Suæ detulerat, perlibenter excepiſſe reſcribit.

Venerabili Fratri, Franciſco Arnoldo Epiſcopo Monaſterienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Ubi Fraternitatem Tuam inſigni Eccleſiæ Monaſterienſi authoritate noſtra præfecimus, quod contigit die octavâ decurrentis menſis Junii, Nobis ipſis in ſecreto noſtro Conſiſtorio, honoris gratiâ, proponentibus, commodum, & utilitatem ipſius Eccleſiæ ex unâ, ex aliâ verò parte præſtantes tuas virtutes præ ſoculis habuimus, & firmam in Domino ſpem concepimus Te cumulatis, & am-

plio-

plioribus in dies perſpectæ tuæ vigilantiæ, ac pietatis argumentis præclaro noſtro de Te judicio eſſe egregiè reſponſurum; Et ſanè non deerunt Tibi occaſiones explicandi tuum zelum pro decore Domus Dei, & pro indemnitate Jurium Eccleſiæ, proque integritate, atque incolumitate Catholicæ Religionis in iſtis partibus, cum addubitari meritò poſſit non levia damna ex diuturnâ ejuſdem Eccleſiæ vacatione contigiſſe, quibus quidem damnis reparandis Te ſeriò daturum eſſe operam confidimus, cum Tibi ſatis compertum ſit præcipuas Paſtoralis ſolicitudinis partes eſſe, quod perierat, requirere, quod abjectum erat, reducere, & quod confractum fuerat, alligare. Ceterùm quàm libenter exceperimus præclara tua officia, & uberes devotæ voluntatis, & grati animi ſignificationes, quas pro collato Tibi Munere Nobis obtuliſti, tum etiam actum improbationis tum tuo, tum Capitularium Monaſterienſium nomine factum circa ea, quæ in negotio electionis minùs canonicè peracta fuerant, fuſiùs agnoſces ex Dilecto Filio Theodoro Holter Officiali Paderbornenſi ad Te reduce, qui ob ſingularem erga Te fidem, atque integritatem, & ob ſedulam operam hìc in Urbe tuis negotiis impenſam, peculiarem ſanè commendationem promeretur. Ex Diplomatibus autem noſtris, quæ ab eodem excipies, intelliges Nos petitionibus tuis, poſthabitâ omni difficultate, quoad retentionem eorum, quæ obtinebas, alacriter annuiſſe, nec imparem voluntatis propenſionem in Nobis deprehendiſſes favore ejus, quem augeri poſtulabas Canonicatu Monaſterienſi, quo potiebaris, niſi, Succeſſore ejus loci jamdudum per Nos deſignato, tuæ preces ad Nos perlatæ fuiſſent. Quod ſupereſt, Deum precamur, ut Te ſuæ gratiæ donis cumulet, & Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 17. Junii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

ARGUMENTUM

Epiſcopum Monaſterienſem hortatur, ut æquum, benignumque oſtendat animum erga omnes Capitulares Monaſterienſes, ſed erga illos in primis, qui occaſione electionis novi Epiſcopi in alios potiùs, quàm in ipſum, ſua ſtudia, atque ſuffragia direxerant; & Pontificium conſilium optimis rationibus, ſuique Ipſius exemplo confirmat.

Venerabili Fratri, Franciſco Arnoldo Epiſcopo Monaſterienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Non eſt cur Fraternitatem Tuam multis hortemur, ut ſatagat æquam, atque præclaram erga omnes, ac ſingulos Capitulares Monaſterienſes voluntatem oſtendere, cum Te jam omnibus erga ipſos ingenitæ Tibi comitatis partibus feciſſe ſatis, imò luculenter reſpondiſſe pro certo habeamus. Verùm quia Te nedùm in perſolvendis humanitatis officiis accuratum (quæ honeſta potius, quàm ſumma laus eſt) ſed planè ſedulum ab omnibus haberi cupimus in explendo præcipuo Paſtoralis charitatis debito, tua maximè intereſſe arbitramur, quòd verè, & ex animo eos præſertim diligas, arctiùſque complecta-

ris, qui occaſione anteactæ vacationis Monaſterienſis Eccleſiæ, cum negotium electionis ageretur, ſua ſtudia, atque ſuffragia in alios potiùs, quàm in Te direxerunt: ut omnes intelligant Tibi gratiores extitiſſe, qui à Te removere, quàm qui Tibi imponere novum, ac fortè gravius onus ſplendidioris Infulæ curarunt. Nam, ſi rectè, & coram Deo res expendatur, cum certum ſit plus exigi ab Eo, qui plus accepit, ſine multa formidine eſſe non poſſunt, qui in ſublimioribus Eccleſiæ Sedibus ſunt conſtituti, & propterea majorem rationem pro numero creditarum Ovium ſupremo Paſtori ſunt aliquando reddituri. Quæ Nos certè in cauſâ noſtrâ perpendentes liberè profitemur (quantùm tamen Nobis licet citra reſiſtentiam Divinæ voluntati) multò præclariùs de Nobis promerituros fuiſſe illos, ſi qui fortè extitiſſent, qui hoc, quod perferimus, plenum curis, atque periculis Munus ab infirmitate noſtrâ amoliri curaſſent, quàm qui Nos ad ſubeundum onus, cui impares ſumus, adegerunt. Æqui itaque, bonique conſule, ut quod Nos ipſi in ſynceritate cordis noſtri ſentimus, Te quoque Nobiſcum ſentire cupiamus; nam ad animi tui integritatem, à quâ adeò commendaris, in primis pertinere arbitramur, ut quò magis omnibus compertum ſit Te ab omni prorsùs ambitu alienum fuiſſe, illi præ ceteris de tuâ charitate ſibi plurimùm polliceantur, qui viſi ſunt Dignitati tuæ minimè omnium ſuffragari: ut interim prætereamus pertinere ad eamdem virtutem, ut tuæ lenitatis, & manſuetudinis exemplo ſubſideant omnes animorum motus, ſi qui adhuc ibi æſtuant, abſterreantur autem à conſiliis ſuis, qui nimiùm in Te ſtudium affectant, & avertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt Tibi-Euge Euge. Sed noſtræ in Te benevolentiæ abundantiâ quadam acti fuſiùs fortaſſe, quàm oportuit, proſecuti ſumus id, quod Te jam ultrò feciſſe, & continenter facturum eſſe confidimus. Quod ſupereſt, Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 17. Junii 1707. &c.

ARGUMENTUM

Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ Monaſterienſis ad mutuam, ſynceramque concordiam diligenter confovendam, & ad amolienda, ſi quæ fortè contigerint in nuperâ novi Epiſcopi electione, diſſidia paternè adhortatur.

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Monaſterienſis.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, ſalutem &c. Etſi cenſendum omninò ſit Viros, ut genere, & gradu præſtantes, ità prudentiâ, ac pietate præditos, quales Vos eſſe ſcimus, probè intellecturos eſſe, quàm deceat, ac oporteat, ut Eccleſiaſtici corporis membra inter ſe ſyncerâ charitate jungantur, ac propterea ambigendum nullo modo ſit, quin vigeat apud Vos priſtina animorum concordia, cui nihil detractum ſit propter diverſa ſtudia, quæ licet ab uno, eodemque propoſito conſulendi bono Eccleſiæ profecta, mentes tamen, ac ſententias veſtras occaſione anteactæ vacationis iſtius Eccleſiæ in partes fortè ſciderunt; nihilominus paternæ noſtræ erga Vos benevolentiæ argumentum Vobis eſſe volumus ſolicitudinem, quam gerimus, ut deleto

pror-

proſsùs quocumque inter Vos diſſenſionis veſtigio, ſitis verè unanimes, diligentes, & donantes invicem, ac demùm, ut ambuletis in Domo Dei cum conſenſu. Qui enim tantum pro Vobis curæ ſuſcepimus, quantum Nos ſuſcepiſſe nemo Veſtrum ignorat, ut in re non ſatis explicatâ multorum non tam Dignitate, quàm Doctrinâ præſtantium vota intercederent, deindè ut matura de hoc ipſo negotio coram Nobis deliberatio haberetur, ac ut demùm à Nobis judicium prodiret, quod non tam authoritate noſtrâ niti, quàm exemplis ab ipſo Sacrorum Canonum fonte deductis inhærere dignoſceretur, atque hæc omnia, nè inſignis iſta Eccleſia Paſtoris ſolatio diutiùs deſtitueretur:jure quaſi noſtro à Vobis videmur expoſcere, ut quandò dedimus Vobis ſingularis probitatis, ac zeli Antiſtitem, cujuſmodi Venerabilem Fratrem Franciſcum Arnoldum Epiſcopum veſtrum eſſe confidimus, Vos de comprobandâ potiùs filiali veſtrâ obſervantiâ, quàm de recolendis illis, quæ tranquillitatem veſtram aliqualiter interturbarunt, cogitetis. Verùm hæc magis, ut diximus, expectanda, quàm requirenda ſunt à perſpectâ veſtrâ virtute, cum ſperare fas ſit Vos de cuſtodiendâ, ac cumulandâ invicem dilectione, & pace, quam eſſe ſcitis hæreditatem à Chriſto Domino Diſcipulis, ac Sectatoribus ſuis relictam, fore ſolicitos, tum ut Divinus cultus iſthìc communi, ac concordi ſtudio augeatur, tum ut congruis gratæ voluntatis argumentis reſpondeatis Paterno noſtro erga Vos amori, cujus pignus Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Daum Romæ &c. die 17. Junii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Scptimo.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopo Colonienſi S. R. I. Principi Electori, quòd munus Conſecrationis ſuſceperit, gratulatur, & moleſtè audiviſſe ſignificat, quòd propter viarum difficultatem Pallium à Sanctitate Suâ miſſum nondum ad Illum perlatum fuerit.

Venerabili Fratri, Joſepho Clementi Archiepiſcopo Colonienſi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Uberiori quadam charitate complectimur Fraternitatem Tuam, poſtquam per tuas literas certiores facti ſumus Te Conſecrationis munus ſuſcepiſſe, atque ea omnia jam perfeciſſe, per quæ Paſtoralis Dignitatis, ac poteſtatis faſtigium es aſſecutus. Quod quàm gratum, atque jucundum Nobis acciderit, non eſt, cur prolixiùs Tibi explicemus, quandò incompertum Tibi eſſe non poteſt deſiderium, quod ſemper geſſimus, ut in eum locum, unde Gregis Tibi crediti ſaluti aliquandò conſulere poſſes, aſpiranti cœleſti ope, conſcenderes. Confidimus interim Deum Optimum Maximum precibus humilitatis noſtræ, & communibus Chriſtiani Populi votis exoratum optatam temporum ſerenitatem adducturum, ac tum patefactum iri vigilantiæ, ac zelo tuo campum explendi tanti muneris partes, ac promovendi incrementa Catholicæ Religionis, quæ tot jam annos inſidias, atque injurias ſanè graves ab hæretica pravitate magno bonorum omnium ſenſu, ac dolore perpetitur. Moleſtè autem audivimus, quòd propter impedimenta viarum contingat differri Tibi ſolatium Archie-

piſcopalis Pallii, quod tuo nomine expetitum alacriter conceſſimus, & ad Te per Dilectum Filium Abbatem Alexandrum Clementem Scarlattum ſtatim deferri curavimus; ſed ſperamus Te non diù fore in hac expectatione, ac ejus aſſecutionem præbituram Tibi materiem innovandæ, ac cumulandæ lætitiæ, quâ Te affici videmus, cum Sacra propiùs attingis. Quod ſupereſt, Deum enixè precamur, ut in Te ſpiritum pietatis ſemper magis adaugeat, & dona ſuæ gratiæ effusè elargiatur Fraternitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 21. Junii 1707. &c.

ARGUMENTUM

Intimum, uberrimumque gaudium, quod ex converſione Eliſabethæ Chriſtinæ Ducisſæ Brunſuvicenſis, ac Luneburgenſis ad Orthodoxam Fidem ſuſceperat, Archiepiſcopo Moguntino S. R. I. Principi Electori fusè explicat, ejuſque zelum, ac ſtudium pio huic operi perficiendo impenſum meritâ laude proſequitur.

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Quantum, & quale Nobis lætitiæ argumentum allatum ſit, ubi per Fraternitatis Tuæ literas certiores facti ſumus Dilectam in Chriſto Filiam Nobilem Virginem Eliſabetham Chriſtinam Duciſſam Brunſuvicenſem, ac Luneburgenſem, relictis erroribus, quibus ab infantiâ fuerat innutrita, complexam eſſe Catholicam veritatem, ejuſdemque profeſſionem coram Te magno pietatis, ac devotionis ſenſu ſolemniter emiſiſſe, levius eſt Tibi de Pontificiâ noſtrâ ſolicitudine pro animarum ſalute rectè ſentienti conjicere, quàm Nobis ullâ vi verborum explicare. Hoc tamen nullo modo omittere poſſumus, quod ſingulari ergà Nos Dei muneri tribuendum ducimus, contigiſſe ſcilicet, ut læti hujuſmodi eventus nuncius ad Nos perveniret, cum graviſſimis, ſi quàm unquam, curis, pro injuncto Nobis munere, premebamur, afferente nimirum charitati, ac ſolicitudini noſtræ ſolatium miſericordiarum Patre, qui in ſe ſperantes ſuâ nunquam ope deſtituit. Imò qui de ſpe in gaudium devenimus, de gaudio rurſus in novam ſpem deducimur, ac fore confidimus, ut præclarum lectiſſimæ hujus Virginis exemplum, veluti fax, aliis præluceat ad viam veritatis, atque æternæ ſalutis ineundam. Interim verò, quia credimus ei non levem ſtimulum ad maturandum, perficiendumque tam ſalutare propoſitum ab eximio tuo zelo admotum fuiſſe, Te uberiori quâdam benevolentiâ complectimur, gratulantes Tibi ex animo ingens meritum, quod tam præſtanti officio, tuo prorsùs munere digno, apud Deum Opt. Max. procul dubio es aſſequutus. In auſpicium autem bonorum omnium, & in Pontificii amoris perpetuum pignus, Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 2. Julii 1707. &c.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

Eliſabethæ Chriſtinæ Duciſſæ Brunſuvicenſi, & Luneburgenſi, quòd relictis erroribus Catholicam veritatem amplexa fuerit, vehementer gratulatur, ac ipſam ad veræ pietatis cultum, & ſtudium paſtoralibus monitis incendit.

Dilectæ in Chriſto Filiæ, Nobili Virgini, Eliſabethæ Duciſſæ Brunſuvicenſi, & Luneburgenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecta in Chriſto Filia, Nobilis Virgo, ſalutem &c. Bonum eſt Nobilitati Tuæ, quòd cor ſuum tradidit ad vigilandum diluculò: quòd memor Creatoris ſui in diebus juventutis ſuæ certam, & unicam, quâ ad eum tenditur, viam inter offuſas tenebras invenire, & ingredi meruit: quòd rejectis erroribus, in quibus educata fuerat, catholicam veritatem Dei ope eſt complexa. Lętare itaque in Domino, lectiſſima Virgo, & exulta, quòd gratum ipſis Angelis ſpectaculum exhibuiſti, cujus aſpectu, ne paternam noſtram charitatem diù fraudares, literas optatiſſimi hujus eventus nuncias, eaſdemque filialis tuæ erga Nos, & Apoſtolicam Sedem devotionis teſtes, ad Nos dediſti. Quibus quidem literis perlectis repletum eſt gaudio cor noſtrum, & lingua noſtra exultatione, tum ſanè quia ob tua decora, quorum Nos præſtantiam non ignoramus, Romanæ Eccleſiæ non vulgare ornamentum, Te in ejus ſinum receptâ, acceſſiſſe exiſtimamus, tum verò in primis inſpecto ſpirituali tui ipſius bono, cui aliter conſuli non poſſe intelligebamus, niſi Tu cœleſti lumini obſecuta properaſſes ad amantiſſimæ Matris ubera, unde lac immaculatum exugeres, ac niſi ultrò appetiiſſes fontes Salvatoris, unde haurires cum gaudio ſalutem, quæ à ciſternis diſſipatis, quæ non continent aquas, fruſtrà ſemper expetitur. Dum verò Deo miſericordiarum Patri gratias in humilitate cordis agimus, qui Te tanto ſuæ gratiæ munere, Nos verò tam præcipuo lętitiæ argumento, donare voluit, eumdem indeſinenter rogare proponimus, ut ſua in Te dona cumulet, atque perficiat, confiſi Te viciſſim ad ea promerenda omnia pietatis ſtudia præclarè poſituram: cujus boni auſpicium eſſe cupimus Apoſtolicam Benedictionem, quam Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Julii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

ARGUMENTUM

Regem Congi meritâ laude proſequitur ob zelum, quo Catholicam Fidem, & Apoſtolicos Miſſionarios in ſuâ ditione fovet, eique Regium diadema, & precatoriam Coronam ſacris Indulgentiis ditatam dono mittit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Petro Congi Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Pontificiam noſtram benevolentiam ſingulari quodammodò ſtudio ſibi conciliant Reges, ac Principes illi, qui etſi marium, ac terrarum ſpatio à Nobis longè, latèque diviſi, Sanctæ tamen Romanæ Eccleſiæ charitatis vinculo, & Fidei unitate conjuncti, ut Deo miſericordiarum Patri, & bonorum omnium Authori grati ſint propter inſigne beneficium Evangelicæ lucis, quam à Majoribus acceptam cuſtodire meruerunt, eâ imbui populos, atque Nationes, quibus dominantur, eoſque per viam æternæ ſalutis deduci gaudent, & curant, ac proinde ſacros Dei Miniſtros, Chriſtianæ veritatis præcones, morum Inſtitutores, diſciplinæ Magiſtros, Miſſionarios Apoſtolicos, benignè excipiunt, favoribus proſequuntur, authoritate ſuâ fovent, ac juvant. Majeſtati itaque Tuæ, quam hoc animo eſſe audivimus, uberes paterni noſtri amoris ſignificationes deferri volumus per Dilectum Filium Religioſum Virum Franciſcum Ticinenſem ex Ordine Fratrum Minorum S. Franciſci Cappucinorum nuncupatorum, Miſſionum iſtarum Præfecturâ pridem functum, ac iſthùc modò revertentem, qui Nobis præter Regiæ tuæ ſtirpis decora, tuaſque ipſius præſtantes dotes, hoc ipſum tuum in Chriſti Fidem, & Romanam Eccleſiam cultum, ac obſequium, & filialem in Nos, atque in Apoſtolicam Sedem obſervantiam, peculiare etiam ſtudium, ac propenſionem, quâ ſui Ordinis Profeſſores Miſſionarios Apoſtolicos proſequeris, prolixè Nobis expoſuit. Tu verò viciſſim ab eo ad Te redeunte, quem voluntatis, animique noſtri Interpretem apud Te conſtituimus, percipies, quàm enixè à Deo poſtulemus, ut cum ſalute, ac felicitate, ſuæ gratiæ incrementa Tibi largiatur, incendatque ſemper magis cor tuum zelo promovendæ in iſtis partibus Chriſtianæ Fidei, ut per hæc ſtudia tuum apud Eum meritum cumules, amplamque mercedem Tibi pares, quâ, poſt emenſum hujus vitæ ſpatium, perpetuò fruaris. Pignus autem qualecumque amoris noſtri eſſe Tibi cupimus Regium diadema, quod noſtro nomine per eumdem Religioſum Virum tibi tradi mandavimus, & cui pretium conciliavimus Pontificiâ noſtrâ benedictione in auſpicium bonorum omnium, quæ Tibi à Deo impensè precamur. Munus præthereà Coronæ precatoriȩ, quod Tibi itidem elargimur, cum appenſo ſacro Numiſmate argenteo, gratum Tibi fore confidimus, utpote ditatum Indulgentiis, theſauris ſcilicèt Eccleſiæ, cuſtodiæ, ac diſpenſationi noſtræ deſuper demandatis, prout intelliges à præfato Religioſo Viro, quem cum ceteris ejuſdem Ordinis Miſſionariis Tibi etiam, atque etiam commendatos intuitu etiam noſtro eſſe cupimus, iterumque Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 2. Julii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

Google

ARGUMENTUM

Benigno excipit animo filialis devotionis teſtimonia à Regina Congi per Religioſum Virum Franciſcum Ticinenſem Miſſionarium Apoſtolicum ſibi delata, ac ipſam ad Apoſtolicas Miſſiones conſovendas, & Catholicæ Fidei incrementa in illis partibus promovenda hortatur.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ Mariæ, Congi Reginæ Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Grata Nobis prætermodum acciderunt officia Majeſtatis Tuæ per Dilectum Filium Religioſum Virum Franciſcum Ticinenſem ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum tuo nomine ad Nos delata in teſtimonium ſynceræ, ac devotæ voluntatis, quam ergà Nos, & Apoſtolicam Sedem profiteris. Quamvis enim compertum Nobis ſit Chriſti Fidem à multo jam tempore in iſtud Regnum, Deo propitiante, invectam, Eodem miſerente, coli iſthic, & Regum ope adhuc magis vigere: cum tamen muneris noſtri ratio poſtulet, ut qui Paſtorem agimus, oves agnoſcamus, ipſæque viciſſim Nos agnoſcant, incredibile dictu eſt, quanto repleamur gaudio, ubi è diſſitis Terrarum partibus, cujuſmodi iſtæ ſunt, eorum voces ad Nos deferuntur, qui ſe inter Fideles cenſeri, eſſeque de gremio Eccleſiæ, & ad Chriſti ovile pertinere gloriantur. Parati autem omnes, qui hujuſmodi ſunt, Apoſtolicâ charitate complecti, effuſiùs ſanè lætamur, ubi illi, quibus Populi multi obſequuntur, Sanctam Romanam Eccleſiam, & Pontificiam noſtram authoritatem reverentur, non quòd Regum, aut Principum ſtudio, aut cultu oblectemur, ac extollamur (infirmitatis enim, & humilitàtis noſtræ conſcii non alio, quàm ſervi ſervorum Dei titulo gloriamur) ſed quia præſidio, & authoritate eorum, qui latè dominantur, crediti Nobis gregis incrementa faciliùs parari poſſe confidimus. Spem itaque, quam ex tuis officiis concepimus, quòd, Te Miſſionibus Apoſtolicis favente, augendus ſit in iſtis partibus Fidelium numerus, & quòd contingere poſsint majora in dies animarum lucra, tuum eſt, ò Regina, in Nobis alere, ac præſtanti tuâ operâ fovere, ut aliquandò uberiora iſthìc ſpiritualis lętitiæ argumenta percipiamus, Tibique eadem non levi ex parte debeamus, nec deerit Tibi occaſio, redeunte iſthuc eodem Religioſo Viro, quem pios labores Apoſtolici Miniſterii ſubire paratum Tibi enixè commendamus, & in auſpicium veræ, ac perpetuæ in Domino felicitatis Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſsimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 5. Julii 1707. Pontificatus Noſtri Anno VII.

IDEM ARGUMENTUM.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ, Annæ Congi Reginæ Illuſtri Viduæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Gratum fore credimus Majeſtati Tuæ à Dilecto Filio Religioſo Viro Franciſco Ticinenſi ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum percipere audita à Nobis ne dum libenter, ſed cupidè fuiſſe, quæ ille de ſtatu Chriſtianæ Fidei in iſto Regno Nobis enucleatè, ac diligenter expoſuit. Paſtoralis enim noſtræ ſolicitudinis eſt mente, & animo, quando corporis oculis non poſſumus, totum, quantum eſt, Dominicum Ovile luſtrare. Et cum inter cetera Nobis explicata neceſſariò inciderit commemoratio tuæ pietatis ob opem, quam ipſe teſtatus eſt ſibi, ceteriſque Apoſtolicis ejuſdem Ordinis Miſſionariis à Te allatam fuiſſe, quatenùs eorum labores in curandâ animarum ſalute, & propagatione Divini cultus, & Chriſtianæ Fidei felicius progrederentur; exultavit ad hæc prætermodùm Apoſtolica noſtra charitas, quòd animus tuus hoc ſancto fervore incenderetur, Deumque omnis boni conſilii authorem precati ſumus, ut Tibi ſpiritum tam rectum ſervet, & augeat ad hoc, ut alia, atque majora ad ipſius honorem aggredi, atque perficere poſſis. Eidem interim Religioſo Viro iſthuc reverti paranti injunximus, ut de paternâ charitate, quâ Te de Fide Orthodoxâ his ſtudiis probè meritam proſequimur, cum Te adierit, pluribus admoneat, & in auſpicium bonorum omnium Tibi deferat Apoſtolicam Benedictionem, quam Nos, dum has concludimus, Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die quintâ Julii 1707. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ, Veronicæ Reginæ Matambæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Cum à Dilecto Filio Religioſo Viro Franciſco Ticinenſi ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum, qui ex quibuſdam partibus Africæ, ubi diuturnam operam Apoſtolicis Miſſionibus impendit, Romam paulò ante advenit, anxiè, ac ſolicitè pro demandato Nobis, licet immeritis, Eccleſiæ univerſalis regimine exquireremus de ſtatu Chriſtianæ Religionis in iſtis Regnis, incidit non poſtremo loco commemoratio Majeſtatis Tuæ, quam ille teſtatus eſt excelſo, præſtantique animo eſſe, ac favere in primis Chriſtianæ Religioni, cui in iſtis ditionibus propagandæ ope, ac authoritate ſuâ, ubi res tulit, non ſemel affuiſſe. Quæ tua præclara voluntas cum digna peculiari laude Nobis videretur, ſpem etiam faciebat Te, Deo aſpirante, curaturam aliquando eſſe initam à Te per Eidem æternæ ſalutis viam, deſpectis, abjectiſque mundi illecebris, quibus mens humana facilè detinetur, alacriter proſequi, & ad veræ, ſolidæque virtutis faſtigium pervenire: caſta

enim

enim, & immaculata noſtra Religio cor purum, ac ab omni labe deterſum expoſtulat. Incenſi itaque charitate, & deſiderio tuæ ſalutis injunximus eidem Religioſo Viro, quem pietate præſtare, ac fervere animarum zelo novimus, ut cum primùm ei licuerit, Te adeat, ac apprecatâ Tibi noſtro nomine ſalute, atque felicitate plurimâ, Te paternis noſtris verbis hortetur, ut veſtigiis, ac exemplo Annæ inclytæ Reginæ conſanguineæ tuæ Chriſti Fidem ità apud Populos, quibus præes, vigere, & obſervari cures, ut eam maximè diligere, ac colere oſtendas. Occaſionem itaque advenientis iſthuc ejuſdem Religioſi Viri à Nobis ad hoc ſpecialiter deputati ne dimitte, tuaque maximè intereſſe cogita ſalutaribus ipſius monitis acquieſcere. Ita fiet, ut tuis dotibus accedat præcipuum ornamentum, per quod Deo grata bonis affluas, & non interituram mercedem ab Eo, cui ſervire regnare eſt, aſſequaris. In tanti boni auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 5. Julii 1707. Pontificatus Noſtri Anno VII.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Petro Duci Bambæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Hauſta, ut audivimus, è Regia ſtirpe decora Nobilitatis Tuæ multi quidem, ut par eſt, facimus, ſed pretium longè maximum apud Nos obtinent tua in Chriſtianam Religionem ſtudia, quæ, utpote Deo grata, veram, ſolidamque laudem promerentur, & Pontificiam noſtram charitatem Tibi prorsùs conciliant. Et quoniam eorum, quæ pro Divini nominis gloria aguntur, merces ab Eo expectanda eſt, qui cum liberalis ſit Dominus, nemini congruum præmium deeſſe patitur, confidere debes, quòd quę pro Dei causâ, ideſt pro ſanctæ Fidei propagatione hactenùs geſſiſti, quæque in poſterum gerere paras, retributionem cum fœnore ſint receptura. Perge itaque Apoſtolicos Viros, qui ſacris Miſſionibus dant operam, & animarum ſalutem in iſtis Regionibus, quâ exemplo, quâ monitis urgent, tueri, atque fovere, & Dilectum Filium Religioſum Virum Franciſcum Ticinenſem ex Ordine Fratrum Minorum Sancti Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum iſthuc revertentem, eodemque zelo incenſum, intuitu etiam noſtro, omnibus officiis complectere; dum Nos Deum Optimum Maximum precamur, ut nedùm de rore Cœli, & de pinguedine Terræ, ſed, quod caput eſt, de indeficienti gratiæ ſuæ fonte ditet, & augeat Nobilitatem Tuam, cui Apoſtolicam Benedictionem ex intimo cordis impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 5. Julii 1707. Pontificatus Noſtri Anno VII.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Dominico Duci Sondi.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, ſalutem &c. Cum ex ſacris literis certò conſtet, quòd oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt Illum: qualia conſidere debent ſe præmia recepturos, qui Deum ita honorificant, ita adorant, ut ab aliis etiam glorificari, & coli optent, ac curent, atque in hunc ſcopum propagationem Chriſtianæ Fidei, cujus ſolius ope ritè adoratur, omni ſtudio promovere ſatagunt, quo nullum certè majus amoris erga Deum ſpecimen ab hominibus edi poteſt. Quoniam itaque à Religioſo Viro Franciſco Ticinenſi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum accepimus Te eâ probitate, ac pietate eſſe, ut peculiari modo faveas Apoſtolicis Miſſionariis, qui in iſtis partibus animarum ſaluti dant operam, & de augendo Chriſtifidelium numero ſunt piè ſoliciti, gratulamur Tibi ex animo hoc ſanctum propoſitum, & quemadmodùm Te tanti meriti participem eſſe agnoſcimus, ita Te, retento eodem inſtituto, ab æquiſſimo bonorum operum Retributore amplam mercedem conſecuturum eſſe confidimus; quapropter à Deo enixè petimus, ut tuum pro Sancta Fide zelum ſemper magis incendat, & paterni amoris pignus Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem &c. die 5. Julii 1707. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Duci Battæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, ſalutem &c. Cum propagatio Chriſtianæ Fidei præcipuum cordis noſtri votum, & potiſſima ſit Miniſterii noſtri cura, moniti à Dilecto Filio Religioſo Viro Franciſco Ticinenſi Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum Te peculiari ſtudio faviſſe hactenùs Apoſtolicis Miſſionariis, qui pio huic inſtituto in iſtis partibus dant operam, eidem Religioſo Viro iſthuc revertenti mandavimus, ut Tibi noſtro nomine debitas in Domino laudes tribuat, Teque hortetur, ut in eodem ſalutari propoſito perſeveres fretus ſpe præmii, quod deeſſe non poteſt Dei honorem promoventibus. De paternâ interim charitate noſtrâ per illum ipſum Te certum reddi volumus, ejuſdemque pignus Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 5. Julii 1707. &c.

ARGUMENTUM

Principem Somni laudat, quòd Catholicam Fidem, & Miſſionarios Apoſtolicos in ſuâ Ditione benignè foveat, eumque ut ab illicito Mancipiorum cum Hæreticis mercimonio caveat, paternè monet.

Dilecto Filio Principi Somni.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, ſalutem &c. Cum moribus, ac exemplis ſuorum Principum conformari plerumque fatagant populi, qui eorum authoritati parent, ex his, quæ de florente in iſtis tuis Ditionibus Chriſtianæ Religionis cultu Dilectus Filius Religioſus Vir Franciſcus Ticinenſis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Cappuccinorum nuncupatorum Nobis fusè expoſuit, facilè fuiſſet Nobis conjicere Te eidem Fidei eſſe magnoperè addictum, niſi ille idem preclarum etiam teſtimonium de tuâ virtute, deque amore, quo Miſſionarios Apoſtolicos complecteris, Nobis attuliſſet. Verùm quia fervor paternæ noſtræ charitatis expoſtulat, ut de his, in quibus fortè neſcius, aut certè incautus offendis, Te monitum faciamus, credimus Te æqui, boniquc conſulturum, ut pro zelo, quo incendimur, tuæ ſalutis, idem Religioſus Vir in iſtas partes redux Te noſtro nomine admoneat, ut caveas ab illicito Mancipiorum mercimonio cum Hereticis, quorum etiam Hereticorum conſuetudo, quantùm fieri poteſt, ſedulò vitanda eſt, nam *qui picem tangit, inquinabitur ab ea*. Interim dum confidimus Te Noſtris vocibus alacriter obſequuturum eſſe, Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 5. Julii 1707. &c.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopo Colonienſi, S. R. I. Principi Electori ſuſceptum ſolemni pompâ Conſecrationis munus effusè gratulatur, Eumque in propoſito Paſtoralis officii ſanctè obeundi præclarè confirmat.

Venerabili Fratri, Joſepho Clementi Archiepiſcopo Colonienſi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem, &c. Gaudium planè ingens, quod percepimus, ubi audivimus Fraternitatem Tuam magnâ quidem ſolemnitate, majori tamen devotionis, ac pietatis oſtenſione, Conſecrationis munus ſuſcepiſſe, cumulavit teſtimonium Venerabilis Fratris Archiepiſcopi Cameracenſis, quo admonemur Te poſt adeptam eam Dignitatem vale dixiſſe omnibus rebus, quas muneri per Te ſuſcepto minùs congruere intellexiſti, iiſque tantùm in præſens vacare, quæ Te dignum ſacris Altaribus Miniſtrum, utilemque, ac providum ſpiritualis gregis Paſtorem efficere poſſunt. Quâ in re præclarè teſtaris infixum eſſe cordi tuo Apoſtoli monitum: *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe*

probavit. Progredere itaque alacriter per hanc viam, quam ſuperno lumine afflatus iniiſti, ac certò confide Deum Tibi, rebuſque tuis propitium fore, ac redditurum Tibi juxtà oraculum Prophetæ pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Perſuaſum autem habe Te Pontificiam noſtram charitatem hiſce tuis ſtudiis tam arctè demeruiſſe, ut nihil tam gratum umquam Nobis futurum ſit, quàm ubi ſuppetet occaſio promovendi commoda, ac dignitatem Fraternitatis Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 16. Julii 1707. Pontificatus Noſtri Anno VII.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopo Cameracenſi reſcribit perjucunda ſibi accidiſſe ea, quæ de Conſecratione Archiepiſcopi Colonienſis S. R. I. Principis Electoris, ac de optimis illius conſiliis, & inſtitutis Suæ Sanctitati nunciaverat.

Venerabili Fratri, Franciſco Archiepiſcopo Cameracenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Replevit Fraternitas Tua cor noſtrum ingenti gaudio poſitâ veluti ob oculos noſtros celebritate illius diei, quâ Venerabilis Frater Joſephus Clemens Archiepiſcopus Colonienſis S R.I. Princeps Elector Munus Conſecrationis in Civitate Inſularum per tuas manus ſuſcepit. Et quamvis probè intelligamus contuliſſe admodùm ad augendam eâ occaſione publicam lætitiam, præter tot Antiſtitum interventum, Eccleſiaſticorum hominum frequentiam, & multorum undique Fidelium confluxum, ipſamque Dilecti Filii Nobilis Viri Ducis, ac Electoris Bavarici præſentiam: illud tamen, tamquam præcipuum totius ſolemnitatis ornamentum ſpectamus, quòd ſcilicet idem Archiepiſcopus ſacros ejus actionis ritus tam ſedulò, ac devotè peregerit, ut inſignem de ſe ædificationem in eorum omnium, qui intererant, animis ſingulari ſuâ pietate excitaverit. Nam quia peculiari Illum benevolentiâ proſequimur propter egregia decora, & ſatis nota promerita inclytæ ſtirpis, ad quam pertinet, Noſtra quodammodò intereſſe putamus, ut Is, quo loco eſt, diligenti ſacrarum rerum cultu, & addictâ Eccleſiaſticis muniis voluntate, veram ſibi, congruamque laudem conciliet. Perlibenter itaque audivimus Eum hanc viam alacriter injiſſe, eamdemque non minori alacritate poſt ſuſceptum Pontificalem Ordinem inſiſtere, atque illa potiſſimùm ſtudia complexum eſſe, quæ ſe maximè deceant, rejectis iis, quæ ſæculum vanè prorsùs, nec ſine periculo inſectatur, itaùt ſperandum meritò ſit, quòd redditâ aliquandò temporum ſerenitate prodeſſe iis poſſit, quibus Eum Deus præeſſe voluit. Scimus Te præclaram eâ in re operam impendiſſe, quod non modò referimus ad ipſam manuum impoſitionem, ſed ad ſalutaria conſilia, quibus immiſſas deſuper bonas cogitationes fovere, ac promovere curaſti. Poſt uberes gratias Deo redditas gratum erga Te animum profitemur, parati propenſionem Tibi noſtræ voluntatis, ubi ſuppetet facultas, luculenter teſtari. Quod verò attinet ad ipſum Ar-

chie-

chiepiſcopum Colonienſem, nihil certè tam optamus, quàm ut Nobis contingat aliquid in ipſius commodum præſtare, nec irritas certè dimittemus occaſiones, ſi quæ fortè dabuntur, explicandi Ipſi magnitudinem noſtræ charitatis, hoc etiam nomine non parum auctæ. Fraternitati Tuæ interim Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 16. Julii 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

ARGUMENTUM

Ducis Mantuæ rationes, & cauſam Archiepiſcopo Moguntino S. R. I. Principi Electori enixè commendat, ejuſque opem, & authoritatem apud Aulam Cæſaream eidem Duci conciliare contendit.

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco, Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Cum præclarior ſit opera, quæ arduis rebus impenditur, & ibi præſertim eniteat prudentia, ubi graviores enodandæ ſunt difficultates, credimus dignum eſſe præſtanti virtute Fraternitatis Tuæ negotium, quod pro Paternâ charitate,quam omnibus debemus, complexi ſumus, Tibique confiſi de egregiâ tuâ in Nos voluntate commendandum ſuſcepimus. Agitur modò acriter, ut credimus, in Aulâ Cęſareâ cauſa Dilecti Filii Nobilis Viri Ferdinandi Caroli Mantuæ Ducis, nec ambigimus, quin multi ibi ſint, qui graviter in Eum animadvertendum eſſe judicent, rati pertinere ad aſſerendam Cæſarei nominis authoritatem, ut idem Dux Imperiali Edicto ſupponatur, ut hoc exemplo ceteri omnes à lædendâ Majeſtate, quam in ſe gravem experiri poſſunt, perpetuò abſterreantur. Verùm ſepoſitis modò meritis cauſæ, quæcumque demùm illa ſint, Nos, qui excelſiùs quidem, & Chriſti præceptis multò magìs conforme eſſe putamus injurias agnoſcere, quàm ulciſci, quando præſertim liquet juſtitiæ ſatis aliundè conſultum eſſe: credimus, quòd ubi ſeriò perpendatur, quo loco ipſius Ducis res modò ſint, æquos rerum æſtimatores Nobiſcum ſenſuros eſſe,nihil eſſe ulteriùs adversùs Ipſum ſtatuendum.Cupimus itaque opem, atque authoritatem tuam apud Cæſaream Majeſtatem ſæpedicto Duci tot jam calamitatibus preſſo conciliare, ac Te perſuaſum eſſe volumus officia, quæ ejus favore intuitu noſtro impenderis, admodùm grata Nobis fore, qui viciſſim aucupabimur occaſiones explicandi benevolentiam noſtram Fraternitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 16. Julii 1707. &c.

Digitized by Google

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Joanni Hugoni, Archiepiſcopo Trevirenſi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Pontificiæ charitatis partes ſunt non modò multas curas, ac graves paſſim occurrentes æquanimiter perferre, ſed alienas etiam in ſe ſuſcipere, & infirmari cum infirmantibus, atque tum demùm, cum majores ingruunt moleſtiæ, levamen ab Eo expectare, qui oneratos ad ſe vocat, ut eos ſuâ ope reficiat. Sanè afficimur prætermodum præſentibus anguſtiis Dilecti Filii Nobilis Viri Ferdinandi Caroli Ducis Mantuæ, qui priſtinâ authoritate prorsùs exutus, atque extra ſuam Ditionem conſtitutus, dicitur nihilominùs Imperiali etiam Edicto mulctandus, quò majoribus difficultatibus implicetur. Novit pro eximiâ tuâ prudentiâ Fraternitas Tua præcipuam ſummi cujuſque Principis, præſertim verò Chriſtiani, laudem eſſe non quidem injurias ulciſci, ſed culpam deprecantibus liberaliter ignoſcere, iramque potiùs oſtendere, quàm effundere: quo nomine celebratur in primis inſignis pietas inclytæ Domus Auſtriacæ, ac proindè ſperandum videtur Majeſtatem Cæſaream, avitæ benignitatis, ac lenitatis memorem, non paſſuram eſſe judicium adversùs eumdem Ducem ad extrema deduci, graviùſque in eum decerni, ſi modò Viri Dignitate, & authoritate præſtantes, qualem Te eſſe ſcimus, ejus favore intervenirent. Quod ut intuitu noſtro agere velis, etiam, atque etiam à Te petimus, quo facto nedum ipſum Ducem ſingulari beneficio obſtringes, ſed animum quoque noſtrum condolentem ipſius malis magnoperè demereberis. Fraternitati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 16. Julii 1707. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Perſpectum eſt Nobilitati Tuæ præcipuum decus inclytæ Domus Auſtriacæ fuiſſe ſemper ingenitæ pietatis ſtudium, & peculiarem quemdam benignitatis uſum, & utriuſque laudis tam cupidos fuiſſe præſtantiſſimos quoſque egregiæ illius Stirpis Principes, ac Imperatores, ut bonum nomen his ſtudiis ſibi partum divitiis multis, Titulis, ac Dignitatibus, nec immeritò, prætulerint. Cum itaque hoc ipſo animo eſſe arbitremur Majeſtatem Cæſaream, fieri poſſe credimus, intervenientibus præſertim officiis tuis, quæ, quantæ authoritatis ſint, probè novimus, ut eadem Majeſtas mitioribus tandem conſiliis adhæreat in

Judi-

Judicio inſtituto adversùs Dilectum Filium Nobilem Virum Ferdinandum Carolum Ducem Mantuæ, nec pati velit hunc Principem ſanguinis prærogativis ſatis, ſuperque notis ornatum, modò verò omni prorsùs authoritate exutum, ac penè profugum, ſubjici Edicto Imperiali, quod in Eum fertur de proximo promulgandum, undè præter graviſſimum detrimentum, magnam ſui nominis notam perpetuò incurreret. Confidimus autem hoc telum ab Eo averti poſſe, ſi Tu illius cauſæ ſeriò opitulari ſtatues, quod ut agas, acti ſtimulis paternæ noſtræ charitatis enixè à Te petimus, plurimùm Nobis de tua in Nos præſtanti voluntate polliciti. Atque interim in teſtimonium benevolentiæ noſtræ Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, Nobilis Vir, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 16. Julii 1707. &c.

ARGUMENTUM

Diſpenſationem à Principe Bipontino poſtulatam, ad effectum contrahendi matrimonium cum Principiſsâ Acatholicâ, illi tertio conſanguinitatis gradu conjunctâ, concedere abnuit, niſi priùs eadem Principiſſa, hæreſi ritè ejuratâ, orthodoxam Fidem complectatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Guſtavo Leopoldo Principi Bipontino.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Multis jampridem argumentis innotuiſſe credimus Nobilitati Tuæ ſingularem eſſe noſtræ in Te voluntatis propenſionem, ex quâ meritò ſperare potes Te à Nobis ea omnia eſſe facilè conſecuturum, quæ ab authoritate noſtrâ congruè proficiſci poſſunt. Verùm, cum diſpenſatio, quam à Nobis expetis, ad effectum contrahendi matrimonium cum Principiſsâ hæreticorum Sectæ addictâ, Teque tertio conſanguinitatis gradu attingente, difficultates in ſe maximas, & ineluctabiles quo ad eam partem, quæ Religionem reſpicit, manifeſtè contineat (Eccleſia ſiquidem ab hujuſmodi conjugiis, quæ plurimùm deformitatis, nec parùm ſpiritualis periculi præſeferunt, abhorret) credimus Te, quo ſtudio es in Catholicam Fidem, probè intellecturum Nos paternè Tecum agere, qui præfatam diſpenſationem nequaquam concedendam eſſe ſtatuimus, niſi eadem Principiſſa, hæreſi priùs ritè ejuratâ, orthodoxam veritatem ex animo complectatur. Quod ſi ſpem eſſe dicebas, quòd ipſa, poſt initum matrimonium, tam ſalutare conſilium ſuſceptura eſſet, præſtat, ut eadem bonum opus acceleret, nec patiatur ſe diutiùs jactari contrariæ doctrinæ vento, ſed ut imò alacriter obſequatur leni, ac ſuavi auræ cæleſtis ſpiritus, qui calamum quaſſatum non conteret. Id ut eveniat, pro noſtrâ charitate, ac ſollicitudine magnoperè cupimus, ut inde grata Nobis ſuppetat occaſio annuendi votis Nobilitatis Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 23. Julii 1707. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Benigno excipit animo gratulationis officium à Cardinali Cincio ſibi delatum ob promotionem ad Sacram Purpuram Cardinalis de Tournon Viſitatoris Apoſtolici in Sinarum, Indiarumque Regnis, cujus, nec non prædicti Cardinalis Cincii eximia merita, & præſtantes virtutes honorificâ laudatione commemorat.

Dilecto Filio Noſtro, Balthaſſari Tituli Sancti Petri in Monte Aureo Presbytero, S.R.E. Cardinali Cincio nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Gratulationis officiis communi ſtudio, quaſi in communi Religionis causâ palàm prolatis, ubi inopinatò hìc innotuit Nos in Apoſtolicum Senatum Dilectum Filium Noſtrum, Carolum Thomam S.R.E. Cardinalem Tournon in ſecreto noſtro Conſiſtorio nuper habito cooptaſſe, multò potiora fore ea, quibus Tu, eâ re perceptâ, induturus eras, facilè intellexit, quiſquis novit nemini magis perſpectas eſſe eximias animi dotes, ac præſertim inſignem pro Catholicæ Fidei propagatione zelum, quo idem Cardinalis flagrat, quàm Tibi, cui ille propter egregias, quas in Te ſuſpexit, virtutes peculiarem cultum pridem exhibuit, plurimùmque ſemper, nec immeritò tribuit. Nobis verò nullo modo ambigendum erat, quin Tibi grata prætermodùm futura eſſet ejus ad ampliſſimum Ordinem evectio, cum probè recoleremus Te vel ab ipſo noſtri Pontificatus exordio propenſam, quam ceteroquin in Eum gerebamus, voluntatem, & præclaram de Ipſo opinionem, tuâ commendatione non ſemel in Nobis foviſſe, ex quo contigit, ut cùm jam Eum ad ardua quæque pro Divini nominis honore ſuſcipienda, tuo etiam judicio innixi, idoneum cum Domino exiſtimaremus: plenum difficultatis opus, propter immanem locorum diſtantiam, profectionem ſcilicet ad uſque Sinarum Imperium, Ipſi magnâ alacritate, animique fervore tantùm onus ſubire non tam parato, quàm cupido, à Nobis injunctum ſit. Literas itaque tuas teſtes gaudii à Te percepti ob Dignitatem Ipſi collatam (quo nomine Nobis non parùm debere profiteris) perlibenter, & multo charitatis noſtræ ſenſu perlegimus. Interim verò cùm nedùm Noſtra, ac Tua, ſed totius Eccleſiæ magnoperè interſit, ut qui ad parandam integritatem, atque incrementa agri Dominici tot laboribus, atque periculis occurrere non dubitavit, & ſuæ eximiæ operæ non unum, nec vulgare Nobis ſpecimen jam dedit, Is nedùm hoc præmio, utcumque præſtanti, quod à Nobis aſſecutus eſt, ſed eo præſertim potiatur, quod præcipuè propoſitum Nobis, & Ipſi eſſe debet, ut ſcilicet plenos ſpiritualis fructus manipulos referat, enitendum eſt certatim noſtris ad Deum precibus, ut ipſe ſalutis Author piis illius conatibus aſpiret. Quo benedicente confidimus obventurum eſſe aliquando Catholicæ Religioni magnum ex ampliſſimis illis Regionibus proventum, itaut apprehendat Meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupet ſementem, & Eccleſia ingentibus animarum lucris lætetur. Apoſtolicam interim Benedictionem Tibi, Dilecti Fili Noſter, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 13. Auguſti 1707. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Ducis Mantuæ graves in anguſtias conjecti rationes Epiſcopo Monaſterienſi pro Paternâ charitate magnoperè commendat.

Venerabili Fratri, Franciſco Arnoldo Epiſcopo Monaſterienſi.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Arbitramur Fraternitati Tuæ ſatis, ſuperque compertum eſſe quot, & quibus prærogativis inter Italicos Principes effulgeat præclara Gonzaga Familia, ſive ſpectentur antiqua ejus decora, & ornamenta, ſive multæ, & arctæ neceſſitudines, quæ illi cum ſummis Europæ Principibus, atque cum ipsâ præſertim inclytâ Auſtriacâ Domo, recenti etiam vinculo, intercedunt, ſive demum Ditionum, quibus à multo tempore potita eſt, præſtantia, & amplitudo. Quoniam verò Is, qui in præſens ejus Familiæ ſplendorem in ſe perferre debet, Dilectus Filius Nobilis Vir Ferdinandus Carolus Dux Mantuæ ita hoc communi publicarum rerum æſtu abreptus eſt, ut omni propè dignitate, omnibuſque juribus ſit modò exutus: Nos, qui intimè commovemur illius anguſtiis, à quo ſanè filialis erga Nos, atque Apoſtolicam Sedem obſervantiæ non vulgaria argumenta percepimus, Paternæ noſtræ in Eum charitatis eſſe ducimus omni ipſi officio hoc maximè tempore adeſſe, ac proindè à Te, de cujus egregiâ in Nos voluntate plurimùm Nobis pollicemur, magnoperè petimus, ut authoritate, quâ polles, & iis mediis, quæ magis è re fore duxeris, cures dignitati, ac rebus ipſius Ducis ita opitulari, ut Ille aliquando perſentiat ſe noſtro apud Te favore, & commendatione fretum ope tuâ plurimùm fuiſſe conſecutum. Erit id ſanè Nobis tam gratum, quàm quod gratiſſimum, nec omittemus viciſſim, ubi occaſio tulerit, gratificari Fraternitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 20. Auguſti 1707. &c.

ARGUMENTUM

Pluribus commemoratis, quæ Archiepiſcopus Ebredunenſis in Eccleſiaſticæ Immunitatis detrimentum, & Apoſtolicæ inſuper Authoritatis contemptum attentare auſus fuerat, ipſum graviter arguit, ac ut perperàm geſta debitâ emendatione corrigere non differat, à ſimilibus de cetero abſtineat, atque interim conſcientiæ ſuæ conſulat, eum ſeriò admonet.

Venerabili Fratri, Carolo Archiepiſcopo Ebredunenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater. Cùm Nos juſtâ ſpe diù, nimiſque fruſtrati ita demùm, Paſtoralis officii noſtri urgente ratione, coacti fuerimus anteactis diebus authoritate Nobis à Deo traditâ palàm improbare, reſcindere, atque damnare quamplures Ordinationes, Decreta, Mandata, Edicta, aliaque hujuſmodi, quæ nonnullis ab hinc annis in Ditione Dilecti Filii Nobilis Viri Victorii Amadei Ducis Sabaudiæ tam ci-

tra, quàm ultra montes, in grave detrimentum non minùs libertatis, immunitatiſque Eccleſiaſticæ, quàm authoritatis hujus Sanctæ Sedis prodierant, geſtaque, & acta fuerant: verſata ſunt denuò hac ipſâ occaſione ob oculos noſtros illa ipſa, quæ à Fraternitate Tuâ in præjudicium Apoſtolicorum Jurium, ac Eccleſiaſticæ pariter authoritatis jamdudùm facta, atque attentata fuerunt, tum ſcilicèt, cum Tu aſſumptâ authoritate Tibi prorsùs incompetente cognoſcendi, ac judicium ferendi tum de Juribus, atque rationibus hujus Sanctæ Sedis, tum etiam de iis, quæ à Nuncio Pontificio conſtituta fuerant, eò uſque progreſſus es, ut edixeris neque in Diœceſi Glandevenſi, neque in reliquâ tuâ Ebredunenſi Provinciâ ullo unquam tempore inducta, vel uſu recepta fuiſſe Jura ſpoliorum; cum tamen ſatis exploratum ſit Cameram noſtram Apoſtolicam antiquiſſimâ eorumdem Jurium poſſeſſione gaudere in iis Diœceſis, & Provinciæ hujuſmodi locis, quæ memorati Ducis Sabaudiæ Dominio ſubjecta ſunt. Quin etiam pronunciaſti nullam fuiſſe Excommunicationis ſententiam ab ipſo Pontificio Nuncio in hac causâ latam, ac interim licere Tibi putaſti abſolutionem ad cautelam ei impendere, qui Excommunicationis vinculo à Nuncio illigatus, hujuſmodi abſolutionis beneficium à nemine, præterquam à Nobis, atque ab hac Sanctâ Sede poterat obtinere. Prætereà non ſine gravi, apertâque Sacrorum Canonum injuriâ non es veritus declarare recurſum in hujuſmodi cauſis habitum ad Magiſtratum Laicum fuiſſe licitum, ac cenſeri debere permiſſum: ita Eccleſiaſticæ Immunitatis everſor factus, qui illius cuſtos, & vindex præcipuus eſſe debuiſſes; quod ut tuo ſubinde exemplo comprobares, paſſus es adiri nomine Promotoris Menſæ tuæ Archiepiſcopalis Secularem Magiſtratum, ut per eum declararetur nullum eſſe, & abuſivum quidquid in reprobatione, & abolitione præfatæ tuæ Ordinationis tum à Nuncio Apoſtolico apud Sabaudiæ Ducem, tum à Prolegato in Civitate noſtrâ Avenionenſi tunc temporis reſidentibus juſtè fuerat conſtitutum. Occurrit inſuper Nobis illâ ipsâ occaſione ſtudium ſanè nimium, & pertinax perturbandi, ac imminuendi Juriſdictionem tum exiſtentis Epiſcopi Nicienſis per Officialem, quem, provectò, ultrà ſuos fines Metropolitico Jure, ad exercendam in ea Civitate tuo nomine Juriſdictionem deputaveras, poſthabitâ prorsùs Sacrarum Legum id apertè vetantium reverentiâ, contemptiſque etiam hujus Sanctæ Sedis Tribunalium Decretis, quibus illius deputatio meritò improbatur. Qui quidem Officialis tuo præſidio fretus, quo ſe in eo officio tueretur, temerè confugit ad Magiſtratus Laicos, atque ab illis impetravit Ordinationes, ac Decreta authoritatis Eccleſiæ læſiva, & Apoſtolicæ Sedi prorsùs injurioſa. Quàm parum hæc (quæ ſine ſummo animi noſtri dolore recenſere nequivimus) reſponderent debito muneris, quod geris, dignitati Characteris, quo inſigniris, & religioni Jurisjurandi, quo Te Deo, Nobis, ac Eccleſiæ in ſuſcipiendo Conſecrationis munere obſtrinxiſti, monere Te, adhibito, ut probè ſcis, ſecreto medio, ab ipſo Pontificatus noſtri primordio, non prætermiſimus; ſed quia, ſatis ſuperque novimus nihil tum quidem, nihil poſteà ſalutari hoc officio apud Te profeciſſe, ne tacuiſſe, vel parciùs, quàm par erat, in causâ tam gravi locutos fuiſſe Nos aliquandò pœniteat, memoreſque non tantùm Ovium, ſed & Paſtorum Nos à Domino conſtitutos eſſe Paſtores, decrevimus tandem animum, ac monita noſtra Tibi apertiùs denunciare, ut ea, quæ perperàm egiſti, diutiùs non differas debitâ emendatione corrigere, & à ſimilibus in poſterùm abſtineas, atque interim conſcientiæ tuæ conſulas. Præterit enim figura hujus mundi, & dies

Domini appropinquat, à quo, qui aliis præſumus, aliis quoque duriùs (quod planè trementes dicimus) judicabimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 27. Auguſti 1707. &c.

ARGUMENTUM

Hungarici Regni turbas, miſeramque conditionem impensè dolet, propterea quòd illud ſpeciali jure ad Apoſtolicæ Sedis tutelam pertineat; Multos ex Ordine Eccleſiaſtico, qui ejuſmodi turbis ſeſe immiſcuerant, graviter arguit; & quæ contra Regiam Dignitatem, ac authoritatem illic attentata fuerant, improbat, atque reſcindit; Demùm univerſum ejuſdem Regni Clerum ſeriò admonet, ne ad electionem, vel deſignationem novi Regis ullo modo concurrant, aut conſentiant, & Contumacibus Canonicas pœnas interminatur.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac Dilectis Filiis Abbatibus, Præpoſitis, ceteriſque Eccleſiaſticis Viris per Univerſum Regnum Hungariæ.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, ſalutem &c. Ingens ſanè Nobis moleſtiæ argumentum ſemper fuit exitiale bellum, quod iſthic adversùs Regii nominis Dignitatem, atque authoritatem ſuſceptum, tam acriter modò geritur, ut nullum jam revocandæ publicæ tranquillitatis, nullum conciliandæ, ut par eſſet, gratiæ Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Joſephi Romanorum Regis in Imperatorem Electi ſtudium his, qui res ſuas vi, & armis urgere pergunt, ineſſe videatur. Multò autem graviùs indoluimus, cum audivimus horum ipſorum animos inter odia, armorumque tractationem uſque adeò efferbuiſſe, ut novâ demùm, ac majori ejuſdem Regii nominis injuriâ ad denunciandum, promulgandumque Interregnum temerè progreſſi ſint. Verùm, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, tum demùm cumulus adjectus eſt dolori noſtro, ubi Nobis innotuit non defuiſſe plures ex Eccleſiaſtico Ordine, qui Sacerdotalem pietatem, ac zelum in compeſcendis, atque ſedandis hujuſmodi motibus adeò non explicaverint, ut potiùs, nec ſine ſcandalo, nova molientibus adhæſerint. Sanè ſi illi, per quos Regnum iſtud in præſens diſcrimen, atque in tot jam calamitates adductum eſt, communi Patriæ bono proſpicere voluiſſent, non defuiſſent ipſis conſilia Majorum ſuorum exemplo ineunda, quorum uſu publicæ ſaluti æquiùs, tutiùſque conſultum fuiſſet. Conſtat ſiquidem id, quod Annalibus, ac monumentis veſtris demandatum eſſe non ambigimus, in maximis, acerrimiſque contentionibus, quæ anteactis ſeculis iſthic non ſemel uſque ad Civium, ac Populorum internecionem exarſerunt, cum certa Regno pernicies impenderet, ac de Regno ipſo inter ſummos Principes diffideretur, remedium ab hac Sanctâ Sede quæſitum ſemper affuiſſe, ejuſque ope, atque authoritate, devictis demùm difficultatibus, amotiſque periculis, partam eſſe magnâ omnium felicitate concordiam. Hoc ipſum conſilium in hoc turbulento, ſive potiùs calamitoſo rerum ſtatu omni-

omninò ſuſcipiendum videbatur certâ ſpe affuturæ ſtatim Pontificiæ charitatis. Nos proindè animo hæc ipſa verſantes, ac perpendentes noſtri muneris eſſe inhærendo Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis, ſaluti, atque incolumitati iſtius Regni peculiari ratione opitulari, nedùm ſcilicet ob eam curam, quam pro traditâ divinitùs humilitati noſtræ ſupremâ in Univerſam Eccleſiam poteſtate, omnibus Chriſtiani Orbis populis, atque nationibus impendere debemus, memores Nobis in ipſo noſtræ in Pontificem inaugurationis actu (quod non ſine trepidatione propter conſcientiam infirmitatis noſtræ recolimus) ſolemniter denunciatum fuiſſe Nos ad Officium Vicarii Salvatoris noſtri, & Patris Principum, ac Regum vocatos eſſe, ſed ſpeciali Jure in his, quæ pertinent ad iſtud Regnum (quod olim Beati Petri Apoſtolorum Principis tutelæ, ac Apoſtolicæ Sedis authoritati Stephanus Primus inclyti nominis Hungariæ Rex, cujus hâc ipsâ die in faſtis Eccleſiæ memoria opportunè recurrit, oblatum perpetuò devovit) nihil tam cogitamus, nihil tam cupimus, quàm ut Nobis contingat expedire media, quibus pro charitate, & æquitate noſtrâ, citra cujuſquam injuriam, finem hujuſmodi malis afferre valeamus. Verùm ne intereà Pontificiæ noſtræ ſolicitudini ullâ ex parte deſimus, tametſi omni Juris præſidio, & legitimâ poteſtate deſtituta, adeoque irrita prorsùs, & inania per ſe ſatis eſſe dignoſcantur quæcumque contra Jus, & fas, ac legitimi Regis Dignitatem iſthìc hactenùs attentata fuerunt, perſpectum tamen vobis eſſe cupimus ea à Nobis penitùs rejici, atque improbari: Omnibus propterea, qui ex ordine veſtro ſunt, authoritate noſtrâ cautum eſſe volentes, ne ad electionis, acclamationis, aut deſignationis novi Regis actum ullo modo concurrere, aut conſentire præſumant, pœnas alioquin à Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus adversùs inobedientes, & Sedis Apoſtolicæ Mandatis contumaces inflictas ſubituri. Ceterum de noſtræ voluntatis propenſione erga Vos, & erga eos, qui debitam Nobis obſervantiam congruis argumentis teſtari parati ſunt, ita exiſtimare debetis Nos nulli unquàm officio, quoad rectè, ac cum Domino fieri poterit, deſideriis, ac petitionibus veſtris eſſe defuturos, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 2. Septembris 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Chriſtiano Auguſto, S. R. E. Presbytero Cardinali de Saxonia.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Admoniti certis nimiùm teſtimoniis, quo loco in præſens ſint res Regni Hungarici, ac ſoliciti pro Pontificiæ noſtræ charitatis erga Cæſaream Majeſtatem conſtantiâ, atque magnitudine, iis, quibus poſſumus, mediis occurrere, atque obviare graviſſimis malis, quæ in detrimentum juris, ac Regiæ authoritatis eidem Majeſtati competentis contingere poſſent, quæque in hoc perturbatiſſimo rerum illarum ſtatu metuenda videntur, decrevimus literas ad Ordinem Eccleſia-

ſticum

ſticum illius Regni dare, in quibus quidem, prælibatis cauſis, quæ Nos ad eos interpellandos, monendoſque movent, ac urgent, ita illos ex ipſis, qui fortè novarum rerum authoribus adhæſiſſent, ad ſaniora conſilia convertere curamus, ut alios etiam eiſdem ſenſibus imbuere, & ab omni molimine revocare poſſint; polliciti inſuper ipſis ſumus officia noſtra, quæ certè, quoties è re erit, impendere non omittemus, ubi etiam opus ſit aliquem eò allegare, qui Pontificio nomine, ſicuti aliàs contigiſſe novimus, interveniat, & hos motus compeſcere ſatagat. Has itaque ipſas literas ad Te tranſmitti mandamus, ut pro tuâ eximiâ prudentiâ iis, prout expedire duxeris, uti valeas, Deum interim precantes, ut officiis noſtris vim addat, quatenùs optatum exitum aſſequantur. Tibique interim, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die ſecundâ Septembris 1707. &c.

ARGUMENTUM

Clero Aragoniæ, & Valentiæ ingentem pecuniæ ſummam Ærario Regio perſolvendam abſque Beneplacito Apoſtolico fuiſſe indictam, & à Regiis Adminiſtris acerbè exigi cœptam cum Rege Catholico graviter expoſtulat, eumque paternè, & feriò admonet, ut læſam libertatem, & juriſdictionem Eccleſiaſticam opportunè quamprimùm redintegrari curet.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Allatum eſt ad Nos Majeſtatis Tuæ Adminiſtros pro conficiendâ eâ ſummâ, quam, ut fertur, uſque ad biſcentum mille aureos duplos Regna Aragoniæ, atque Valentiæ Tibi pendere juſſa ſunt, ſuppoſuiſſe huic oneri, ac ſolutioni cum Laicis Eccleſiaſticos, tum Seculares, tum Regulares, nullo requiſito, ac obtento priùs deſuper Beneplacito Apoſtolico, quod in ſimilibus cauſis omninò prærequiri Sacri Canones manifeſtè conſtituunt, & nihilominùs exactionem per eoſdem Adminiſtros tam acriter urgeri, ut multi ex Eccleſiaſticis propterea, quòd ſolvendo oneri ſibi injuncto impares forent, coacti ſint ſubire, ac perpeti ſuper propriis ipſorum bonis militares, ut vocant, executiones: alii verò Regulares, quò ſe ab eâ vexatione redimerent, argenteam ſuppellectilem Eccleſiarum Collectoribus extradiderint, quod profectò ſinè magnâ moleſtiâ, imò nec ſine ſummo horrore, atque animi perturbatione exaudiri à Nobis non potuit; Grave enim, ac mirùm Nobis viſum eſt, quod in Regnis Hiſpaniarum, ubi inter præcipuas laudes, viguit ſemper anteà ſingularis cultus, & filialis obſervantia in hanc Sanctam Sedem, præſertim quotiès actum eſt de præſervandâ Eccleſiaſticâ Immunitate, nunc demùm cùm potiores, & uberiores cauſæ declarandi idem ſtudium ſuppeterent, & vices omninò repoſcere Paternus noſter amor præclarè explicatus videretur, facta læſiva prorsùs Juris, ac libertatis Eccleſiaſticæ, & contraria debitæ in eamdem Sedem reverentiæ palàm admittantur. Quæ cum intelligamus omninò aliena eſſe ab eximiâ

miâ tuâ pietate, & ſynccrâ, ac egregiâ erga Nos voluntate, credimus ea, neque Te mandante, neque ſatis conſcio contigiſſe, ac proindè confidimus Te hiſce noſtris certioratum effecturum eſſe, ut nedum Adminiſtri Tui ab eâ exactione ſtatim ceſſent, ſed daturum ſedulam operam redintegrationi læſæ libertatis, Juriſdictionis, & Immunitatis Eccleſiaſticæ, nihilque potiùs habiturum, quàm ut ſarciatur quidquid attentatè, nec ſine contemptu, & injuria Eccleſiaſtici Ordinis fuit hactenùs exactum. Vide itaque, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, ne hoc perturbatiſſimo tempore, quo, ſi unquàm, concilianda eſt omni ſtudio cęleſtis gratia, admiſſis hujuſmodi ſcandalis ira provocetur, & ne Nos ipſi, iis non ſubmotis, adigamur ad eas verſandas cogitationes, quæ etſi Nobis moleſtæ, non ſunt tamen refugiendæ, ubi Dei, & Eccleſiæ honor agitur, qui potior Nobis eſſe debet quacumque humana ratione. Et Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 10. Septembris 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopo Cæſarauguſtano cenſuras denunciat, in quas inciderat ob conſenſum præſtitum exactioni pecuniæ à Rege Catholico impoſitæ ſuper bonis Eccleſiaſticis Aragoniæ, & Valentiæ: nec non irregularitatem, ubi in eo ſtatu à Miſſæ celebratione, & Pontificalium exercitio non abſtinuerit. Eidem prætereà injungit, ut à Nuncio Apoſtolico opportunis ad id facultatibus præmunito abſolutionis, & diſpenſationis reſpectivè beneficium poſtulet: ac Regios Adminiſtros eiſdem Cenſuris innodatos admoneat, ut præviâ debitâ ſatisfactione abſolutionem ab ipſomet Nuncio obtinere curent; ac in reliquis Eccleſiaſticam immunitatem, & libertatem ſtrenuè tueatur.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Cęſarauguſtano.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater. Non ſecus, ac debuimus, animo commoti ſumus, ubi audivimus, quòd pro conficiendâ ſummâ biscentum mille duplorum aureorum, quam ſibi à Regnis Aragoniæ, atque Valentiæ Majeſtas Catholica exolvi nuper mandavit, nedum Regii Adminiſtri exactionem ad bona etiam Eccleſiaſticorum auſi ſint extendere, ſed quod Fraternitas Tua, quæ pro Paſtorali officio Jura, libertatem, ac Immunitatem Eccleſiæ conſtanter, & inconcuſsè tueri, atque aſſerere tenebatur, & quæ profectò non ignorabat Sacrorum Canonum authoritate diſtrictè caveri, ne hujuſmodi onera Eccleſiis, niſi requiſito, & obtento priùs deſuper Beneplacito Apoſtolico, imponantur, adeò non reſtiterit gravamini, ut præfertur, Eccleſiaſticis perſonis hâc occaſione illato, ut imò deſignaverit, atque conſtituerit, quantum ab unoquoque ipſorum in eam ſummam viritim eſſet conferendum. Quare cum nimiùm exploratum ſit Te Eccleſiaſticas cenſuras per eoſdem Sacros Canones, & Apoſtolicas Conſtitutiones, ac potiſſimùm per Bullam legi, & promulgari conſuetam Feriâ quinta in Cœna Domini inflictas hoc facto, ſive conſenſu incurriſſe, quin etiam incidiſſe in Irregularitatem, ubi in

hoc ſtatu à Miſſæ celebratione, & à Pontificalium exercitio non abſtinueris: intelliges profectò conſulendum Tibi eſſe conſcientiæ tuæ, quod ut perficere poſſis, Venerabili Fratri Antonio Felici Archiepiſcopo Damaſceno Nuncio noſtro Apoſtolico facultatem attribuimus impertiendi Tibi abſolutionem ab eiſdem cenſuris, & diſpenſandi Tecum ſuper irregularitate propter præmiſſa fortè contractâ. Tuum interim erit exercere nunc demùm Paſtoralem zelum, & Regios Adminiſtros nedum authoritate tuâ prohibere, atque compeſcere à proſecutione inſtitutæ adversùs Eccleſiaſticos exactionis, ſed eoſdem omni ſolicitudine monitos inducere, ut abſolutionem à cenſuris, quibus illigati ſunt, promereri, atque obtinere curent, præviâ tamen, ut par eſt, eorum, quæ indebitè hactenùs perceperunt, reſtitutione. Quod ſi protractâ contumaciâ renuant ea perficere, ad quæ tenentur, & ſe Eccleſiæ authoritati ſubiicere, media à Sacris Canonibus in ſimilibus caſibus præſcripta, ſervatis tamen ſervandis, Tibi erunt omninò ineunda; Cordi enim Nobis eſt, & eſſe debet, ut cuſtodiatur, & ſarciatur libertas, atque Immunitas Eccleſiæ, Tuque idipſum omni ſtudio, operâ, ac diligentiâ curare debes, ac proinde oneramus conſcientiam tuam, ſi quid ſciens prætermiſeris, quominùs id cum effectu ſequatur. Neque tamen propterea ſubtrahimus officium noſtrum, paratique ſumus ea ſuſcipere conſilia, quæ in graviſſimâ hac causâ Nobis incumbere exiſtimabimus. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 17. Septembris 1707. Pontificatus Noſtri Anno VII.

ARGUMENTUM

Epiſtolam quamdam ab Archiepiſcopo Cæſarauguſtano conſcriptam, in quâ exactionem pecuniarum ab utroque Clero per laicam Poteſtatem militari manu extortam licitam aſſerebat, multaque alia Eccleſiaſticæ Immunitatis, & libertatis læſiva admiſiſſe, vel ab aliis admiſſa probaſſe fatebatur, damnat, ac improbat, eidemque Archiepiſcopo duorum menſium terminum præſcribit ad Eccleſiaſticam Immunitatem redintegrandam, ſuaſque erroneas propoſitiones retractandas: Elapſoque termino, niſi paruerit, Ipſum ab exercitio Pontificalium, & cujuſvis Eccleſiaſticæ juriſdictionis ſuſpenſum declarat.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Cęſarauguſtano.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater. Poſt ſuperiores noſtras literas ad Fraternitatem Tuam datas, certiores facti ſumus de quâdam Epiſtolâ à Te perſcripta, in quâ inter cetera non dubitabas aſſerere licitè, & abſque ullâ Eccleſiaſticæ immunitatis læſione adigi potuiſſe etiam vi, & ut dicitur, executione militari Eccleſiaſtici Ordinis perſonas ad conferendum eam pecuniæ ſummam, quam Regno Aragoniæ ſupremus Regii Exercitus Moderator Dilectus Filius Nobilis Vir Philippus Dux Aurelianenſis imperaverat, cum non ageretur de tributo, ac onere, ſed de ſolutione titulo compenſationis debitâ pro reficiendis graviſſimis damnis Regio Patrimonio illatis à multis ex Clero tum Regulari, tum Seculari, qui turbas non ita pridem in eodem Regno excitaverant, ac ſeditioſos, & perduelles incenderant, atque confoverant contra Catholici Regis Majeſtatem; quæ propterea diſpendia maximè in

con-

conſcribendo milite ad compeſcendos hujuſmodi motus pertulerat. Fatebaris autem Te eâ occaſione unicuique ex Clero ſeculari, ſivè is eſſet Metropolitanæ, ſive Parochiali Eccleſiæ addictus, qui ejus defectionis, aut perduellionis particeps habitus fuiſſet, præſcripſiſſe portionem, quam pendere debebat, eamdemque à ſingulis ipſorum exegiſſe, nec tamen voluiſſe Te idem onus aſſumere reſpectu Cleri Regularis, nam, præterquamquod Religioſi Viri, eorumque Communitates authoritati tuæ non ſuberant, ſatis ſuperque intellexiſti ipſos impares fore ſolutioni, utpotè qui longè ſupra vires gravati fuerant, ſed eam exactionem ejuſdem Ducis Adminiſtris, atque Officialibus reliquiſſe, qui quidem eo uſque progreſſi ſunt, ut ipſos Regulares appoſitis ad eorum Conventus Cuſtodibus ad ſolutionem compulerint: egiſſe Te tamen apud ipſum Ducem, ne vexarentur Cœnobia Regularium, quorum perſpecta eſſet inopia, non quia innoxii eſſent, ſed quia inanis adversùs eos fuiſſet actio. Ex quibus omnibus hoc demùm inferre non verebaris, aliter tempore belli, quàm Pacis ſtatuendum, atque agendum eſſe, nec perturbatis publicis rebus educendum eſſe gladium Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, præſertim adversùs juſta petentes; quibus nulla alia ſuppetat exigendi via, nihilque magis à Te optari, quam ut Tibi ſemper contingat deliberationes tuas aptare, & conformare temporum circumſtantiis, quibus tantùm perpenſis judicium ferri poteſt, utrùm prudenter, an ſecus ſuſcepta fuerint conſilia. Quoniam verò aſſerta hujuſmodi & alia quamplura eiſdem tuis literis contenta percipi à Nobis non potuerunt ſine ſummo horrore, atque animi perturbatione, tanquam omninò libertatis, Juriſdictionis, & immunitatis Eccleſiaſticæ everſiva, ac è directo oppoſita ſacrorum Canonum diſpoſitioni: idcircò Nos perpendentes Te manifeſtè defuiſſe debito Paſtoralis officii, nedùm permittendo, quod per militares executiones præfatum onus exigeretur, aut potiùs extorqueretur ab Eccleſiaſticis, ſed etiam prolatis, ac audacter propugnatis erroneis, & ſcandaloſis propoſitionibus, ac interceteras licuiſſe, illæſa Eccleſiaſtica immunitate, Poteſtati laicali, cui congruum non erat arma ſpiritualia opponere, tum etiam Tibi ipſi, tua authoritate (deficiente tamen Indulto Apoſtolico, quod ſacri Canones ad validitatem hujuſmodi exactionum prærequiri manifeſtè præcipiunt) executioni demandare ea omnia, quæ acta ſunt, adversùs Eccleſiaſticos, itaut ad inſtar meriti Tibi adſcribas, quod ex parte executor violentæ illius exactionis extiteris, dum ſummam Eccleſiaſticis ſecularibus, tam Metropolitanæ, quàm Parochialium Eccleſiarum viritim contingentem deſignaſti. Ideò Nos Apoſtolici noſtri Muneris partes eſſe duximus non pati, ut hujuſmodi ſcandala, quæ deterrimi exempli in Eccleſiâ Dei eſſent, impunita permaneant, & nihilominus volentes Te effectu Pontificiæ noſtræ charitatis gaudere, conſtituimus, & præfigimus Tibi ſpatium duorum menſium à die præſentationis harum noſtrarum computandorum, ad hoc ut ſeriò perpenſa gravitate eorum, quæ cum contemptu, ac injuriâ Eccleſiæ admiſiſti, nedum libertatem, juriſdictionem, & immunitatem, non uno capite læſam ſarcias, atque redintegres, ſed ut propoſitiones erroneas, ac ſcandaloſas, quibus eamdem tuam Epiſtolam reſperſiſti, ut par eſt, retractes, reſervantes Nobis declarationem ceterarum pœnarum Eccleſiaſticarum, quas incurriſti. Quo quidem termino elapſo, niſi redintegratio, ac retractatio ſequantur, ut præfertur, Nos nunc pro tunc, abſque eo quod aliâ ſubinde declaratione opus ſit, Te ab exercitio Pontificalium, & quavis Eccleſiaſticâ juriſdictione ſuſpendimus, ac pro ſuſpenſo haberi volumus, & declaramus. Dat. Romæ &c. die octava Octob. 1707. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ Cæſarauguſtanæ admonet de his, quæ in ſuperiori Epiſtolâ Archiepiſcopo Cæſarauguſtano præſcripſerat, illiſque injungit, ut ad nutum Nuncii Apoſtolici deveniant ad electionem Vicarii Capitularis, qui tamdiù hoc officium obire debeat, quamdiù eumdem Archiepiſcopum ab exercitio Eccleſiaſticæ juriſdictionis ſuſpenſum eſſe conſtabit.

Dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis Metropolitanę Eccleſię Cęſarauguſtanę.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Perceptum eſt à Nobis tantâ quidem, quantâ vix dici poteſt, animi noſtri moleſtiâ, læſam fuiſſe iſthic palàm, & graviter libertatem, atque immunitatem Eccleſiaſticam. Cum enim nemo profectò ignorare poſſet Clerum tum Secularem, tum Regularem eſſe perpetuò exemptum à quocumque onere per Laicalem poteſtatem injuncto, niſi tamen, juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem, ipſæ etiam Eccleſiaſticæ Perſonæ authoritate Apoſtolicâ per Indultum ſpeciale deſuper obtentum communi oneri intuitu publicæ cauſæ ſubiicerentur: nihilominùs cum Dilectus Filius Nobilis Vir Dux Aurelianenſis, ſupremus Regii Exercitus moderator, non ita pridem mandaſſet pendi à Regno Aragoniæ ſummam biſcentum mille duplorum aureorum Fiſco Regio, audivimus non defuiſſe, qui crederent, palàmque edicerent poſſe etiam abſque præfato Apoſtolico Indulto, & ſine ullâ Eccleſiaſticæ Immunitatis læſione, extendi hoc onus ad Eccleſiaſticas Perſonas utriuſque Cleri, ac licere cunctantes, ac renuentes ſolvere per militum inſiſtentiam ad ſolutionem obſtringere. Nunquam autem inducere potuiſſemus in animum noſtrum Venerabilem Fratrem Archiepiſcopum Cæſarauguſtanum huic ſententiæ adhæſiſſe, niſi Nobis nimiùm conſtitiſſet Ipſum nedum ita ſenſiſſe, ſed manum etiam executioni adversùs Eccleſiaſticos Seculares tum Metropolitanæ iſtius, tum Eccleſiarum Parochialium appoſuiſſe, idque ineluctabili teſtimonio epiſtolæ ab eo perſcriptæ, in qua Ipſe licitè, ac congruè pro ratione temporum id tunc factum eſſe teſtari non dubitat, adjectis etiam aliis propoſitionibus libertatis, immunitatis, ac juriſdictionis Eccleſiaſticæ prorsùs everſivis, quas hìc commemorare non attinet. Nos itaque, qui Muneris noſtri partes uſque ad extremum vitæ ſpiritum cum Dei auxilio parati ſumus implere, eidem Archiepiſcopo noſtris prius literis graviter monito præfiximus terminum duorum menſium ad ſarcienda jura Eccleſiæ manifeſtè læſa, & ad alia, quæ neceſſaria eſſe duximus, præſtanda. Qui quidem Archiepiſcopus, niſi ea omnia adimpleverit juxta præſcriptum Venerabilis Fratris Antonii Felicis Archiepiſcopi Damaſceni Nuncii noſtri, volumus, quod Vos ad nutum ejuſdem noſtri Nuncii ad electionem Vicarii Capitularis ſtatim deveniatis, qui tamdiù hoc officium exercere debeat, quamdiù conſtabit eumdem Archiepiſcopum Cæſarauguſtanum ab exercitio Eccleſiaſticæ juriſdictionis eſſe ſuſpenſum. Vobis interim, Dilecti Filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 8. Octobris 1707. &c.

ARGUMENTUM

Lætitiam, quam ex ortu Principis Aſturiæ ſuſceperat, Regi Catholico effusè explicat, & Majeſtati Suæ fauſtum hunc eventum amantiſſimè gratulatur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Non poteva giungerci nuova più lieta di quella, che la M. V. ci hà recato con la notizia dataci della naſcita del Principe di Aſturia, ſuo Figliuolo, ben prevedendo Noi le felici conſeguenze, che à Dio piacendo ſaranno per derivarne non meno alla publica quiete, che alla noſtra ſanta Religione. Dopo però d'aver reſe le dovute grazie al ſommo Dator di ogni bene per sì fortunato ſucceſſo, le rivolgiamo alla M. V. medeſima per li nuovi argomenti, che in tale occaſione ha voluto darci della ſua ſingolare divozione verſo queſta S. Sede. Feliciti Iddio ſempre più la M. V., acciò in Lei, e da Lei poſſino la Chieſa, e la Fede aver ſempre più valida la loro difeſa, benedica il Principe, acciò divenga ſimile al Padre, e inſieme conceda lunga vita, e proſpera ſalute alla Madre, acciò con la ſua continuata fecondità ſempre più conſoli la Republica Criſtiana. Queſti ſono li voti, co'quali accompagniamo l'Apoſtolica Benedizione, che con tutta la pienezza del noſtro paterno affetto diamo alla M.V., alla Regina, e al Principe loro Figliuolo. Datum Romæ &c. die 10. Octobris 1707. &c.

ARGUMENTUM

Regi Catholico Fundationem novi Seminarii in Civitate Manilæ ſummoperè commendat, & à Majeſtate ſua enixè petit, ut eam Regali ope, ac beneficentiâ promovere velit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Quòd ex multorum teſtimonio probè cognovimus, & luculentiùs didicimus ex Venerabili Fratre Antonio Felice Archiepiſcopo Damaſceno Nuncio Noſtro, Majeſtatem Tuam inſigni animi pietate, & magnitudine, nec non ſingulari munificentiâ complexam ſemper eſſe quæcumque facere intellexit ad propagationem Chriſtianæ Fidei in partibus Infidelium, & nunquam tanti momenti cauſæ authoritate, & ope ſua defuiſſe, hoc in ſpem firmam Nos inducit Te libenti, ac liberali animo adhæſurum eſſe fundationi novi Seminarii in Civitate Manilæ, quod opus ex præſcripto ſacri Concilii Tridentini in qualibet Diœceſi inſtituendum utilitatem, quam ubique locorum magnam peperit, multò ſanè ampliorem Tibi præſtare poſſe, imò medium præcipuum, ac propè unicum

cum fore nedùm ad informandos ad Chriſtianam Diſciplinam Clerl illius, ac Populi mores, ſed ad invehendam in Nationes multas, ac maximas, quæ propiùs, quam à Nobis, inde abſunt, Chriſtianam Religionem, Dilectus Filius Noſter Carolus Thomas S.R.E. Cardinalis de Tournon, tum quidem Patriarcha Antiochenus, dum profecturus ad Sinarum Imperium moram ibi diutiùs protraxiſſet, adhibita in conſilium ſpectatâ prudentiâ, ac pietate Venerabilis Fratris Didaci Archiepiſcopi Manilæ Electi Guadalaxarenſis, omninò exiſtimavit. Quâ de re cum perſpectum Nobis ſit ipſum Cardinalem literas ad Majeſtatem Tuam dediſſe, in quibus pro eo, quo flagrat, Divinæ gloriæ zelo hanc fundationem ſummo ſtudio, & enixis precibus apud Te urgere non deſinit; Nos ipſius ſermones quaſi complere, ejuſque petitionibus paternas noſtras adjungere voluimus, non quia arbitremur opus eſſe majori ſtimulo apud Te, à quo novimus hujuſmodi poſtulata magnâ alacritate, ac voluntatis propenſione fuiſſe excepta, ſed ut ultrò, quod dicitur, currentem ad promerenda à Deo majora præmia in re, quæ Ipſius honorem reſpicit, incendamus, ac proindè Te hortamur, ut pergas Regali opitulatione, ac beneficentlâ adeſſe huic operi, quod erit perpetuum tuæ virtutis monumentum. Interim verò in felicitatis auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 15. Octobris 1707. &c.

ARGUMENTUM

Cum ex literis Archiepiſcopi Manilæ certior factus fuiſſet de ſedulitate, ac fervore, quo Jo: Baptiſta Sidotus multis piis operibus illic, & præſertim conſtructioni, ac fundationi Seminarii incumbebat, Cardinali de Tournon injungit, ut eumdem Sidotum in prædictâ Civitate commorari ſinat, quatenus ea, quæ aggreſſus erat, & fundationem potiſſimùm Seminarii præſens enixiùs urgere poſſit.

Dilecto Filio Noſtro, Carolo Thomæ, S.R.E. Presbytero Cardinali de Tournon.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Inter alia multa à Venerabili Fratre Didaco Archiepiſcopo Manilę Electo Guadalaxarenſi literis ex Manilâ datis decimâ octavâ Auguſti, & decimâ ſeptima Septembris Anni milleſimi ſeptingenteſimi quinti Nobis ſignificata, quorum certè pars maxima pertinet ad commendationem eximii tui zeli ob ea, quæ præſtitiſti in ſpirituale bonum illius Diœceſis, cui idem Archiepiſcopus, Te illac pertranſeunte, præerat, præclarum Nobis teſtimonium reddit de ſedulitate, ac fervore, quo Dilectus Filius Joannes Baptiſta Sidotus incumbit promovendis ibi multis piis operibus, & inſtitutis, ac præſertim conſtructioni, ac fundationi Seminarii, quod Tu unà cum eodem Venerabili Fratre rectè ac providè conſtituiſti illic omnino conſtabiliendum eſſe, tum ad implenda ſacræ Tridentinæ Synodi id præcipientis decreta, tum, ut ſit præſidio propagationi Chriſtianæ Fidei, & Miſſionibus, quæ in diverſis Indiarum Orientalium partibus peraguntur. Quoniam verò Nos, his auditis, atque perpenſis, opinati ſumus congruere prorsùs, atque expedire, ut idem Sidotus pergat in illis partibus

commorari, quatenùs ea, quæ diligenter aggreſſus eſt, ulteriùs provehere poſſit: ſenſum hunc noſtrum Tibi denunciamus, ut ubi Tu, cui rerum illarum ſtatus coram inſpectus probè compertus eſt, idem cenſeas, horteris ipſum, ſi modò adhuc in Philippinis Inſulis degit, ne inde abſcedat, ſed illic benè cæpta alacriter proſequatur, quod illum, quo eſt in Nos obſequio, atque in Te ſtudio, non ægrè facturum confidimus. Interim verò cum probè intelligamus, quanti interſit, ut Seminarium hujuſmodi, à quo ingens Chriſtianæ Religioni commodum meritò eſt expectandum, quò celeriùs fieri poterit, perficiatur, Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Philippum Hiſpaniarum Regem Catholicum diligentiſſimis officiis hortati ſumus, ut precibus ei à Te ex Manilâ delatis pro eâ fundatione, eâdem, quâ ſolet, in rebus ad Dei honorem pertinentibus egregiâ voluntate adhæreat, & perenne Regiæ pietatis monumentum Religionis incremento magnoperè profuturum ſua authoritate, atque ope in eâ Civitate conſtituat, nec ſpem noſtram irritam fore ex his, quæ ſcribit Venerabilis Frater Antonius Felix Archiepiſcopus Damaſcenus noſter ad eamdem Majeſtatem Nuncius exiſtimamus. Nos inſuper delectos hic Viros perſpectæ pietatis, ac doctrinæ, tuis vocibus obſecuturos illuc proficiſci curabimus, quod à Te item factum iri, ubi fortè iſthic ſuppetant Miſſionarii eò immittendi, non ambigimus, ut opus tam ſalutare maturiùs abſolvatur. Quod ſupereſt, Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noſter, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 18. Octobris 1707. Pontificatus Noſtri Anno VII.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopo Manilæ, Electo Guadalaxarenſi, conſolationem, & lætitiam explicat ex illius literis ſuſceptam, quibus multa tum ab Ipſo, tum ab aliis peracta in Inſulis Philippinis ad Chriſtianæ Fidei propagationem pertinentia nunciaverat. Ejus deindè eximium pro Catholica Religione, Divinæque gloriæ incremento zelum laudat, & nonnullis ab ipſo poſtulatis benignè annuit.

Venerabili Fratri, Didaco Archiepiſcopo Manilæ, Electo Guadalaxarenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Ut oſtendat Nobis Dominus divitias miſericordiæ ſuæ, præſertim cum majoribus curis premimur, & ſoliciti ſumus de integritate, ac indemnitate electæ illius Vineæ, cujus cuſtodiam Ille Nobis, licèt immerentibus, demandavit, læta ad Nos identidem afferri jubet ex remotiſſimis Orbis partibus, ut gratulemur videntes, quod Illa extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines ejus. Quo fit, ut non deficiamus animo inter inſidias, quibus hìc eam undique appeti videmus, ſed totis viribus (quantùm Nobis deſuper datur) obnitamur, ne irruat adversùs illam Aper de ſylva, nevè appropinquent, ut vindemient eam, omnes, qui prætergrediuntur viam. Acceptis itaque, ac perlectis Fraternitatis Tuæ literis tam die decimâ octavâ Auguſti, quàm die decimâ ſeptimâ Septembris anni milleſimi ſeptingenteſimi quinti ex Manilâ ad Nos datis, ſtatim perſenſimus mirificè recreari cor noſtrum,

cete-

ceteroquin dolore confectum ob metum, ne per tot bellorum incendia, quibus in præſens tota penè conflagrat Europa, graviſſimum aliquod detrimentum Eccleſiæ, ac Catholicæ Religioni inferatur. Gratias proindè Deo Optimo Maximo, Patri totius conſolationis, humiliter egimus, qui Nos non deſerens in tempore malo, tribulationi noſtræ occurrere voluit præſenti ope, dum Nos certiores fieri voluit ſeriò, ut par eſt, actum eſſe Manilæ, dum illi Eccleſiæ præeſſes, negotium propagationis Chriſtianæ Fidei, nihilque à Te prætermiſſum fuiſſe, ut ſpirituali crediti Tibi Populi ſaluti proſpiceres. Et ſanè dignus eſt præcipuâ in Domino laude zelus, quem explicaſti, nedum in luſtrandâ illa Diœceſi, ſed in quærendis per invia Locorum, & inacceſſa Montium Ovibus, quibus Dominicum gregem augeres, ex quo tuo præclaro exemplo admoneri profectò debebant, ne ſuo Officio deeſſent Operarii illi, quibus fortè objici poterat: *Ut quid hic ſtatis totâ die otioſi?* Gratum verò Nobis admodùm fuit, quod Tu fretus authoritate, & operâ pertranſeuntis tunc temporis illac Dilecti Filii Noſtri Caroli Thomæ S. R. E. Cardinalis de Tournon, tum quidem Patriarchæ Antiocheni, providè curaveris, & effeceris, ut ipſis Ovibus ſic à Te conquiſitis, & adductis ſalutaria Chriſtianæ doctrinæ pabula non deeſſent. Verùm illud in primis charitati noſtræ perjucundum accidit, quòd cum eodem Præſule occaſione moræ, quam coactus fuit in Inſulis Philippinis protrahere, conſilia inieris, ac media opportuna, ac neceſſaria paraveris pro conſtruendo ibi, ac inſtituendo novo Seminario, quo certè nihil ſalutariùs excogitari poterat; nam ſi hoc præſidio Sacra Tridentina Synodus ſingulas Diœceſes communiri voluit ad continendam Cleri diſciplinam, & ad rectè inſtituendos Populorum mores, & utilitatem inde perceptam experientia ubique comprobavit: fructus ſanè longè maximos ſperare fas eſt, conſtituto in illis Partibus Seminario, à quo aliquandò prodeant Miſſionarii ad finitimas Regiones magno temporis, atque itineris compendio facilè immittendi. Nec verò præter expectationem noſtram contigit, quod promovendo huic bono, ceteriſque piis operibus, ac inſtitutis curandis ſedulò incubuerit Dilectus Filius Joannes Baptiſta Sidotus: novimus enim, quo ille fervore in his, quæ ad Dei honorem pertinent, incendatur, & cum ſanè præſtet pietate, ac doctrinâ, ſcimus eum non pati tradita ſibi talenta otiari. Imò cùm ipſe talia ibi fecerit, qualia ipſum feciſſe teſtaris, expedire omninò ducimus, ne inde, ubi operam ſuam tam benè poſuit, abſcedat, de qua re eumdem Cardinalem de Tournon admonere, eidemque ſenſus noſtros aperire non omittimus. Ceterùm, ut ad ea deſcendamus, quæ à Nobis expetis; expetis autem facultatem erogandi, ſine detrimento Eccleſiæ Guadalaxarenſis, & illius pauperum, annua ſcuta mille ex redditibus ſatis, ut aſſeris, pinguibus ejuſdem Eccleſiæ in ſubſidium quorumdam ex tuis Conſanguineis, qui etiam pauperes ſunt, ad tempus tamen limitatum, pro duobus ſcilicèt, aut tribus annis, itemque alia duo millia quotannis, quouſque vixeris, in beneficium Miſſionariorum Sinenſium, aut eorum, quos à Nobis, & ab hac Sanctâ Sede in Inſulas Philippinas tranſmitti contigerit, ſive etiam eorum, qui inibi è tenebris infidelitatis ad Chriſtianæ veritatis lumen vocati fuerint: Nos omnia Tibi documenta Pontificiæ charitatis præbere cupientes rem totam arbitrio tuo benignè remittimus, omninò confiſi, quòd in eo, quod reſpicit tuorum Conſanguineorum levamen, terminos præſcriptos à Sacris Canonibus, ac ſpecialiter à Sacro Concilio Tridentino ſeſſione vigeſimâ quintâ de Reformatione capite primo, nullo modo ſis prætergreſſurus. Quò verò ad ſubſidium

pro

pro Miſſionariis, & noviter Converſis illud non aliter, quàm impletis priùs Eccleſiæ Guadalaxarenſis oneribus, ſis ſubminiſtraturus. Ceterùm ex hoc tuo deſiderio agnoſcimus affectum, quo primam Sponſam tuam Eccleſiam Manilanam proſequeris, illudque in Domino ſummoperè commendamus. Atque hæc ſunt, quæ ad ipſas tuas literas reſcribenda Nobis occurrunt; Deum interim ex animo precamur, ut in his, quæ ad Ipſius gloriam, & ad bonum, & incrementum Chriſtianæ Religionis pro tuâ ſpectatâ pietate, & zelo aggreſſus fueris, Tibi ſemper aſpiret, incolumemque præſtet Fraternitatem Tuam, cui in pignus perpetuæ noſtræ benevolentiæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 18. Octobris 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

ARGUMENTUM

Czari Moſcoviæ reſcribit perjucunda ſibi accidiſſe, quæ per Ducem Kurakinum ejus Ablegatum Sanctitati Suæ nunciaverat de conſilio ſuſcepto permittendi liberum, & publicum Religionis Catholico-Romanæ exercitium in ampliſſimis illis regionibus ejus Imperio ſubjectis, atque etiam fundandi Conventum pro PP. Cappuccinis, & Domum cum Eccleſia, & Gymnaſiis pro Patribus Societatis Jeſu; Eumdemque Czarem, poſt congruas laudes, rogat, ut documenta eorum, quæ pollicetur, ad Sanctitatem Suam afferri curet.

Potentiſſimo, ac Magno Domino Czari, & Magno Duci Petro Univerſæ Magnæ, Parvæ, & Albæ Ruſſiæ Autocratori, nec non Magnorum Dominiorum Orientalium, Occidentalium, & Septemtrionalium paterno, avitoque Hęredi, Succeſſori, Domino, & Dominatori.

CLEMENS P.P. XI.

NOn facilè explicare poſſumus, quo gaudio Nos affecerit Nobilis Vir Dux Boriſius Kurakinus, quem tuis ad Nos literis, Excelſe, ac Potentiſſime Czare, in fidem eorum, quæ tuo nomine expoſiturus erat, ante aliquod menſes Romam allegaſti, dum uberrima Nobis reddidit teſtimonia tuæ erga Nos voluntatis egregiæ, ac præclaræ, ſed præſertim gratæ ob rationem, quam à Nobis in rebus Regni Poloniæ ſemel initam ſemper hactenùs ſervavimus, & adhuc quidem retinemus; ſolatium verò longè majus ab eodem Nobis allatum eſt, ubi certiores Nos fecit conſtitutum Tibi eſſe liberum, ac publicum Catholicæ Romanæ Religionis exercitium in univerſâ tuâ ampliſſimâ Ditione permittere; imò jam annuiſſe, ut in Civitate tuâ Moſcua nedum fundetur Conventus Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci, Cappuccinorum nuncupatorum, ſed etiam, ut erigatur Eccleſia, & Domus pro Religioſis Viris Societatis Jeſu, unà cum Gymnaſiis ad erudiendam bonis literis, & ad inſtruendam Chriſtianis moribus juventutem, quod conſilium magnam profectò tuis Populis utilitatem eſt allaturum. Cumulus tandem lætitiæ noſtræ adjectus eſt, cum ille idem tuo nomine Nobis pollicitus eſt apertum deindè, tutum, ac liberum fore tranſitum per ipſas tuas Ditiones

Miſſionariis ad annunciandum Chriſti Evangelium ab hac Sanctâ Sede ad Sinarum Imperium, & ad alia Regna Orientalia immittendis. Profitemur itaque, poſt gratias Deo humiliter actas, hæc omnia cor noſtrum Tibi, Potentiſſime Czare, magnoperè obſtrinxiſſe, ac excitaſſe in Nobis deſiderium declarandi publicis, ac congruis ſignificationibus plenitudinem gaudii noſtri, quod tunc ſanè erit, cum documenta eorum, quæ idem Dux à Te omninò ſperanda, ac expectanda eſſe affirmavit, ad manus noſtras pervenerint. Ceterùm omnis æquitas poſtulat, ut Tibi teſtemur ipſum Ducem magnam probitatis, ac prudentiæ laudem morum ſuorum integritate, ac gravitate, hic ab omnibus retuliſſe, ac animum noſtrum ſibi peculiari modo conciliaſſe. Quod ſupereſt, Deum Patrem luminum impensè rogamus, ut lucis ſuæ radios tuæ menti propitiùs infundat, & Te perfectâ charitate Nobis, & Catholicæ Eccleſiæ conjungat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 18. Octobris 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

ARGUMENTUM

Ducis Lotharingiæ petitioni, ut ejus Filius ſecundogenitus Sacro Baptiſmatis Fonti Pontificio nomine admoveatur, benignè annuit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Leopoldo Duci Lotharingię.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Paternum animum noſtrum peculiari modo demeruit pia, ac officioſa petitio Nobilitatis Tuæ; ut verò eam Nobis prorsùs gratam accidiſſe teſtemur, alacri, ac libenti animo annuimus, quod Filius tuus ſecundogenitus Sacro Baptiſmatis Fonti noſtro nomine admoveatur. Interim, dum paramus demandare vices noſtras alicui, qui opportunè eas implere poſſit, prævenimus natum Puerum in benedictionibus, eique incolumitatem, ac felicitatem ab Eo, qui eſt fons vitæ, & origo bonorum omnium, ex animo apprecamur. Paria etiam auſpicia Tibi deferimus, omninò confiſi Te pro ingenita pietate ſingulare hoc ſpecimen egregiæ tuæ voluntatis Nobis exhibitum amplioribus in dies filialis tuæ in Nos, & in Apoſtolicam Sedem obſervantiæ teſtimoniis, ac documentis eſſe comprobaturum. Plura de propenſione noſtræ voluntatis erga Te, & inclytam tuam Domum, & de intimo deſiderio, quod fovemus, ut Nobis tum occaſio, tum facultas ſuppetat declarandi Tibi magnitudinem Pontificiæ noſtræ charitatis, percipies à Dilecto Filio Abbate Gaſpare Spada, quem ſedulum, ac ſolertem in rebus agendis experti, accuratum fore credimus in explicandis Tibi Paterni noſtri cordis ſenſibus, ex quibus intelliges, quàm præclara Nobis polliceamur de eximiâ virtute Nobilitatis Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Octobris 1707.

IDEM

IDEM ARGVMENTVM

Dilectæ in Chriſto Filiæ, Nobili Mulieri, Eliſabethæ Carlottæ, Duciſſæ Lotharingiæ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecta in Chriſto Filia, Nobilis Mulier, ſalutem &c. Pertinet profectò ad commendationem eximiæ illius pietatis, quâ Nobilitatem Tuam præſtare novimus, quòd Filium à Te non ita pridem in lucem editum ſub auſpiciis Pontificii nominis ſacris Chriſtianæ Religionis myſteriis initiari cupias, ac poſtules. Nos itaque pio huic, ac præclaro deſiderio, quod Tibi commune eſt cum Dilecto Filio Nobili Viro Conjuge tuo, libentiſſimè annuentes, Filium ipſum è Sacro Fonte noſtro nomine ſuſcipi curabimus. Quia verò Nobis incumbit peculiaribus officiis adeſſe eidem Nato tuo, quem arctiori quodam charitatis vinculo Nobis commendatum eſſe intelligimus, confidimus hanc noſtram ſolicitudinem relevandam eſſe præclara tuâ operâ, neque enim ambigendum eſt, quin in eo inſtituendo liberes fidem noſtram, qui pro eo Sponſoris munus in Baptiſmate obituri ſumus, & quin ſedulè, ac religiosè Genitricis partes omni diligentiâ adimpleas. Interim verò in bonorum omnium auſpicium Nobilitati Tuæ, & eidem Puero Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 22. Octobris 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

ARGUMENTUM

Collationem à Capitulo Auguſtano in menſe illi reſervato factam Canonicatus Eccleſiæ Auguſtanæ Preciſtæ Imperiali damnat, & retractari poſtulat, quia Imperator, à quo Primariæ Preces expeditæ fuerant, carebat Indulto Apoſtolico: & Epiſcopo Auguſtano injungit, ut eumdem Preciſtam ab indebitâ Canonicatus occupatione removeri curet.

Venerabili Fratri, Alexandro Sigiſmundo, Epiſcopo Auguſtano.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Dum perlegeremus Fraternitatis Tuæ literas die 28. proximè elapſi Septembris Auguſtæ ad Nos datas, tuiſque precibus refertas pro obtinendo favore Dilecti Filii Comitis Philippi de Lerchenferd Canonicatu iſtius Cathedralis Eccleſiæ, mirum, ac ſanè moleſtum Nobis fuit ex iiſdem literis intelligere, quòd Capitulum Auguſtanum alium ſimilem Canonicatum, cujus vacatio in menſe ipſi Capitulo aſſignato contigerat, ad Preces Imperiales, quas vocant Primarias, non ita pridem contulerit. Cui enim umquam ſive Epiſcoporum, ſive Capitularium Germaniæ incompertum eſſe poterat Nos, ubi actum eſt de hujuſmodi abuſu inducendo, pro Muneris noſtri debito firmiter obſtitiſſe, ac palàm

denunciaſſe etiam per noſtras in ſimili formâ Brevis literas, quas in quadam Diſſertatione hac ſuper re typis editâ inſertas fuiſſe inaudivimus, nullum jus eſſe Cæſareæ Majeſtati dirigendi ejuſmodi Primarias Preces,ac agendi pro earum executione, niſi id ipſi Majeſtati Pontificiâ authoritate fuerit priùs ſpecialiter indultum, cum explorati juris ſit laicos Principes nihil ſine Beneplacito Apoſtolico circa Beneficia Eccleſiaſtica præſcribere poſſe Capitulis, aut Collatoribus ordinariis, ex quo factum eſt, ut anteacti Imperatores ab uſque claræ memoriæ Friderico hujus nominis tertio ad hæc uſque tempora facultate expediendi Primas Preces à Prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus communiri curaverint. Intelliget propterea Fraternitas Tua ademptam Nobis eſſe viam quidquam ſtatuendi circa petitiones, quas pro memorato Comite de Lerchenfeld ad Nos detuliſti, niſi ſubmoto priùs præjudicio per Capitulum illato Eccleſiaſticæ libertati, noſtræque authoritati, ac niſi Tu ipſe ad utramque aſſerendam declaraveris executionem Primariarum Precum, & collationem earumdem intuitu factam nullam eſſe; eum verò, qui Canonicatum hoc medio obtinuit, legitimum ejus Poſſeſſorem nequaquam eſſe, nec facere fructus ſuos. Hoc itaque ſpectati tui zeli, & debitæ in Nos, & in Apoſtolicam Sedem obſervantiæ ab eximiâ tuâ virtute præſtolamur documentum, ut ſcilicet Commendato, aut Preciſta Canonicatus detentore ab indebitâ ejuſdem poſſeſſione repulſo, ab omni Nos ulteriori cogitatione hac in re eximamur, Nobiſque detur locus, prout cupimus, gratificandi Fraternitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Octobris 1707. &c.

ARGUMENTUM

Cum rumor invaluiſſet partem aliquam Cæſarei Exercitus in Italiâ verſantis intra fines Eccleſiaſticæ Ditionis hyberna facturam eſſe, ab Imperatore quàm enixè flagitat, ut pro avitâ æquitate, ac pietate ejuſmodi malum à locis, populiſque Pontificiis avertere velit; Et ſiquid adversùs eamdem Eccleſiaſticam Ditionem attentari contingat, ſui Officii partes ſe impleturum eſſe denunciat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Nullo modo adduci poſſumus ut fidem adhibeamus rumori hìc in dies magis invaleſcenti, ac planè jam publico, quo fertur partem aliquam Copiarum Militarium, quas Majeſtas Tua in Italiâ detinet, hyberna facturam eſſe intra fines Eccleſiaſticæ Ditionis. Quæ enim ratio ſuadere poteſt Te, qui Juſtitiam maximè omnium diligere, ac pro tuo munere, ac dignitate tueri debes, paſſurum eſſe Populos alienæ Ditionis, & prorsùs innoxios, Tibique nullo modo infenſos, graviſſimo militarium ſtationum oneri ſubjici, & poſt multas calamitates, quas hactenùs perpeſſi ſunt, novis etiam, & immeritis anguſtiis premi. Quæ per ſe ſatis eſſent, ut omninò conſideremus nihil prætereà adver-

ſùs eoſdem attentandum eſſe, niſi majorem adhuc ſpem in eximiâ, & innatâ Tibi, & univerſæ Auſtriacæ Domui, pietate conſtituendam eſſe intelligeremus; hac enim conſultâ numquam profectò committes, ut ea, quæ ſunt de Juribus Romanæ Eccleſiæ, per tuos attingantur. Nihil itaque tam alienum eſſe à veritate arbitramur, quàm quòd cogitetur modò de inducendo Milite in loca, & Terras noſtræ, & Apoſtolicæ Sedis tutelæ, ac regimini commiſſas, ac de vulnerandâ libertate, & immunitate, quâ Beati Petri Patrimonium perpetuò perfrui debere Tu ipſe ingenuè profeſſus es, & claræ memoriæ Leopoldus Cæſar Genitor tuus vel ab ipſo hujus luctuoſiſſimi belli exordio ſanctè affirmavit: Nobis pollicitus Jura Romanæ Eccleſiæ, & Sanctæ Sedis integra perpetuò fore. Nihilominùs cum Nos oporteat occurrere nedum periculo, ſed timori etiam eorum, qui ſibi, rebuſque ſuis in hoc rerum ſtatu metuendum eſſe exiſtimant, has noſtras literas ad Majeſtatem Tuam deferri voluimus, confiſi Te Paternâ noſtrâ ſolicitudine, & rei ipſius æquitate, ac ſanè Religione commotum, talia mandata ſupremis tuis in Italiâ Ducibus illicò daturum, quæ optatam Populis noſtris ſecuritatem afferant, & Nos prorsùs eximant ab ulterioribus curis, & à ſuſcipiendis gravioribus conſiliis, à quibus quemadmodùm numquam abſtinendum Nobis erit, ubi id expoſcat neceſſitas occurrendi præjudiciis Eccleſiaſticæ Ditioni illatis, ita ſi quid hoc medio tempore adversùs eam attentari contigerit, conſcientiæ, ac muneris noſtri partes implere profectò non omittemus. Majeſtati interim Tuæ, à qua filialis in Nos, & in hanc Sanctam Sedem ſtudii indubia argumenta tam neceſſario tempore Nobis pollicemur, Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 5. Novembris 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

IDEM ARGVMENTVM

Dilecto Filio Noſtro, Joſepho Tituli S. Priſcę Presbytero, S.R.E. Cardinali Archinto nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Benche non poſſiamo indurci à preſtar fede alle notizie, quali da diverſe parti ci giungono, che gl'Alemanni ſiano in procinto di mandare nello Stato Eccleſiaſtico qualche parte delle loro Truppe, ad effetto di prendervi li Quartieri d'Inverno, ò di eſiggervi contributioni; tuttavia perche, ceſſando ogni altra ragione, pur troppo li ſoli noſtri peccati potrebbero aver forza di farle avverare; quindi è che doppo il ricorſo, che abbiamo fatto à Dio per implorare il ſuo potente ajuto in sì grave contingenza, non abbiamo ſaputo altrove rivolgere il penſiero, che al zelo, all'amore, e alla virtù di V. S., confidando che quando Ella veramente non ſia ſicura, che le notizie accennate ſiano falſe, & inſuſſiſtenti, ſaprà in maniera eſeguire col Principe Eugenio la commiſſione, che le diamo, che egli ſia per rimanere ben perſuaſo di mutar conſiglio, e inſieme di conoſcere la preciſa neceſſità, in cui altrimenti ci trovareſſimo di eſeguire ſenza alcun indugio, quanto in noſtro nome le viene diffuſamente ſpiegato dalla lettera di Segretaria di Stato, quale eſſendo formata

con li noſtri preciſi, veri, & invariabili ſentimenti, non abbiamo difficoltà alcuna, che in caſo di biſogno venga da Lei moſtrata al medeſimo Principe Eugenio, affinche egli non poſſa mai allegarne ignoranza. In tanto preghiamo S. D. M., che *det voci tuæ vocem virtutis*: e con tutta la pienezza del noſtro Paterno affetto le diamo l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 31. Octobris 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Chriſtiano Auguſto, S. R. E. Presbytero Cardinali de Saxonia.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Niſi Nos magnoperè confirmaret, ac ab omni dubitatione cximeret juſta ſpes, quàm in eximiâ Majeſtatis Cæſareæ æquitate omninò conſtituendam eſſe exiſtimamus, non parùm commoveremur iis vocibus, per quas paſſim, ac publicè denunciatur nonnullas ex iis Copiis, quæ Cæſareum Exercitum in Italiâ conficiunt, proximâ hyeme in aliquâ Eccleſiaſticæ Ditionis parte conſeſſuras; quod certè aliud nihil eſſet, quàm palàm aggredi Juriſdictionem noſtram, ac lædere libertatem, & immunitatem, quâ præ ceteris omnibus gaudere debent Populi ſub Dominio, & Regimine Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis conſtituti, & prætereà iis diris, quibus obnoxii ſunt, qui Terras Eccleſiæ violenter ingrediuntur, ſeſe ultrò devovere. Perculſi nihilominùs eorum clamoribus, qui multa, & gravia incommoda experti graviora detrimenta metuunt, Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Joſephum in Romanorum Imperatorem Electum literis noſtris paternè admonemus, ne patiatur ſuſcipi conſilia aliena ab æquitate, & religione animi ſui, neve Nos ſinat tam in arctum redigi, ut liberum non ſit Nobis temperare ab extremis remediis, quibus Nos Deus communire voluit ad defenſam traditæ Nobis poteſtatis, & ad ſecuritatem eorum, qui noſtræ, & Apoſtolicæ Sedis authoritati, atque tutelæ commiſſi ſunt. Confidimus autem Te hac etiam occaſione ſingularem tuum zelum explicaturum, opemque, ac operam tuam poſiturum, ut conſultum ſit indemnitati, ac tranquillitati Populorum noſtrorum, quemadmodùm noſtro nomine percipies à Dilecto Filio Abbate Marco Antonio Sanctino, dum Nos Tibi in felicitatis auſpicium Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 5. Novembris 1707. Pontificatus Noſtri Anno Septimo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Jo. Philippo, Tituli S. Silveſtri in Capite Presbytero, S.R.E. Cardinali de Lamberg nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Etſi pro certo habeamus Majeſtati Cæſareæ conſtitutum eſſe à veſtigiis avitæ pietatis nunquam recedere, ſed imò abundantiùs æmulari commendatam ubique terrarum Majorum ſuorum inclytæ memoriæ Regum, atque Imperatorum erga Deum religionem, erga Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem reverentiam: quia tamen quo loco in præſens ſunt res Italiæ, facilè contingere poſſet, ut in hiſce partibus ſuſciperentur conſilia, quæ huic laudabili propoſito congruere non viderentur, ubi hæc eidem Cæſari, tamquam Authori tribuerentur, Nos Ipſum literis noſtris omni Paternæ noſtræ charitatis ſenſu commonuimus, ac certiorem fecimus invaluiſſe hìc apud pleroſque rumorem, quòd Eccleſiaſtica Ditio proximâ tempeſtate non ſit futura immunis à Caſtris hybernis Cæſareorum Militum. Et licèt Nos innixi verbis tum ejuſdem Majeſtatis, tum demortui claræ memoriæ Leopoldi Cæſaris, qui ſub ipſis hujuſce belli auſpiciis disertè Nobis pollicitus eſt nihil propterea detractum iri de noſtris, neque de juribus Romanæ Eccleſiæ, quæ ſarta tecta perpetuò eſſe vellet, nullam fidem hujuſmodi vocibus circa ſtationes militares in Pontificiâ Ditione conſtituendas, adhibendam eſſe exiſtimemus: rati nihilominùs zelum, & authoritatem tuam magnoperè profuturam eſſe ad avertenda omnia pericula, quæ timeri poſſent, & ad promovendum felicem rei exitum, quem Nos quidem eò magìs optamus, quò magis intelligimus Nos, ſi res ad extrema deducantur, adigi poſſe ad ſimiliter extrema remedia capeſſenda, à Te diligenter petimus, ut ſenſibus noſtris à Dilecto Filio Abbate Marco Antonio Sanctino perceptis, ſatagas pro egregiâ tuâ in Nos voluntate animum noſtrum ab hac ſolicitudine liberare. Et Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 5. Novembris 1707. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Prorogat ad alium annum facultatem Archiepiſcopo Mechlinienſi, ejuſque Suffraganeis aliàs tributam præcipiendi Superioribus tam Secularibus, quàm Regularibus, ne deſertionis, aut cujuſcumque criminis Reos intra Eccleſias, aliave loca immunia recipiant, vel eos ibidem retinere audeant.

Venerabili Fratri, Humberto Guilielmo Archiepiſcopo Mechlinienſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Gratum Nobis admodùm fuit ex Fraternitatis Tuæ literis intelligere facultatem ante aliquot menſes Tibi, & Epiſcopis Comprovincialibus, ac Suffraganeis tuis per Nos indultam præcipiendi ſub pœnis tunc expreſſis Superioribus, tam Secularibus, quàm Regularibus cujuſcumque Eccleſiæ, Conventus, ac Monaſterii, ne per annum proximè conſecuturum Milites deſertionis, aut cujuſcumque criminis reos intra eaſdem Eccleſias, & ſacra loca receptare, eoſve ibidem retinere auderent, fuiſse medium peropportunum ad evitanda pericula læſionis Immunitatis Eccleſiaſticæ, quæ in eo rerum ſtatu paſſim metuenda eſse ſignificaveras, cum frequenter evenirent hujuſmodi deſertiones, atque confugia, ac interim Officiales Acatholici contenderent extradendos ſibi eſse Milites deſertores, aliter vim ſe illaturos ſacris locis comminarentur, actuque non ſemel intuliſsent. Quoniam verò nunc denuò admones, rebus iſtis eodem loco conſtitutis, vigenteque eodem periculo, expedire, ut quod hactenùs vi ejuſdem facultatis iſthic actum eſt, in poſterùm ſervetur: Nos de zelo, ac prudentiâ tuâ plurimùm confiſi, facultatem Tibi, & Epiſcopis tuis Suffraganeis ſub die decimâ nonâ elapſi Februarii ad annum indultam, ad alium annum ab eodem die, quo illa deſierit, computandum, juxtà formam ibi explicatam prorogamus, ità tamen, ut quoad ceteras perſonas, quæ fortè ad hujuſmodi ſacra loca confugerint, immunitas localis, juxtà id, quod per Sacros Canones, & Apoſtolicas Conſtitutiones præſcriptum eſt, omninò ſervetur, in quo tuam, & Suffraganeorum Epiſcoporum conſcientiam oneramus. Ceterùm ſenſus noſtros ſuper reliquis omnibus, quæ eiſdem tuis literis continentur, ab Internuncio noſtro percipere poteris, dum Nos in auſpicium bonorum omnium Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 3. Decembris 1707. Pontificatus Noſtri Anno VII.

AR-

ARGUMENTUM

Solidis rationibus confutat fundamenta, quibus innixum Capitulum Auguſtanum ſibi licuiſſe aſſerebat conferre Preciſtæ Imperiali Canonicatum illius Eccleſiæ, qui in Menſe eidem Capitulo reſervato vacaverat. Ejuſmodi collationem rurſus damnat, ac improbat, & Epiſcopum Auguſtanum ſeriò monet, ut illatam Eccleſiaſticæ libertati injuriam opportunè deleri curet. Præclarè interim de primariis Precibus Imperialibus diſſerit, eaſque, ubi Apoſtolico Indulto communitæ non ſint, nullibi recipiendas, nec attendendas eſſe luculentèr oſtendit.

Venerabili Fratri, Alexandro Sigiſmundo Epiſcopo Auguſtano.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Quâ mente, ac propoſito jura hujus Sanctæ Sedis, Immunitatem Eccleſiarum, libertatem Epiſcoporum, & Capitulorum Germaniæ tuenda ſuſceperimus adversùs Primarias Preces Apoſtolicæ authoritatis præſidio deſtitutas, quas à Cæſareâ Majeſtate interpoſitas fuiſſe audivimus, ità compertum eſſe, ne dum iſti Nationi, ſed univerſo propè Chriſtiano orbi exiſtimamus, ut non immeritò inopinatum Nobis acciderit ex Fraternitatis Tuæ ad Nos, & ex adjectis Capituli Auguſtani ad Te literis percipere animum eâ in re noſtrum neque Tibi, neque eidem Capitulo innotuiſſe, utroque præſertim teſtante ſe perlegiſſe Diſſertationem ſub nomine Conradi Olingenii typis editam, jura ejuſdem Sanctę Sedis in hac Causâ perſpicuè, ac diſertè allegantem. Quæ quidem jura, ſi æquo animo expendantur, ſatis evincunt repugnare ſacris Canonibus, repugnare Apoſtolicis Conſtitutionibus admiſſionem ſimilium Precum à laicâ tantùm Poteſtate provenientium, earumque uſum nullo jure, nullo inniti exemplo, aut facto præteritorum Imperatorum, quibus imò à tribus fermè ſeculis ſolemne fuit ab hujuſmodi Precibus, niſi obtento priùs deſuper Apoſtolico Indulto, penitus abſtinere. Quis enim non videat nihil tam incongruum eſſe, quàm ut Principes Seculares tantùm ſibi poteſtatis vindicent in Eccleſiâ Dei, ut urgeant precibus mandato ſimillimis, ac pœnarum comminatione expetant, ac velint Canonicatus, ac Beneficia Eccleſiaſtica ab Ordinariis, ab Epiſcopis, & à Capitulis legitimis collatoribus ſuo nutu, atque arbitrio conferri? Sanè ex noſtris literis in ſimili formâ Brevis ad Capitulum Hildeſienſe ſub die ſexta Martii Anni proximè elapſi datis, atque eodem Scripto, quod ad Vos perveniſſe fertis, ad verbum contentis, facile erat agnoſcere, quàm graves obeſſent cauſæ, quo minùs pateremur Imperiales Preces ſine Apoſtolico Indulto in detrimentum immunitatis, ac libertatis Eccleſiaſticæ executioni demandari. Conſtabat prætereà ex eiſdem, quòd qui ſimilium Precum vigore Canonicatum, aut Eccleſiaſticum Beneficium obtinuiſſet, ille eſſet intruſus, nec faceret fructus ſuos, neque jure vocis in Capitulo gauderet, itaut hoc nomine graviſſima pericula, ac ſcandala evenire poſſent, atque illud inprimis, quod electionibus Capitularibus, quas taliter Proviſo, ſeu, ut vocant, Preciſtâ interveniente, ac ſuffragium ferente, fieri contigiſſet, de nullitate rectè obiici poſſet. Eâ igitur noſtrâ declaratione inſpectâ nemini ambigendum erat, quin is, qui Eccleſiæ Auguſtanæ Canonicatum vi Precum Imperialium

nu-

nuper aſſecutus fuerat, pro intruſo habendus eſſet, & liquebat eumdem neque fructus ſuos facere, neque in actis Capitularibus ſuffragii prærogativam habere. Illud intereà ſanè mirum in Epiſtolâ ab Auguſtano Capitulo ad Te perſcriptâ Nobis occurrit, quòd Capitulares illi exiſtimarę videantur, aut certè aſſeverare non dubitent ſe Imperiales Preces legitimè executos fuiſſe, cum Canonicatus per eos collati vacatio contigerit in menſe ab hac Sanctâ Sede Capitulo, juxta Concordata Germaniæ, attributo, quaſi vitium collationis ex eo oriatur, quòd ipſi tunc temporis legitimè conferre non poſſent, cum utique poſſent, & non ex eo potiùs, quòd Canonicam, & Eccleſiaſticam libertatem, quam habebant, eligendi quem magis idoneum reputaſſent, ultrò devoverint, ac ſubjecerint Seculari Poteſtati ſub pœnarum comminatione deſignatam perſonam commendanti, & hoc quidem contra formam ipſorum Concordatorum, in quibus nunquam legitur claræ me: Friderico Imperatori, aut ejus Succeſſoribus ab Apoſtolicâ Sede ullum jus datum fuiſſe quoad Canonicas electiones, & Canonicatuum, ac Beneficiorum Eccleſiaſticorum collationes: imò è contrà manifeſtum eſt integram libertatem (præter Menſes Apoſtolicos Romano Pontifici reſervatos) Locorum Ordinariis, Epiſcopis, atque Capitulis fuiſſe conceſſam. Hinc memoratus Fridericus, & qui eum ſubinde conſecuti ſunt, Imperatores adeundam ſibi eſſe intellexerunt Apoſtolicam Sedem pro obtinedo Indulto Primarum Precum, quas ſcilicet non poteſtate merè laicâ, ſed Pontificiæ authoritatis ope interponerent. Qui itaque mandatis Secularium Principum Precum nomine honeſtatis in conferendis Sacerdotiis hoc modo obſequuntur, hi profectò non evadunt pœnas à ſacris Canonibus inflictas; ſunt enim improvidi Diſpenſatores tum bonorum, quæ Deo dicata ſunt, tum ſpiritualium donorum, quæ Eccleſiaſtici tituli collationem ſubſequuntur. Atque hi, cum pro ſuo munere propellere deberent vim Miniſtris Sanctuarii illatam, eam ultrò admittere videntur, parùm interim perpendentes ſe non eſſe filios Ancillæ, ſed liberæ, cujuſmodi ab ortu ſuo eſt Eccleſia. Verùm quia Paſtoralis charitas, & ſolicitudo poſtulat, ut Capitulares admoneantur periculi, in quo verſantur, niſi factum retractent, aut niſi ſaltem Preciſtam à quocumque actu Capitulari excludant, habeantque pro intruſo, qualem eum eſse nedum res ipſa teſtatur, ſed Nos ad præcidendam omnem ambiguitatem hiſce Noſtris expreſsè declaramus: Tuum eſt, Venerabilis Frater, idipſum tum eidem Proviſo, tum Canonicis Auguſtanis apertè denunciare, quatenùs ſeriò cogitent, quid factu opus ſit ad delendam hanc notam juri, ac libertati ſuę Eccleſię per eos inuſtam. Erit igitur officii tui partes ſedulò implere, ac animum noſtrum ità demereri, ut propenſæ in Te voluntatis noſtræ majora in dies argumenta nunquam à Te in poſterùm deſiderari patiamur. Et Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decimâ Decembris 1707. Pontificatus Noſtri Anno VIII.

ARGUMENTUM

Epiſcopum Curienſem hortatur ad obſiſtendum fortiter Hæreticorum conatibus, qui in tractatu à fæderatis Griſonibus cum Ducatu Mediolanenſi dudum inito, & proximè innovando removeri nitebantur Articulum, quo Proteſtantibus conſiſtere, vel bona acquirere in Valle Tellina, & in Comitatibus Clavennæ, & Bormii interdicitur.

Venerabili Fratri, Epiſcopo Curienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Venientem turbinem eis, qui in partem noſtræ ſolicitudinis vocati ſunt, ab hac ſpeculâ nunciamus, ut communi periculo conjunctis Nobiſcum multorum ſtudiis, atque conſiliis occurramus, & declinemus inſidias, quas in præſenti temporum perturbatione Catholicæ Religioni undique parari mœrentes, atque dolentes conſpicimus. Quo nomine adeundam in primis eſse duximus Fraternitatem Tuam, cum perſuaſum habeamus Acatholicos illos, qui pro Potentiis exteris, pariterque acatholicis in iſtis partibus reſident, arreptâ occaſione, nihil priùs habituros, quàm ut omni officiorum genere, & magnis pollicitationibus evincant apud fæderatos Griſones, ut à tractatu per eos cum Ducatu Mediolanenſi pridem inito, ad quem innovandum iſtuc proximè conventuri dicuntur, removeatur Articulus ille, quo inter Partes conſtitutum fuerat, ne Proteſtantes conſiſtere, aut bona acquirere poſsent in Valle Tellina, neque in Comitatibus Clavennæ, & Bormii. Illi enim ſua maximè intereſse intelligent, ut ſui ſimiles, hoc eſt Hæretici ibi conſtabiliantur, unde eis facile aliquando ſit mores, ac dogmata ſua in finitimas Provincias invehere. Verùm cum ob hoc ipſum Catholici, quibus veræ Fidei integritas, & ſalus cordi eſt, obniti debeant, ut Hæretici inde perpetuò excludantur, ne fortè, ut timere eſt, multorum Animas veneno ſuæ pravitatis inficiant, totis ſanè viribus, imploratâ Dei ope, iniquis eorum conatibus eſt obſiſtendum. Patet itaque inſignis campus eximio tuo zelo benemerendi de Eccleſiâ, quod planè erit, ſi Catholicos, apud quos, & munere præſtas, & authoritate polles, tuo exemplo, tuiſque monitis incenderis, ut in longè meliori causâ vinci ſe non patiantur ab Hæreticis numero licet, ac potentiâ fretis, qui certè multum ſibi pollicentur, ubi obtineant, ut Proteſtantes illuc inducantur, vel ut liberum cuique ſit in illis partibus circa Religionem pro arbitrio ſentire. Graviſſimum itaque hoc negotium Tibi pro eo, quanti facis Dei honorem, & Catholicæ Fidei incolumitatem commendamus, nec interim omittimus urgere rem eamdem apud eos Principes, apud quos oportere dijudicamus, dum in auſpicium optati exitus, & in pignus Pontificiæ noſtræ erga Te charitatis, Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ Decembris 1707. Pontificatus Noſtri Anno VIII.

ARGUMENTUM

Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani Magnum Magiſtrum, ejuſque Equites laudat, quòd ipſorum potiſſimùm ope, ac virtute Arx Orani ab imminenti diſcrimine exempta fuerit, ac adeò communita, ut Barbarorum oppugnationem ſuſtinere diù poſſit.

Dilecto Filio, Raymundo de Perellos Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani Magno Magiſtro.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, ſalutem &c. Quàm ſoliciti ſemper anteà fuimus, ne Arx Orani tam opportuna, ac commoda ſaluti, ac ſecuritati rei Chriſtianæ à Barbaris demùm expugnaretur, à quibus eam pertinaci obſidione in dies magis obſtringi, ac vehementiùs oppugnari non ità pridem audiebamus, tam profectò gratulati ſumus, ubi tuo nomine nunciatum eſt Nobis pręſidiarias Naves, quas neceſſariis omnibus, pręſertim verò Pugilum inclyti iſtius Ordinis virtute inſtructas, eò immiſeras, tam diligenter, ac ſtrenuè ſuas partes obiiſſe, ut Arcem ipſam in ſummas jam anguſtias redactam, quà Militum tuorum robore, quà copiis ex partibus Hiſpaniæ celeriter illuc advectis, ab imminenti diſcrimine exemerint, eamque interim ità communierint, ut Infidelium conatibus diutiùs obſiſtere jam poſſit. Egregium hoc facinus, quod ſingularem præſtanti tuo zelo laudem, & magnum ipſi Ordini decus perpetuò eſt allaturum, fraudari non debet teſtimonio Paternæ noſtræ charitatis, ac proinde ſcire Te volumus Nos, ſicut lætum hunc eventum conſilio tuo, ac tuorum operæ magnâ ex parte tribuendum eſſe intelleximus, ità Deum enixè precari, ut quæ pro Chriſtiani nominis honore, atque ſalute, hac occaſione à Vobis acta ſunt, uberi mercede rependat Tibi, Dilecte Fili, ipſique inclyto Ordini, in cujus boni auſpicium Apoſtolicam utrique Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 31. Decembris 1707. &c.

EPISTOLÆ

ET

BREVIA

SELECTIORA

ANNI MDCCVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google



VT INFIRMOS LUCRIFACEREM.
2. Corinth. Cap. 9. u. 22.

ARGUMENTUM

Deploratâ infelici Regni Poloniæ conditione, illius Archiepiſcopos, & Epiſcopos hortatur, ut in Comitiis ibidem proximè cogendis Acatholicorum dolis, & conatibus obſiſtant, Apoſtolicæque Sedis jura ſtrenuè tueantur.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Poloniȩ.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabiles Fratres, ſalutem &c. Aſſiduum doloris argumentum Paſtorali charitati Fraternitatum Veſtrarum eſſe arbitramur publicas calamitates, quæ in iſtis partibus à multo jam tempore invaluerunt, cum unuſquiſque Veſtrum non immeritò timere poſſit, nè creditarum ſibi Ovium pars magna in tanto diſſidentium animorum conflictu, & armorum ſtrepitu diſſipetur, vel eâ labe inficiatur, quæ in magnam Dominici Gregis perniciem, Caſtra, & Sedem in iſto Regno fixiſſe videtur. Hæc ipſa graviſſima cura Paternum animum noſtrum adeò torquet, & angit, ut nunquam menti noſtræ aciem iſthùc convertamus, quin pro magnitudine periculi cor noſtrum ingenti amaritudine repleatur. Auget verò in præſens ſolicitudinem noſtram rumor, quo fertur agi iſthic modò de cogendis quamprimùm Regni Comitiis, quæ cum habenda ſint in conſpectu Hæreticorum, tàm profectò deſtituentur libertate, quàm inſidiis Hoſtium Catholici nominis patebunt. Horum præcipua ſtudia (quis enim ambigat?) erunt per ſectatores ſuos authoritatem, ac jura Romanæ Eccleſiæ aggredi, pravitatis ſuæ fines longiùs proferre, & vel metu, vel ſpe injectâ de Catholicorum partibus trium-

phum agere. Spes propè una avertendi tantum periculum ſita Nobis eſſe videtur, Venerabiles Fratres, in eximiâ virtute veſtrâ; fore enim credimus, ut deficiant in cogitationibus ſuis, qui nova animo verſant in detrimentum orthodoxæ Fidei, cum viderint Vos ex adverſo ſtare, quorum nec vigilantiam effugere, nec prudentiam fallere, nec conſtantiam expugnare poſſe intelligent. Zelum itaque veſtro munere dignum exerite, obſtruite authoritate veſtrâ os loquentium iniqua, oſtendite in Vobis ipſis, quòd ubi Spiritus Dei, ibi libertas; Miniſterium demum veſtrum implete, uberem ab hominibus laudem, ampliſſimam à Deo mercedem aſſecuturi; dum Nos in pignus Pontificiæ noſtræ benevolentiæ Apoſtolicam Benedictionem Fraternitatibus Veſtris peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 14. Januarii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris Ordini Senatorio Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Niſi graviſſimi motus in iſto Regno pridem excitati, & adhuc quidem ęſtuantes, ſolicitudinem noſtram admonerent nihil iſthìc in hoc perturbatiſſimo rerum ſtatu ſatis tutum eſſe, neque poſt convulſam iſtius Reipublicæ pacem, ac tranquillitatem, ſperandum eſſe Catholicam Fidem ab omni prorsùs periculo immunem fore: ſupervacaneum videri poſſet Nobilitates Veſtras commonere modò, ac hortari, ne in Comitiis, quæ iſthìc proximè habenda dicuntur, negligeretur à Vobis Religionis cauſa, in quâ cuſtodiendâ omne ſemper ſtudium Majores veſtri jure quidem optimo poſuerunt. Verùm cum liqueat, rebus ſic conſtitutis, latum patere campum hæreticæ pravitati ad oppugnandam Romanæ Eccleſiæ authoritatem, nec interim deſore valida iſthìc præſidia ad fulciendos, ac provehendos auſus, atque conatus eorum, qui Catholico nomini infenſi ſunt: cogimur pro munere noſtro, & pro injunctâ Nobis ſolicitudine, Vos obteſtari, ut nedùm æquâ, ac probâ mente, ſed ut res præſens poſtulat, forti, & conſtanti animo ad ea Comitia accedatis, & certi nihil admittere, quod ejuſdem S. Eccleſiæ juribus, & Catholicæ Fidei puritati, & integritati vel minimùm adverſetur. Et ſanè ſi pro ſpectatâ veſtrâ prudentiâ intelligitis res veſtras eo loco eſſe, ut quò Reſpublica veſtra priſtinæ dignitati, ac tranquillitati reſtituatur, peculiari, ac potenti Dei præſidio opus ſit: non eſt Vobis ambigendum, utrum veſtra magis interſit, ſepoſitâ aut deſertâ Religionis cauſâ, breve aliquod lenimentum veſtris malis ultrò admittere, & interim graviora Divinæ iracundiæ flagella ſuper caput veſtrum accerſere, an potiùs Deum ipſum, aſſerto ſtrenuè per Catholicæ Religionis tutelam vero ipſius honore, ac cultu, propitium Vobis efficere. Atque hæc Nos ex abundantiâ quâdam Paternæ noſtræ erga Vos charitatis eloquimur, non quòd imminuta ſit in Nobis præclara, quam de perſpectâ virtute veſtrâ ſemper geſſimus, opinio; confidimus enim Vos debitæ fidei, & obſequio ergà Deum, & Eccleſiam non defuturos, nec paſſuros eſſe tanto famæ, ac exiſtimationis, præſertim verò ſpiritualis ſalutis veſtræ diſpendio, quidquam à Vobis hac occaſione extorqueri, quod pietati, ac religioni uſquequaque non conſentiat. Quod ut perficere valeatis, authorem boni conſilii Deum Optimum Maximum

mum precari non omittemus, ut ſpiritum intellectus, & fortitudinis in mentibus veſtris confirmet, & augeat, & in hunc ſcopum Apoſtolicam Benedictionem Nobilitatibus Veſtris peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 14. Januarii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Ordini Equeſtri Regni Poloniç.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Quòd curas, ac cogitationes noſtras, quæ in hoc perturbatiſſimo univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſtatu undique evocantur, ad Regnum iſtud potiſſimùm convertamus, facit, ut quidem magnitudo noſtræ erga Vos charitatis, de ſalute, & tranquillitate veſtrâ impensè ſolicitæ, ita in primis zelus, quo urimur, metuentes, ne tot minæ, ac conatus, tot inſidiæ, quæ in dies magis iſthic invaleſcere dicuntur, eò demum pertingant, quò fortè collimant: ne ſcilicet Catholicæ Religioni, quæ in primis appeti videtur, grave aliquod vulnus hoc tempore infligatur. Quod etſi nullo modo metuendum eſſet, ſtrenuâ virtute veſtrâ ſuperſtite (quis enim exiſtimet deſiiſſe veterem pietatem inclytæ veſtræ Nationis, cui nihil unquam priùs fuit, quàm nè à Dei, & Romanæ Eccleſiæ cultu, & nè à debitâ erga hanc Sanctam Sedem obedientiâ, vel minimùm abduceretur?) Quia tamen ad retundendos, elidendoſque tantos impetus non vulgari conſtantiâ opus eſt, nec minori fortaſſe ſolertiâ ad detegenda pericula, quæ ſub ſpecioſis promiſſis, vaniſque pollicitationibus detrimentum animæ nullo ſanè modo repenſuris Vobis parantur, facere non poſſumus, quin pro noſtro jure, ac officio Vos commoneamus, ac hortemur, ut quales Vos eſſe decet, hoc eſt Orthodoxæ Fidei ſynceros Affeclas, & ſtrenuos, ubi res expoſcat, invictoſque Aſſertores, tales Vos exhibeatis occaſione Comitiorum, quæ iſthic proximè habenda dicuntur, nec patiamini augeri Achatolicorum partes jacturis, ac veluti Spoliis Romanæ Eccleſiæ, quod enim graviſſimâ labe animas veſtras inficeret, id etiam magnam, ac perpetuam nomini veſtro conflaret invidiam, ſi nimirùm Dei, & Religionis cauſam, vel metu attriti, vel ſpe humanarum rerum illecti fœdè proderetis. Operæ autem pretium eſſe duximus Paterni noſtri animi ſenſus Vobis denunciare, ut quoniam pro certo habemus non defuturos iſthic homines malè animatos, ſui ſimilium, hoc eſt Hæreticorum potentiâ fretos, qui multa hoc tempore extorquere, tàm ſuis confovendis erroribus opportuna, quàm Catholicæ veritati incommoda, ac injurioſa, contendant, Vos ità conſiſtatis, ut qui ex adverſo ſunt, intelligant cetera à Vobis auferri poſſe, Religionem à cordibus veſtris avelli non poſſe. Quod ut feliciter contingat, Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 14. Januarii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Cardinalis Archinti medio, ac ope utitur, ut Cæſarei Exercitus Moderatores abducat à conſilio aſſignandi Militibus Acatholicis, qui in Parmenſi, & Placentinâ Ditionibus ſtativa fixerant, exactionem aſſertarum contributionum ab Eccleſiaſticis Perſonis, ſacriſque locis illarum partium; ac ſe ad aſpera quæque pro Eccleſiæ immunitate, ac libertate toleranda paratum profitetur.

Dilecto Filio Noſtro, Joſepho Tituli S. Priſcæ Presbytero, S. R. E. Cardinali Archinto nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Quando eravamo in ſperanza, che non meno li noſtri uffizii, che la ſinderesi delle pur troppo note violenze pratticate negli Stati di Parma, e Piacenza, maſſime à danno degl'Eccleſiaſtici, e delle Chieſe, dalle Truppe ivi aqquartierate, foſſero per produrre il frutto di farci vedere finalmente ceſſate sì indebite veſſazioni, prontamente rimoſſe l'isteſſe Truppe da Stati predetti; Con noſtro ineſplicabile cordoglio udiamo, che ben lungi dal poter ſperare emendati li paſſati eccesſi, ſiamo in punto di vederne altri aſſai maggiori nell'eſſecuzione militare, che ci vien ſignificata imminente contro gl'Eccleſiaſtici di detti Stati, per la ſomma, in cui non meno ingiuſtamente, che nullamente, e ſenza alcuna legitima facoltà, com'è noto, furono taſſati nell'anno ſcorſo li medeſimi Eccleſiaſtici, ſupponendoſi, che tale eſſecuzione ſia per farſi col mezzo de' Soldati Eretici, à favore de' quali ſi dice ceduto, e aſſegnato il preteſo credito di detta ſomma. Può V.S. ben perſuaderſi, quanto ci abbia non pur ſorpreſi, mà inorriditi un tale avviſo, ſtrano, à dir il vero, per tutti i conti, e ſuperiore ad ogni credenza; mentre chi mai avrebbe ſaputo imaginarſi, che poteſſe cadere in mente Cattolica di fare l'accennata ceſſione, ò aſſegnazione à Truppe Eretiche, affinchè da quelle aveſſero à eſſere più empiamente trattati gl'Eccleſiaſtici, più ſacrilegamente violate le Chieſe, ſpogliati gl'Altari, profanati li Vaſi Sacri, e in ſomma conculcato, ſprezzato, e indegnamente abuſato tuttociò, che può avere di più ſacro, e di più ſanto la noſtra Religione: quaſi che eſſeguendoſi tali eccesſi da perſone, che non temono gl'Anatemi del Vaticano, aveſſero da quelli à rimaner eſſenti gl'Autori, li Promotori, li Fautori, e in qualſivoglia modo complici di sì iniquo conſiglio, e queſti in tal guiſa poteſſero impunemente burlarſi dell'ira Divina, e de' fulmini della Chieſa. Signor Cardinale, Ella ci creda, che per quanto ſia grande, e fuor d'ogni miſura il dolore, che c'ingombra l'animo, pure in mezzo alle noſtre afflizioni ſappiamo ben conoſcere, e diſtinguere la ſtretta, e indiſpenſabile obligazione, che in sì grave contingenza appartiene al noſtro Apoſtolico Miniſtero, e con l'ajuto Divino ſapremo anco ben adempirla, e ſenz'alcun riguardo contro chiunque occorrerà. Vogliamo perciò, che ſubito ricevuta la preſente noſtra lettera, quale à tal'effetto abbiamo riſoluto di ſcriverle di noſtra mano, e di ſpedirle per Corriere eſpreſſo, V. S. la faccia vedere, e leggere à qualunque perſona, che abbia coſtì direzione, maneggio, ò incombenza di tal ſorte di affari: proteſtando loro in nome noſtro, anzi per dir meglio, in nome di Gieſù Chriſto, di cui, benchè indegnamente, teniamo

le

le veci, la ferma, e invariabile riſoluzione, in cui ſiamo di vendicare gl'oltraggi della Chieſa con quelle armi, che Dio ci hà poſto nelle mani, affinchè penſino bene à caſi loro, e con impedire tali oltraggi, procurino di ſchivare quell'eterna maledizione, che in evento contrario con tutta l'autorità dataci da Dio Noi gl'intimiamo. Troppo grande ſarebbe il loro ardire, ſe contro la piiſſima mente della Maeſtà dell'Imperatore ſi avanzaſsero ad abuſarſi del ſuo nome per diſeſa de' proprj ecceſſi; ſi accreſcerebbe, non ſi ſcuſarebbe il loro reato, ſe oltre le offeſe fatte à Dio, & alla Chieſa, ne aggiungeſsero una sì grave alla fama, ed alla conſcienza di chi tanto ſi pregia del nome di Avvocato, e Difenſore dell'iſteſsa Chieſa. Per altro ſappiamo, che troppo ci riputareſſimo felici, ſe per difendere l'immunità, e la libertà della Chieſa, foſſimo degni d'incontrar travagli, e di ſoffrire diſaſtri li maggiori, che poſſino mai imaginarſi: *Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem, quàm me*: Torniamo à dire, troppo ſareſſimo fortunati, e per verità ci parerebbe eſſer ſimili à quei primi Diſcepoli di Chriſto, quali *ibant gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*. Iddio ci aſſiſterà, Iddio ci difenderà, ò per dir meglio, difenderà non la noſtra, mà la ſua cauſa. Per quanto ſiano gravi li noſtri demeriti, la Chieſa è innocente, e ſenza colpa; l'autorità della S. Sede è ſempre l'iſteſſa, e ſempre illibata. Li noſtri peccati non diminuiſcono punto quella poteſtà di legare, e di ſciorre, che fù data da Chriſto à S. Pietro, e che *in indigno hærede non deficit*. V.S. che hà tutto quel zelo, che conviene al ſuo Sacro carattere, e che è fornita di tutta quella virtù, che è propria dell'Abito, di cui Ella è degnamente riveſtita, ſaprà ben diligentemente, e vogliamo anco ſperare, fruttoſamente ſodisfare alla commiſſione, che le diamo, ſenza che Noi più lungamente ci diffondiamo. Attendendone però li riſcontri col ſollecito ritorno del Corriero, che le ſpediamo, per indi regolare le noſtre ulteriori riſoluzioni, porgiamo frà tanto inceſſanti preghiere al Signore ſopra il ſuo Sacro Altare, replicandogli più, e più volte ben di cuore: *Parce Domine, parce Populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium*; e diamo à V. S. con tutta la pienezza del noſtro affetto l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Petrum die 15. Januarii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Agit de reprobatione Conſtitutionis, ſeu Ordinationis ampliativæ à Duce Lotharingiæ promulgatæ, ac Illi modum ſignificat, quo eâ in re & Pontificiis votis ſatisfacere, & partes ſibi incumbentes implere poſſit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Leopoldo Lotharingiæ, & Barri Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Certi nulla Nos ſynceræ, ac Paternæ charitatis officia erga Nobilitatem Tuam ullo umquam tempore prætermiſiſſe, atque id unum maximè curaſſe, ut nihil eorum, quæ Te ſcire oporteret, præſertim quoad Codicis ſub tuo nomine dudum editi abrogationem, nec non ad alia, quæ inde emerſerant, Tibi incomper-

tum eſſet, fatemur ſubſtitiſſe, cum in poſtremis tuis literis perlegimus inopinatum Tibi accidiſſe, quod in Decreto ſub finem Anni proximè elapſi à Congregatione S. R. E. Cardinalium Inquiſitorum Generalium Sancti Officii nuncupatâ emanato, typiſque edito, inter ceteros libros tum prohibitos, atque damnatos recenſeatur Conſtitutio, ſeu, ut ſcribitur, Ordinatio ampliativa, quæ ſub tuo item nomine uſque de anno milleſimo ſeptingenteſimo quinto prodierat. Probè enim tenemus Nos ad literas, quas Tu ea occaſione, unà cum exemplo ejuſdem Ordinationis, ad Nos perferri curaveras, noſtris in ſimili formâ Brevis die vigeſimâ nonâ Julii milleſimi ſeptingenteſimi quarti datis ad Te literis reſcripſiſſe; commendari quidem à Nobis uberes filialis tuæ devotionis ſignificationes, illaſque à Nobis accipi, tamquam argumentum eorum, quæ à Te expectabamus, ſed tamen horum nihil hactenùs præſtitum eſſe eâ Ordinatione, qua confirmari potiùs prima à Nobis reprobata, quàm emendari videbatur, ac propterea Ordinationem illam tum quidem editam fore procul dubio eidem, qua priores, cenſuræ obnoxiam. Atque id poſtmodùm evenit, cum vulgatum eſt idem Decretum, cujus publicatio eatenùs dilata fuit, quatenùs præfata Congregatio Sancti Officii, conſueto more retento, latum de ſingulis libris, qui in dies prodeunt, Judicium tum demùm profert, cum eos, quos damnandos cenſuit, uno, eodemque Decreto nominatim comprehenſos interdictos eſſe publicè denunciat: id quod in hoc Decreto, ſicut in anteactis, ſervatum eſſe, ſi tempora, quibus excuſi ſunt, conferantur, facilè intelligitur. Quæ cum ita ſint, & novi nihil peractum ſit, ne dum æquo animo eâ in re eſſe debet Nobilitas Tua, ſed ſanè parato ad faciendum ſatis tum votis noſtris, tum partibus, quæ Tibi ipſi incumbunt. Quo verò id commodè, & accuratè perficere poſſis, habeas, oportet, præ oculis alias noſtras die decimâ ſextâ menſis Junii anni milleſimi ſeptingenteſimi ſexti ad Te pariformiter conſcriptas literas, quibus ſi per omnia conformari ſategeris, rem totam rectè conficies. Nos ſanè in ſummâ expectatione ſumus, ut contenta in eis executioni quamprimùm demandentur, quemadmodum à Te factum iri non ſemel tuo nomine certò Nobis eſt affirmatum, ſed adhuc quidem eâ ſpe detenti, nihil tam cupimus, quàm ut abruptâ omni morâ, tuam fidem liberes, noſtramque ſimul, ac tuam conſcientiam exoneres. Quæ omnia tribui à Te volumus ſingulari noſtræ in Te charitati, quæ Nos de rebus, quæ ad tuæ pietatis, tuique in Eccleſiam, & in Apoſtolicam Sedem cultus, ac ſtudii commendationem pertinent, facit eſſe omninò ſolicitos. Animum verò hunc in Te noſtrum nullâ non occaſione teſtatum facere curabimus Nobilitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 18. Januarii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Cum Electore Palatino vehementer expoſtulat de multis, quæ à Conſilio ab Eo in Civitate Duſſeldorpienſi inſtituto adversùs Immunitatem Eccleſiaſticam, & Apoſtolicam authoritatem attentabantur; & ab eodem Electore enixè flagitat effici, ut præfatum Conſilium ab attingendis Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus rebus perpetuò in poſterùm abſtineat, ac inſuper læſa Eccleſiæ Jura debitâ reparatione ſarciantur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo, Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Grave profectò, ac peracerbum Nobis accidit non incertis Teſtimoniis admoneri, quòd in Ditione Bergenſi, ac Juliacenſi, atque in aliis iſtis partibus per Adminiſtros Nobilitatis Tuæ, nec non per Conſilium, quod nomine quidem Eccleſiaſticum, ſed Secularibus Viris pro majori parte refertum nonnullis ab hinc annis in Civitate tuâ Duſseldorpienſi inſtitutum fuit, multa in dies admittantur, quæ magnoperè perturbant, ac graviter lædunt libertatem, Juriſdictionem, ac Immunitatem Ecclesiaſticam, nec non Epiſcopali Ordini in Coloniensi, ac Leodiensi Diœcesibus damnum, ac præjudicium afferunt non tolerandum. Rati autem Te, à quo æquitatem, ac pietatem ſummoperè, ut par eſt, diligi novimus, moleſtè laturum gravamina, quæ Te, ut arbitramur, non ſatis conſcio, dignitati, ac Juribus Ecclesiæ inferuntur, Paternæ charitatis, quâ Te peculiari modo proſequimur, eſse duximus Nobilitatem Tuam de his admonere, ut tot ſcandala, quæ inter Fideles deterrimi exempli ſunt, tuâ authoritate tollantur. Atque, ut nonnulla eorum attingamus, fertur inter cetera quamplures Ecclesiaſticas illarum partium Perſonas in Jus vocari coram Judicibus merè laicis, cogique eos adire ſub mulctis pecuniariis, & interceptione proventuum, ipſas etiam perſonas, & bona Ecclesiæ ab exſolvendis oneribus paſſim impositis nequaquam eximi, quinimò ad exactiones urgendas, cenſuum, ac redituum deſcriptionem in publicas tabulas referendam ab Eccleſiaſticis requiri, aut potiùs extorqueri. Ajunt prætereà memoratum Conſilium arrogare ſibi poteſtatem cognoſcendi de cauſis Eccleſiaſticis ſpiritualibus, atque etiam Beneficialibus, itaut quandoque contigerit Apoſtolicâ authoritate Proviſos à ſuis Executoribus ab inita expediti judicii via ad Conſilium prædictum pertrahi, ac fatigari: imò etiam idem Conſilium uſurpare poteſtatem procedendi adversùs quoſcumque Regulares, & exemptos, interdictâ illis appellatione, & animadverſo acriter in eos, qui ſe ab hujuſmodi Judicio, ac mandatis ſubduxerint, atque ad legitimam Judicis Ordinarii authoritatem confugerint; Vindicare ſibi inſuper hoc Conſilium Jus viſitandi Eccleſias, corrigendi exceſſus, conſtituendi Laicos Commiſſarios ad inquirendas Eccleſiaſticæ Adminiſtrationis rationes, Jus etiam ſubjiciendi novo examini eos, quos Diœceſana Synodus, præviâ debitâ cenſurâ, idoneos eſſe ad curam animarum dijudicaverat; Ad hæc tribui per ipſum Decanis ruralibus facultates, quas conſtat nonniſi authoritate Epiſcopali concedi poſſe, quibus illi freti audent multa attentare Eccleſiaſticæ, ac Paſtoralis Juriſ-

dictionis prorsùs everſiva, cujuſmodi eſt inſtituere Rectores in Beneficiis etiam curatis, quin etiam audere ſe ipſos in poſſeſſione ſui muneris, irrequiſitâ ſui Epiſcopi confirmatione, tueri: ita demùm res Eccleſiæ in illis Partibus, atque per illas Diœceſes pertractari, ut Epiſcopalis juriſdictio propè defiiſſe videatur. Quoniam verò nullo modo inducere in animum noſtrum poſſumus, ut credamus hæc, & alia multa non minùs gravia, quæ circa Jus conferendi etiam in menſibus Apoſtolicis Paſtoratus, & Vicarias perpetuas, tum etiam Canonicatus in nonnullis Collegiatis Eccleſiis tuo nomine agi dicuntur, vel veritate niti, vel Te Authore contigiſſe, confidimus de injuriis Eccleſiaſticæ Juriſdictioni illatis, & de moleſtiâ, qua Nos his auditis intimè perculſi ſumus, Te pro eximiâ tuâ in Deum religione, conſtantique in Nos, & in Apoſtolicam Sedem obſervantiâ fore, ut decet, & oportet, ſolicitum, ac propterea nulla interjectâ morâ curaturum, & effecturum eſſe, ut nedùm Adminiſtri tui, & præſertim præfatum Conſilium, ab attingendis, ac contrectandis Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus rebus, perpetuò in poſterùm abſtineat, ſed ut læſa Eccleſiæ Jura debitâ reparatione quamprimùm ſarciantur: Verendum enim eſt, ſi præmiſſa diutiùs tolerentur, ne exurgat tandem Deus in cauſam ſuam, Noſque omnipotentem ipſius opem iis interpellare cogamur mediis, à quibus liberum non eſt Nobis, ubi id conſciĕntia, ac ſolicitudo noſtra poſtulet, abſtinere. Sed jubet Nos meliora ſperare ſpectata virtus Nobilitatis Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 23. Januarii 1708. Pontificatus Noſtri Anno VIII.

ARGUMENTUM

Magno Magiſtro Melitenſi ſignificat ſe peculiarem illius dignitatis rationem habuiſſe in cauſâ Bajulivi Bertoni; Eum deindè impensè hortatur, ut ad collapſam illic morum diſciplinam reſtituendam diligenter incumbat, vitia, & abuſus extirpet, virtutum cultum, ac nobilium exercitationum ſtudia promoveat, ſervataque juſtitiæ lege, pœnas malis, præmia bonis diſtribuat.

Dilecto Filio, Raymundo de Perellos, Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani Magno Magiſtro.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, ſalutem &c. Dalla riſoluzione, che abbiamo preſa nella Cauſa del Balì Bertoni, di cui non dubitiamo, ch'Ella ſia per rimanere molto contenta, potrà ben riconoſcere il ſentimento, in cui Noi ſiamo di voler ſoſtenere il riſpetto, e l'ubbidienza, che à Lei ſi deve da ſuoi Cavalieri. Troppo però mancareſſimo al debito del noſtro Apoſtolico Miniſtero, e troppo, à dire il vero, tradireſſimo la ſua, e la noſtra conſcienza, ſe in tale occaſione laſciaſſimo di ricordarle, che il voto di ubbidienza non è il ſolo, che ſi faccia da chi profeſſa il ſuo Ordine, e in conſeguenza non è punto minore l'obligo, ch'Ella tiene d'invigilare, che egualmente ſi oſſervino anche gl'altri voti. Sappiamo pur troppo quanto biſogno abbia il Convento di riſorgere nel ſanto timore di Dio &c. A' Noi, & à Lei toccarà di renderne ſtrettiſſimo conto à S. D. M., mà à Lei più immediatamente. Noi certamente non

vogliamo eſſer rei di aver taciuto in sì grave biſogno di parlare. Confidiamo, che Ella ben conoſcerà l'attenzione, che Noi in ſodisfare à queſto noſtro obligo abbiamo verſo di Lei, ſcrivendole ſopra di ciò ſegretamente la preſente lettera di noſtro pugno, il di cui tenore non è noto, che à Noi ſoli, & à Lei. Sappia però, che quando Ella non adoperi con vigore quei rimedii, che convengono alli diſordini accennati, nel giorno dell'univerſale giudizio ſarà noto il preſente foglio à tutto il Mondo, e ſervirà di grande accuſa contro di Lei. Il ſuo zelo, e la ſua pietà ci libera da sì gran timore, facendoci ſperare, che dal canto ſuo in tempi sì calamitoſi vorrà procurare di placare, non maggiormente irritare l'ira divina. Sopra tutto Ella procuri di toglier l'ozio, che è l'origine d'ogni male; introduca Accademie di eſſercizj Cavallereſchi, di Mattematica, di Armi, di Nautica, e altro, che poſſa convenire al loro Iſtituto; promuova, e favoriſca, chi vi ſi portarà bene, in una parola caſtighi chi vive male, e premii chi vive bene. Noi intanto pregaremo inceſſantemente Iddio, che le aſſiſta con la ſua grazia, acciò poſſa ben ſodisfare al debito peſantiſſimo del ſuo Grado. E con tutta la pienezza del noſtro Paterno affetto le diamo l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ &c. die 24. Januarii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Acceptâ notitiâ gravis ſcandali, quo Populus offendi ferebatur ex inhoneſtâ vitâ Præſidis cujuſdam Provinciæ, Archiepiſcopo illarum partium graviter injungit, atque præſcribit, quomodò ſe gerere debeat, ubi prædicta notitia veritate nitatur.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo N.N.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Venendoci rappreſentato, che con grave ſcandalo di coteſto Popolo N. N. abbia frequente, e domeſtica pratica con una giovine Cantarina condotta da lui in coteſte parti, quando vi ſi portò ad eſſercitare la carica di N.N., abbiamo preſa la riſoluzione di ſcrivervi la preſente lettera di noſtro pugno, per ſapere da Voi accertatamente, ſe ciò ſoſſiſta, ò nò. Quando non ſoſſiſta, ne ringraziaremo Iddio, ſenza più parlarne. Se poi ſoſſiſteſſe, ò avete già adempite quelle parti, che in tal caſo convenivano al voſtro Miniſtero per rimovere lo ſcandalo, ò nò. Se le avete adempite, ò l'avete fatto con frutto, ò nò; ſe l'avete adempite, e adempite con frutto, ſimilmente ne benediremo il Signore, e lodaremo il voſtro zelo. Se poi non l'avete adempite con frutto, il che molto ci diſpiacerebbe, ò non l'avete adempite in alcuna maniera, il che infinitamente, e molto più ci dolerebbe: nell'uno, e nell'altro caſo v'ingiungiamo di ſodisfare ſenza maggior indugio alle voſtre obligazioni, parlando, e operando con quel zelo, che richiede il voſtro carattere. Ricordatevi, che il ſangue di quelli, che l'iſteſſo Dio hà conſegnati alla voſtra cura, ſarà richieſto dalle voſtre mani. Dateci conto di quel, che averete operato, mentre Noi pregando Iddio, che vi aſſiſta colla ſua grazia, affinchè poſſiate fruttuoſamente eſſeguire il voſtro Paſtorale Miniſtero, vi diamo con tutto l'affetto l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ &c. die 24. Januarii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Epiſcopum Curienſem excitat ad ſtrenuè obſiſtendum conatibus Hæreticorum, qui eripere Catholicis, ſibique attribuere moliebantur adminiſtrationem duorum Hoſpitalium in illa Diœceſi exiſtentium, eumque ad propugnandas Sacerdotali conſtantiâ tum Eccleſiaſticæ Immunitatis, tum Orthodoxæ Fidei rationes hortatur.

Venerabili Fratri, Epiſcopo Curienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. De timore in dolorem nunc demùm traducti, ac jam perſentientes initia eorum malorum, de quorum imminenti periculo Fraternitatem Tuam paulò ante monuimus, cogimur iterum majori ſolicitudine eamdem interpellare, & obteſtari, ut Fidei Catholicæ indemnitati adversùs molimina Hæreticorum tam neceſſario tempore ſedulò proſpiciat. Quod enim Magiſtratus laici, iique Acatholici ſub gravibus pœnis (ut contigiſſe audivimus) non ita pridem injunxerint Syndicis Oppidi Plurii, quibus conſtat ab Ordinario loci demandatam fuiſſe curam Hoſpitalis Sancti Caſſiani in commodum pauperum fidelium ibi dudùm erecti, ut ſibi quamprimùm extraderent omnia,& ſingula documenta ad idem Hoſpitale ſpectantia, quod fortè jam factum eſt, non alio collimare videtur, quàm in ſcopum ſubtrahendi perpetuò Catholicis, & Eccleſiaſticæ authoritati locum ipſum cum omnibus ejus Juribus, ac pertinentiis; & quamvis id per ſe grave, & intolerandum ſit, & ab omni prorsùs Juſtitiâ, ac ratione alienum, proborum tamen omnium judicio timendum eſt, ne qui hæc attentare præſumpſerunt, multò longiùs ſua prava conſilia producant, ac ne meditentur tum præfatum Hoſpitale Plurii, tum aliud extans Clavennæ, pro quo ſimilia mandata direxerunt, attribuere, & adjudicare in perpetuum Sectariis ſuis, ut ita Hæretici ſedem figant, ſuiſque damnatis exercitiis liberè vacent in illis ipſis partibus, in quibus conſiſtere ex vi tractatus cum Mediolanenſibus pridem initi expreſsè prohibentur. Quæ ſi ipſis ex ſententiâ contingant, quis non videat latum ipſis apertum iri campum tum ad ea loca, tum ad finitima veneno ſuæ pravitatis inficienda cum perenni injuriâ, ac irreparabili detrimento Catholicæ Religionis? Nos itaque verſantes animo hanc curam, quæ ſanè præcipua eſt inter multiplices, ac permoleſtas, quibus in dies magis oneramur, ac propè obruimur, ſpem penè unicam, poſt Deum, imò cum Deo in tuâ virtute ſitam eſſe videmus; fore enim credimus, quod Te pro ſummo loco, quem inter Catholicos tenes, & pro authoritate, qua apud omnes Magiſtratus præſtas, excubante, & obſiſtere parato, Novatores nihil ſuis nefariis conatibus efficiant, nihil evincant; non enim is es, qui eorum fraudulentis, ſivè etiam minacibus verbis decipi, aut flecti, neque ullis difficultatibus abſterreri poſſis, quominùs impendentia pericula avertas, & ſi quid hactenùs per eos actum eſt, reſcindi cures, & obtineas, inſtructus, & munitus zelo Divini honoris, eo ſcilicet armorum genere, quo dentes Peccatorum conteruntur, & confringuntur molæ Leonum. Age propterea, Venerabilis Frater, & enitere, ne in Eccleſiaſticis Juribus, ac rationibus primò impetitis, Catholicæ Religionis ſalus, & integritas mox oppugnanda periclitetur: non enim exiguam Tibi laudem apud pios, & æquos rerum æſtimatores, nec vulgare meritum,

Digitized by Google

ritum, aut interiturum præmium apud Deum comparabis. Nos interim ejus Tibi ſalutare præſidium aſſiduis noſtris precibus conciliare non omittemus. Et Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 28. Januarii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Declarat per quodcumque Indultum, quod Electori Palatino concederet, exigendi Subſidium à Clero Juliacenſi, & Bergenſi, nullum inferre velle præjudicium Juribus utriuſque partis. Ipſum deindè Electorem requirit, ut rationes, & documenta huc facientia ad Sanctitatem Suam afferri curet, quæ illa, ac ſimul Jura pro parte Cleri deducenda à Viris doctrinâ, & integritate præſtantibus ſedulò expendi mandabit, ut res tota demum, prout æquitas poſtulabit, abſolvatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vuilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Ut præſtantiam Pontificiæ noſtræ charitatis ſemper magis explicemus Nobilitati Tuæ, nullo modo gravati ſumus ea audire, quæ tuo nomine Nobis fusè expoſita fuerunt circa aſſertum Jus quoddam reale immemorabili, ut dicitur, conſuetudine inductum, atque ad Te ſucceſſione tranſmiſſum, per quod fas Tibi eſſe dicitur exigere in Ducatu Juliacenſi, ac Bergenſi à quibuſcumque perſonis, vel etiam Eccleſiaſticis, certa quædam onera, quæ olim quidem in uſum Militiæ Dominis ſervitute pendi ſolita, nunc temporis numeratâ pecuniâ deberi, & exolvenda eſſe dicuntur, quod tamen aſſertum Jus Tibi è converſo à Clero acriter controverſum eſſe ſimiliter affirmatur. Quin imò requiſiti, ut placeret Nobis declarare nolle Nos per quodcumque Indultum, quod pro Subſidio ab eodem Clero Tui favore exigendo à Nobis Tibi concedi contigerit, hujuſmodi Juri, ſi modò Tibi competit, ullum præjudicium inferre, amori in Te noſtro conſentaneum, nec ab æquitate alienum eſſe exiſtimavimus eidem petitioni aſſentiri, atque hiſce noſtris Tibi denunciare Nos omnia Jura ad Te, & ad Clerum fortè in hac causâ ſpectantia in ſtatu, & terminis, in quibus reperiuntur, illæſa, & integra relinquere, itaut præfato Indulto nullo modo ipſis derogatum eſſe intelligatur. Verùm hoc viciſſim pro jure noſtro à Te requirimus, ut rationes, & documenta huc facientia coram Nobis quamprimùm deduci mandes. Nos enim ea omnia Viris integritate, & doctrinâ præſtantibus ex Ordine Eccleſiaſtico delectis expendenda demandabimus, ut rationibus itidem, quæ pro parte ipſius Cleri afferentur, perpenſis nullo Eccleſiaſticæ libertatis detrimento, ac citra Tui ipſius præjudicium, res tota demùm, prout æquitas poſtulabit, abſolvatur; Et Nobilitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum &c. die 30. Januarii 1708. Pontificatus Noſtri Anno VIII.

ARGUMENTUM

Imperatricis Eleonoræ Viduæ officia, ac opem implorat, ut illius authoritate aditus omnis in Vallem Tellinam, aliaque Romanæ Eccleſiæ addicta loca, Proteſtantibus intercludatur.

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ, Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ Hungariæ, & Bohemiæ Reginæ Illuſtri, in Romanorum Imperatricem Electæ Viduæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Niſi curarum, quibus in dies magis oneramur, pars maxima Catholicæ Religionis cauſam rectà reſpiceret, ferendas illas quidem Nobis, atque etiam ſilentio premendas eſſe intelligeremus, ſcientes magnum parari poſſe ex tribulatione proventum. Verùm cum in hoc perturbatiſſimo Chriſtianæ Reipublicæ ſtatu, ſacris præſertim, divinisque rebus bellum indici, ac Eccleſiam Dei potiſſimùm appeti inſidiis videamus, prohibere labia noſtra non poſſumus, quin dolorem noſtrum his, qui diligunt divinum honorem, & Fidei incolumitatem, palàm denunciemus. Hoc conſilio interpellamus eximiam pietatem Majeſtatis Tuæ nunc, quando certiores facti ſumus niti Hæreticos Catholico nomini ſemper infenſos apud tria Fœdera Griſonum, ut poteſtas fiat in poſterùm Proteſtantibus conſidendi in Valle Tellinâ, & in finitimis quibuſdam locis Romanæ Eccleſiæ quoad Religionis cultum fideliter addictis, in quæ loca ipſi Griſones, ſe Hæreticos, nunquam inducturos per tractatum cum Ducatu Mediolanenſi dudum initum expreſsè promiſerunt. Etſi autem confidamus Cæſaream Majeſtatem pro avito, & conſtanti in Catholicam Fidem ſtudio, ac zelo, tam pravis conatibus, & iniquis petitionibus firmiter repugnaturam, communiendas tamen validâ tuæ authoritats ope eſſe duximus rationes multas, & maximas Catholicæ Religioni in hoc Articulo manifeſtè faventes, quas propterea in unum congeſtas ad Te cum hiſce noſtris deferri curavimus, ut liqueat cujus momenti, ac periculi res agatur, quam quoniam credimus non ſegniter, nec ſine magnis præſidiis exadverſo eſſe iſthic pertractandam, Tibi inprimis commendatam eſſe cupimus. Intelliges autem eò ampliorem laudem apud bonos omnes tuo nomini acceſſuram, quò præclariorem operam in aſſerendis Catholicorum partibus impendes; præmium verò longè maximum ob id ipſum à Deo relaturam eſſe Majeſtatem Tuam, cui Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 11. Februarii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Chriſtiano Auguſto, S. R. E. Presbytero Cardinali de Saxonia.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Multorum relatu, certiſque nimiùm indiciis admonemur Hæreticos quoſdam confiſos adveniſſe nunc tandem tempus opportunum inducendis Sectariis ſuis in Vallem Tellinam, & in adjacentes Comitatus Bormii, & Clavennæ, id, quod ſemper exoptarunt, totis modo viribus contendere, ut à Summis Principibus, quibuſcum innovandus erit tractatus Concordiæ per fœderatos Griſones cum Ducatu Mediolanenſi jampridem initæ, obtineant, ut indè ſubmoveantur Articuli, quibus inter Partes conventum eſt, ne Hæretici ullo umquam tempore in eâ Provinciâ conſideant. Quanti interſit, ne Hæretici voti ſui compotes efficiantur, ex facti ſerie, & graviſſimis rationibus, quæ in adjectis foliis diſertè explicari mandamus, probè intelliges. Nos interim præter modum ſoliciti ne, qui hæc moliuntur, multorum iſthic animis, & ipſi etiam Aulæ Cæſareæ clàm irrepere curent, etſi confidamus eos in his, quæ vel minimùm adverſantur bono Religionis, nequaqnam eſſe exaudiendos: expedire tamen, & oportere duximus Te de his omnibus certiorem facere, ut Tu ipſe, cui, præter multa, quibus præſtas, decora dignitatis honor, & gravitas conſilii plurimùm iſthic authoritatis tribuit, invictum tuum zelum hac etiam occaſione explices, & nefariis hujuſmodi conatibus obſiſtas. Hanc ſpem, quam in eximiâ tuâ virtute conſtituimus, irritam non fore certò Nobis pollicemur tum ob perpetuum tuum, ac fervens erga Religionem ſtudium, tum ob ſynceram tuam in Nos voluntatem, cui peculiari ſanè charitate, ac benevolentiâ reſpondemus; dum Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 11. Februarii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Joanni Philippo Tituli S. Silveſtri in Capite Presbytero, S. R. E. Cardinali de Lambergh nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Satagunt Hæretici (quod dolentes dicimus) in dies magis progredi, & quorum ſermo, ut cancer ſerpit, horum etiam inceſſus rependo ſenſim illabitur, & per nova locorum ſpatia diffunditur. Quod ut in multis Chriſtiani Orbis partibus jam infeliciter accidit, ita modò, niſi Deus opem ferat, timere eſt, ne contingat in partibus Rhetiæ finitimis, atque ſubjectis, nempe in Valle Tellinâ, & in Comitatibus Bormii, atque Clavennæ malorum operâ, inſtantibus ſcilicet, & contendentibus omni ſtudio Proteſtantibus apud tria Fœdera Griſonum, ut

ſibi liceat in eâ Provinciâ commorari, ac ſedem figere, his verò non ægrè huic petitioni adhæſuris, cum magna pars eorum eâdem hæreticæ pravitatis labe ſit inquinata. Aſpirare videtur pravis eorum conſiliis occaſio innovandi veteris Tractatus per eoſdem Griſones cum Ditione Mediolanenſi dudum initi, ubi contingat ipſis ope, & officiis Acatholicorum Principum obtinere, ut ab eâ Concordiâ ſubmoveantur Articuli, quibus inter partes conventum eſt, ne Hæretici ullo unquam tempore in eâ Provinciâ conſideant. Quàm interſit Catholicorum Principum obſiſtere hujuſmodi conatibus, facilè erit ſpectatæ tuæ prudentiæ judicare; Nos tamen nonnullas rationes hùc pertinentes in unum colligi, atque ad Te mitti voluimus eo conſilio, ut his, aliiſque, quæ Tibi occurrent, expenſis tui officii pro loco, quem obtines in Eccleſiâ Dei, eſſe intelligas præſto eſſe Catholicæ Religioni, & ubicumque res expoſcet, inſurgas accinctus zelo, nec patiaris injuriam inferri Divino nomini in illis locis, ubi fideliter excolitur. Rati autem Tibi ſtimulis opus non eſſe in hac cauſâ, parcimus prolixiùs Te hortari, ſed Deum pergemus precari, ut propitius ſit Tibi in his, quæ pro aſſerendo ejus honore ages, atque eloqueris; Tibi interim, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die undecima Februarii 1708. Pontificatus Noſtri Anno VIII.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Franciſco Antonio Epiſcopo olim Viennenſi, Coadjutori Salisburgenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Ad communiendam valido præſidio in eximio Fraternitatis Tuæ zelo Catholicæ Religionis cauſam expedire ducimus, ut de inſidiis, quæ adversùs Religionem ipſam in Rhetiâ modò parantur, certior fias ex his, quæ in adjectis foliis compendio referri curavimus. Intelliges itaque propoſitum Hæreticorum eſſe, ut ſuæ Sectæ homines conſtabiliantur in poſterùm in Valle Tellinâ, & in Comitatibus Bormii, & Clavennæ, & quod eis hactenùs non licuit, repugnante tum Populorum conſtantiâ in Catholico cultu, tum præſertim Tractatu per Fœderatos Griſones, qui ei Provinciæ præſunt, cum Ditione Mediolanenſi dudum inito, Hæreticos inde perpetuò excludente, ſanè ubi ſemel obtineant, quòd eis fas ſit conſidere in eâ Provinciâ, quâ, veluti propugnaculo, Italiâ ſe ab incurſu Hæreſis per conterminas Regiones latè graſſantis hactenùs cuſtodivit, facilè præſument nihil ipſis deinde tam impervium fore, quò non ſint aliquando pervaſuri. Nos itaque ob hoc ipſum præternodum ſoliciti, ne voti compotes fiant, enixè à Te petimus, ut ubi fortè de his iſthìc agi, & urgeri tam pravas petitiones perſenſeris, de rei momento per Nos admonitus Sacerdotali zelo, & authoritate, quam Tibi muneris, & virtutis præſtantia tribuit, exurgas, & ita obſiſtas, ut qui ex adverſo ſunt, decidant à cogitationibus ſuis, & ab omni ſpe extorquendi ullum iſthic aſſenſum abſterreantur; plurimi enim intereſt (quod pro tuâ ſpectatâ prudentiâ facilè intelliges) ne tam iniqua conſilia ad exitum perducantur. Erit id Deo gratiſſimum, cujus cauſa agi-

Digitized by Google

tur, quemque Nos propitium eſſe cupimus Fraternitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 11. Februarii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco Archiepiſcopo Moguntino, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater ſalutem &c. Quid modò in fraudem Catholicæ Religionis agitetur in partibus Rhetiæ finitimis, atque ſubjectis, fusè ſignificari curamus Fraternitati Tuæ per adjectam totius rei narrationem, cujus ſumma hùc redit: Quòd Proteſtantes exteris, & achatholicis Potentiis freti omni ſtudio nituntur in præſens ſuæ Sectæ homines in Vallem Tellinam, & in Comitatus Bormii, & Clavennæ inducere. Quo detrimento res Catholica in illis partibus afficeretur, ſi hoc ipſis ex ſententiâ contingeret, non eſt cur Tibi explicemus, qui pro eximio tuo zelo, & ſpectatâ prudentiâ intelligis, quàm injurium id foret Religioni, imò etiam juſtitiæ; nàm cum tria, ut vocant, Fœdera Griſonum ab eo tempore, quo præfatæ Provinciæ dominari cœperunt, conſenſerint, quòd Populi antiquum Catholicæ Religionis cultum, excluſo Hæreticorum conſortio, retinerent, & in Tractatu cum Ducatu Mediolanenſi inito pluribus articulis ſpoponderint vetitum perpetuò fore Hæreticis ibi conſiſtere: omni profectò æquitati deeſſent, ubi eoſdem Populos ad excipiendos Hæreticos compellere præſumerent. Quarè decet omninò, ut Catholici Principes, apud quos ipſi fœderati Griſones pro innovando memorato tractatu acturi ſunt, ſedulò caveant, ne articulos in favorem orthodoxæ Fidei conſtabilitos deleri, aut imminui patiantur, multòque minùs ſinant viam facti iniri, & vim Fidelibus illis inferri. Pro debito itaque ſolicitudinis noſtræ enixè hortamur, & obteſtamur Fraternitatem Tuam, ut ſtrenuè occurrat tam nefariis auſibus, & ubicumque hæc inſinuari perceperit, authoritate, quâ pollet, curet, & efficiat, ut petitiones tam iniquæ, earumque Authores depellantur. Erit id cumulare tuas laudes, & inſigne meritum, quod perpetuâ, & ſynceerâ adhæſione Catholicæ Fidei, & Romanæ Eccleſiæ ſibi præclarè conciliavit Fraternitas Tua, cui in pignus Pontificiæ Noſtræ charitatis Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 11. Februarii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Franciſco Epiſcopo Viennenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Nullis faciles contineri finibus Hęretici nituntur in pręſens è Rhetia irrumpere in Vallem Tellinam, & in Comitatus Bormii, & Clavennæ, ubi eis hactenùs conſidere non licuit, Griſonibus, qui eis locis præſunt, utpotè eâdem pravitatis labe magnâ ex parte inquinatis, ipſorum deſiderio non ægrè adhæſuris, niſi authoritate Catholicorum Principum, quibuſcum eâ de re agendum erit, coerceantur. Quàm multæ, & ſolidæ rationes obſtent iniquæ eorum præſumptioni, etſi perſpectæ prudentiæ Fraternitatis Tuæ ſatis compertum eſſe arbitremur, comprobari tamen curavimus præcipuis quibuſdam argumentis, quæ compendio deſcribi, & ſub oculos tuos poni voluimus. Satis eſſe credimus hoc Tibi innuiſſe, ut intelligas, quanti interſit bonorum omnium obſiſtere tam nefariis auſibus, & quàm deceat zelum tuo munere dignum hac occaſione explicare. Ambigendum enim non eſt, quin poſtulata Hæreticorum magnis officiis, & præſidiis Acatholicorum Principum iſthic promoveantur, ac vehementer urgeantur; ſed confidimus Cæſaream Majeſtatem avitæ pietatis memorem nihil paſſuram eſſe in detrimentum Catholicæ Religionis in illis partibus innovari, nec ad fovendam bonam cauſam defutura æqua, ac pia conſilia, cujus modi erunt ea, quæ in hunc ſcopum à Te impendi cupimus, & enixè petimus, dum Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 11. Februarii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Carolo à Lotharingiâ, Electo Oſnabrugenſi.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Cum perſuaſum Nobis ſit Nobilitatem tuam incendi deſiderio benemerendi ſemper magis de Eccleſiâ, operæ pretium eſſe ducimus, ut Tibi innoteſcant præſentes Hæreticorum conatus in Rhetiâ, ex quibus præclara Tibi ſuppetet occaſio perficiendi tuum hujuſmodi pium, ac ſanè illuſtre propoſitum, ac proinde eorum, quæ ab ipſis in fraudem, & in detrimentum Catholicæ Religionis ibi parantur, ſeriem paucis explicatam unà cum hiſce noſtris ad Te perferri voluimus. Et quoniam certum eſt eos fretos magnis auxiliis, officiis ſcilicet exterorum, & Acatholicorum Principum, omni ſtudio, & contentione curaturos eſſe ea iſthic ad exitum perducere, quæ alibi moliti, atque auſpicati ſunt; Nos de indemnitate verę Fidei pro Munere noſtro ſoliciti, & opem tui zeli huic cauſæ conciliare cupientes, enixè à Te petimus, ut tuâ authoritate, quoad poteris, obſiſtas, quominùs pravis eorum petitionibus in iſtâ Aulâ aures præbeantur, quamquàm eas minimè exaudiendas eſſe, utpote à Religione, & juſtitiâ

prorsùs abhorrentes certò Nobis polliceamur, ſed nulla diligentia nimia dici poteſt, ubi agitur de aſſerendâ Dei causâ adversùs homines tam ſuæ Sectæ addictos, quàm Romanæ Eccleſiæ perpetuos hoſtes. Præbe itaque Nobis hoc novum ſpecimen tuæ perſpectæ pietatis, & ſingularis ergà Nos, & Apoſtolicam Sedem devotionis, relaturus à Nobis, ubi res feret, præcipua Pontificii noſtri amoris teſtimonia, in quorum pignus Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 11. Februarii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Principi Carolo ex Ducibus Neoburgi.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Intereſt plurimùm bonorum omnium, ne Hæretici novis ſedibus augeantur, & ne dilatentur in perniciem animarum iis præſertim in locis, in quibus puritas veræ Fidei à multo tempore illibata cuſtoditur. Quamobrèm, ubi audivimus agi modò apud tria Fœdera Griſonum de inducendis in Vallem Tellinam, & in Comitatus Bormii, & Clavennæ Proteſtantibus adversùs id, quod per ipſos Griſones in Tractatu cum Ducatu Mediolanenſi prideminito expreſsè conſtabilitum fuit: incenſi, pro Munere noſtro, zelo Divini honoris, & ſoliciti de ſpirituali ſalute illorum Fidelium, ſtatim admonendam eſſe duximus Nobilitatem Tuam, eâ ſpe ducti, quòd ope ſpectatæ tuæ virtutis ingenti ſcandalo, & præſenti periculo occurratur, quemadmodùm ſanè oportet propter graviſſimas cauſas, atque rationes, quæ, quoniam hìc paucis contrahi non poſſunt, in adjectis foliis latiùs explicantur. Confidimus itaque Te, cognito rei momento, ſolerter curaturum eſſe, ut conſilia tam prava abrumpantur &, ſiquid hactenùs contra commodum Catholicæ Religionis in illis partibus actum eſt, quamprimùm reſcindatur, ut ipsâ Cæſareæ Majeſtatis dignitas exigit, cui certè grave, ac moleſtum eſſe debet quidquid injurium eſt Catholico nomini. Quod ſi ſtimulis tam acribus adiicere quidquam poteſt ſtudium demerendæ Pontificiæ noſtræ charitatis, ſcire Te volumus gratiſſimum Nobis fore quidquid operæ, ac diligentiæ contuleris, ne ea Provincia Romanæ Eccleſiæ fideliter addicta conſortio, ac conſuetudine Hæreticorum periculum contrahendæ labis incurrat. Nobilitati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 11. Februarii 1708. &c.

AR-

ARGUMENTUM

De perſecutione adverſùs Catholicos Conſtantinopoli excitatâ, de qua ab Oratore Regis Chriſtianiſſimi certior factus fuerat, fusè diſſerit. Coſmæ Sacerdotis Armeni, qui pro Catholicâ Fide mortem conſtanter ſubierat, Acta diligenter conquiri probat. Ejuſdem Oratoris zelum, & ſtudia pro Catholicis meritâ laude proſequitur.

Dilecto Filio, Marchioni de Ferriol, Regis Chriſtianiſſimi in Civitate Conſtantinopolitanâ Oratori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, ſalutem &c. Quàm gratæ Nobis ſemper accidant literæ tuæ de ſtatu rei Chriſtianæ in iſtis partibus Nos identidem admonentes, facilè Tibi erit conjicere ex ipſo argumento, quo certè nullum magis pertinet ad Pontificiam noſtram ſolicitudinem. Quamvis enim fervente nunc temporis tam diræ adversùs Catholicos perſecutionis æſtu, nihil propè, niſi prorsùs funeſtum Religioni iſthinc expectandum eſſe videatur, intereſt tamen plurimùm, ne Nos lateant ea, quæ Gregem Nobis creditum in qualibet Orbis parte reſpiciunt, cùm præſertim id ſaltèm ſolatii ex tuis literis Nobis occurrat, quòd perpendimus Te iſthìc eſſe, qui inſtructus ſingulari pietate, ac zelo afflictis Fidelibus, quantùm quidem res patitur, omni ſtudio, ac officio adeſſe, & opitulari non deſinis. Et ſanè ambigendum non eſt, quin à multo jam tempore Chriſtianum nomen in universâ Turcarum Ditione, ac præcipuè in iſtâ Civitate penitùs interiiſſet, niſi potiſſimùm Chriſtianiſſimi Regis authoritas graviter, & opportunè interpoſita coercuiſſet efferatæ Nationis rabiem, quæ tamen in præſens tantò magis timenda eſt, quantò vehementiores conatus ad eam incendendam adhibentur modo ab Armenis Schiſmaticis, & Hæreticis extremam Catholicorum perniciem nullis non inſidiis, atque calumniis apud iniquos, ac impios Judices indeſinenter urgentibus. Quorum omnium odia Nos eatenùs timenda eſſe ducimus, quatenùs ipſi non tantùm Fidelium corpora, ut ea perdant, inſectantur, ſed animas in ſummum ejurandæ Fidei diſcrimen adductas in gehennam pertrahere curant, ut ſuas partes transfugis veræ Religionis adaugeant. Et licet magnoperè dolendum ſit ex Fidelibus nonnullos, prout admones, metu mortis territos è noſtris ad eorum caſtra hac occaſione tranſiiſſe: non ideò tamen gloriari poſſunt nequiſſimi homines triumphum ſe de Catholicis geſſiſſe, quando eis meritò opponi poteſt commendata tuo teſtimonio Coſmæ Sacerdotis Catholici Armeni conſtantia, qui Orthodoxam Fidem ſemel complexus in ejus confeſſione adeò perſtitit, ut non dubitaverit perſecutoribus ultrò occurrere, ac ſubindè coram ſupremo Turcarum Adminiſtro, adſtantibus, & opponentibus ipſis Hæreticis, teſtimonium veritatis palàm proferre, ac demùm eadem animi fortitudine pœnam capitis ſubire, ut Fidem, quam Chriſtianâ libertate, & ſacerdotali zelo propugnaverat, ſanguinis effuſione feliciter aſſereret. Cujus quidem invicti Sacerdotis pro Fide, ut aſſeritur, vitâ præclarè functi Acta, Te potiſſimùm juvante, ut optamus, diligenter conquirenda, ac ritè comprobanda, non leve fortaſsè ornamentum Eccleſiæ monumentis aliquandò adjicient. Atque hæc ſcitu planè digna quoad Catholicos Armenos in iſtis partibus degentes ex tuis

lite-

literis libenter agnovimus,ex quibus etiam commodum,ac perutile fuit Nobis admoneri de moleſtiis, quas Græci Schiſmatici Latinis aſſiduè inferunt, quò charitas noſtra ad hos adverſus illos uſque magis confovendos excitetur. Curabimus interim, ut illi ex ipſis Græcis, qui merces à Melitenſibus unà cum Turcicâ Navi non ita pridem captâ ſui juris eſſe mentiuntur, fraudis ſuæ fructum ne conſequantur: Nullum autem à Nobis officium favore Græcorum, niſi eorum conditione diligentiùs explorata, impetrari in poſterùm patiemur, quamquam ea, quæ hactenùs pro ipſis interpoſuimus, non aliter à Nobis conceſſa ſint, quàm quia id expoſcere videbatur charitas, cum & ipſos Catholicos eſſe, & eorum petitiones juſtitiâ niti, teſtantibus id gravibus ejuſdem Nationis Viris, perſuaſum haberemus. Ceterùm Paternæ noſtræ benevolentiæ, quam hiſce tuis ſtudiis mirificè demereris, pignus Tibi eſse volumus Apoſtolicam Benedictionem, quam Tibi, Dilecte Fili, peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 18. Februarii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Militare præſidium, quod juſtam ob cauſam in Parmæ, & Placentiæ Ditionibus collocaverat, ob ejuſdem cauſæ ceſſationem indè revocat unà cum Commiſſario Apoſtolico; Et Duci Parmenſi gratam explicat voluntatem ob honoris argumenta, & humanitatis officia, quæ ipſe in Apoſtolicum Commiſſarium, & Pontificios Milites abundè contulerat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Franciſco Farneſio Parmę, & Placentię Duci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Cùm nullum Paternæ noſtræ charitatis officium prętereundum Nobis ſit erga Nobilitatem Tuam, quæ animum noſtrum omni ſemper ſtudio demereri ſatagit, perſpectum eidem eſse volumus, quòd ſicut Nos ante aliquot annos conſulturi indemnitati Ditionum Parmæ, & Placentiæ de Jure Fæudali Apoſtolicæ Sedis, adverſùs exterorum Militum incurſus, & impreſſiones, Pontificio eas Præſidio communivimus, delecto etiam ex Ordine Prælatorum Commiſſario, quem iſthùc allegavimus: ita cùm modò deſierit prorſùs cauſa, ob quam taliter à Nobis fuerat conſtitutum, decrevimus copias Pontificias iſthinc revocare, ac eodem nomine, & occaſione accire Dilectum Filium Magiſtrum Auguſtinum Pallavicinum Prothonotarium Apoſtolicum præfato Commiſſarii munere iſthìc nuperrimè functum, quem ſubindè Extraordinarium noſtrum Nuncium ad deferendas recèns nato Aſturiæ Principi Faſcias Pontificiis de more Benedictionibus reſperſas deſignavimus, à quo etiam Nobilitas Tua ſenſus noſtros fuſiùs percipiet. Confidimus autem, quòd quemadmodùm gratum Tibi, nec prorſùs inutile fuit conſilium à Nobis ſuſceptum, communiendi tunc temporis Ditiones iſtas, ſic opportunum eſse exiſtimabis præſentibus rebus, ut Præſidium inde removeatur. Interim verò probè conſcii, quas ſignificationes tum honoris, & amoris erga Commiſsarios, ut præfertur iſthìc à Nobis conſtitutos, tum humanitatis erga Pontificium militem aſſiduè expli-

ca-

caveris, ſcire Te volumus eum Nos in Te animum gerere, ut Te, tuaque omnia, ac Ditiones iſtas non minori unquam curâ reſpecturi ſimus, quàm ea, quæ noſtræ, & hujus Sanctæ Sedis authoritati immediatè ſubjiciuntur. Dum uberiora autem ejuſdem noſtræ benevolentiæ argumenta Tibi dare cupimus, ejuſdem pignus Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 18. Februarii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Publico vulgato rumore cujuſdam tractatus, de oppignorandis Duci Hannoverano Terris, & proventibus ad menſam Epiſcopalem Hildeſienſem pertinentibus, Capitulum, & Canonicos illius Eccleſiæ ſeriò admonet, ut non ſolùm ab omni aſſenſu abſtineant, ſed etiam, quo par eſt, zelo ejuſmodi tractationi, quæ ſine magnâ Eccleſiaſticæ Dignitatis, & Catholicæ Religionis injuriâ, ad exitum perduci non poſſet, fortiter obſiſtant.

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Eccleſię Hildeſienſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Cùm deceat eſse Vos maximè omnium ſolicitos de libertate, ac dignitate iſtius Eccleſiæ, nemo ſanè prudens, ac de Vobis rectè ſentiens exiſtimabit æquo à Vobis animo perferri poſse, ut ejuſdem Eccleſiæ Jura, ac bona diſtrahantur, & ad manus alicujus Secularis, & Acatholici Principis pertranſeant. Moleſtiſſimum propterèà Vobis accidiſse credimus rumorem ubique vulgatum, & à Nobis non ſine magno animi noſtri dolore, & horrore perceptum, quo fertur eſse nonnullos in iſtis partibus, qui omni ſtudio contendunt promovere tractatum de extradendis in pignus Duci Hannoveræ Terris, atque proventibus ad menſam Epiſcopalem iſtius Eccleſiæ ſpectantibus: quæ bona ab eodem Duce pignoris nomine retineantur, donec ipſi tantumdem pecuniæ exſolutum fuerit, quantùm ille ad perferendos ſumptus bellicos Cæſareæ Majeſtati ſe modò curaturum pollicetur. Confidimus profectò omnem aditum præcluſum iri hujuſmodi conſiliis: quis enim exiſtimet admittendam eſse conditionem præſeferentem abuſum authoritatis in res ſacras, atque Eccleſiaſticas, ac continentem ſcandala, ac pericula omninò maxima? nihilominùs Vos commonendos eſse duximus nedum, ut ab omni aſsenſu abſtineatis (quod Vos ultrò facturos pro certo habemus) ſed ut zelum etiam veſtrum adversùs hujuſmodi conatus, qui ſine Eccleſiaſticæ Dignitatis, & Catholicæ Religionis injuriâ, & contemptu ad exitum perduci non poſsunt, explicetis; dum Nos nullas profectò Muneris noſtri partes pro avertendo hujuſmodi ſcandalo omiſsuri ſumus. Vobis interim, Dilecti Filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Februarii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Maximiliano Henrico Joſepho de Vveychs Canonico, ac Decano, nec non Vicario Apoſtolico Eccleſiæ Hildeſienſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, ſalutem &c. Quoniam pro demandato Tibi à Nobis ante aliquot annos Vicarii Apoſtolici munere, cum facultate ad beneplacitum noſtrum adminiſtrandi ſpiritualia, ac temporalia Hildeſienſis Eccleſiæ, Tibi in primis incumbit diligenter invigilare, ne aliquid in præjudicium ejuſdem Eccleſiæ attentetur, incompertum Tibi eſſe non debet, quid periculi modò immineat rationibus ipſius Eccleſiæ ex tractatu, quem à quibuſdam acriter promoveri dolentes, ac indignantes audivimus, extradendi in pignus Terras, ac proventus Eccleſiæ præfatæ Duci Hannoveræ pro ingenti ſummâ, quam idem Dux ſub hac conditione Majeſtati Cæſareæ in ſumptus bellicos ſe mutuò daturum eſſe pollicetur. Quàm oporteat omni ſtudio cavere, ac repugnare, ne contingat tam grave ſcandalum, quòd Eccleſiæ bona Acatholico Principi extradantur, nemo, qui rectè ſentiat, non intelligit. Dum itaque Nos hoc rumore excitati nullas ſolicitudinis noſtræ partes prætermiſſuri ſumus, Te monitum volumus tui muneris eſſe, ſi quid eò collimare perceperis, de hoc Nos ſtatim certiorare, & quantùm in Te eſt, conſilia, & conatus hujuſmodi ſedulò, ac graviter abrumpere. Cùm enim Sacerdotalis zeli ſit diligere decorem, & aſſerere libertatem Eccleſiæ, multò magis hunc zelum incendi oportet, cum de Eccleſiâ turpi ſervituti ſubjiciendâ res eſt. Pro momento itaque cauſæ excubare debes: quod erit benemereri de Pontificiâ noſtrâ charitate, cujus pignus Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 25. Februarii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Imperatoris pietatem, & religionem implorat, ut tractatum oppignorandi Duci Hannoverano Terras, & proventus Eccleſiæ Hildeſienſis pro ingenti vi numeratæ pecuniæ, quam ille in ſumptus bellicos ſe mutuaturum ſpondebat, omninò irritum eſſe velit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Numquid continebimus vocem, cum videmus Chriſti hæreditatem verti ad extraneos, diripi ab alienis Vineam, quam Nobis, licèt immerentibus, Dominus cuſtodiendam demandavit? Abſit, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, abſit, ut turpi, ac culpabili ſilentio deſerere videamur Officium noſtrum, quando po-

ſtulat, ac urget charitas, ut loquamur; ſive enim injurias illatas fuiſſe Eccleſiæ conſpiciamus, ſive inſidias adversùs ejus Jura, ac libertatem parari metuamus, nullâ profectò humanâ ratione prohibebimur, quin vel reparationem quæſituri, vel denunciaturi periculum reclamemus. Hinc admoniti, quòd non nemo ex Acatholicis Principibus, arreptâ iniquiſſimorum temporum occaſione, præſumit ſe aſſenſum Majeſtatis Tuæ non egrè impetraturum, quatenùs pro ingenti vi numeratæ pecuniæ, quam ſe in ſumptus bellicos mutuaturum ſpondet, Terræ unà cum proventibus Eccleſiæ Hildeſienſis ſibi pignori opponantur, eodem pretio, cum res tulerit, relevandæ, licet exiſtimemus Te probè intellecturum, nec convenire tuæ pietati, nec ullo modo congruere tuæ authoritati, ut tuo nutu res ſanctæ Deo dicatæ, & Eccleſiæ patrimonium effectæ in uſus prorsùs diverſos ab his, ad quos inſtitutæ ſunt, deputentur, & Acatholicorum manibus committantur; nihilominùs perhorreſcentes vel ad ipſum rumorem graviſſimi hujus ſcandali, noſtræ ſolicitudinis eſſe duximus paternis noſtris monitis prævenire apud Te eorum conſilia, qui tuis potiùs commodis, quàm conſcientiæ, ac nomini tuo conſulentes, ſuadere Tibi fortè niterentur hoc medium augendi Ærarii, tamquam temporaneum, præſentibus neceſſitatibus adhiberi poſſe; adventurum deindè tempus, quo Eccleſia ad priſtina Jura redeat. Verùm cum ad has rationes elidendas ſatis, ſuperque eſſe poſſit præſentia eximiæ tuæ prudentiæ conſciæ nullo temporis intervallo admitti poſſe, quod numquam licet, non proſequimur pluribus conditionis expetitæ iniquitatem, ſed omninò Te hortamur, ut nihil ſtatuas, niſi conſcientiâ tuâ coram Deo probè conſultâ; quod ſatis erit ad excludendam perpetuò hanc abominationem, cui ſanè numquam adhæſuram eſſe credimus egregiam pietatem Majeſtatis Tuæ; Cui Nos interim Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ quintâ Februarii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

IDEM ARGVMENTVM

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ, Eleonoræ Magdalenæ Thæreſiæ, Hungariæ, & Bohemiæ Reginæ Illuſtri, in Romanorum Imperatricem Electæ Viduæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Gratum Majeſtati Tuæ pro eximiâ tuâ pietate fore credimus, quòd Nos paternæ charitatis officia, atque ſalutaria monita ad Majeſtatem Cæſaream tum demùm dirigamus, cum ſubeſt Nobis cauſa, & occaſio metuendi, ne ejus animo obrepatur per conſilia, quæ ſpecie quidem commoda, & præſentibus rebus opportuna videantur, re autem inſidioſa ſint, utpotè quæ Eccleſiæ, & Catholicæ Religionis bono non congruant, ac proinde labem ipſius conſcientiæ, ac nomini afferre poſſint. Hinc Nos multorum teſtimonio certiores facti promoveri iſthìc tractatum de extradendis Duci Hannoveræ bonis ad Eccleſiam Hildeſienſem pertinentibus, quo cautum Duci ſit pro eâ ſummâ, quam ille

Cæſari in ſumptus bellicos ſuppeditare parat, ſolicitudinis noſtræ partibus deeſſe noluimus, ac propterea ipſum Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Joſephum ſyncero affectu, ac liberâ voce admonuimus ſummi periculi, in quod inducitur, ſi ſacris rebus manum admovere, & patrimonium Eccleſiæ, quod ei contingere non licet, Acatholico Principi extradere, & committere non vereatur. Confidimus autem Majeſtatem Tuam, expenſo, & agnito rei momento, eſſe omni ſtudio inhæſuram menti noſtræ, atque in hunc ipſum ſcopum officia ſua, & hortationes adjecturam eſſe, cum Tuâ maximè interſit, ne quem per avitæ pietatis veſtigia, & exempla ita inſtituere curaſti, ut in ſummâ Dignitate ſummas virtutes, & præcipuum erga Eccleſiam ſtudium explicaret, negligens quodammodò eorum, quæ maximè ei excolenda ſunt, videatur. Cumulus certè ingens laudis, ac meriti inde accedet Majeſtati Tuæ, cui Nos interim Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Februarii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Jo. Philippo, Tituli S. Silveſtri in Capite Presbytero, S.R.E. Cardinali de Lamberg nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Si fidem publico rumori adhiberemus, in graviſſimo metu Nos eſſe oporteret, ne Jura, ac bona Eccleſiæ Hildeſienſis diſtraherentur, ac ne ad Secularis, atque etiam Acatholici Principis manus devenirent, tamdiù penès Eum loco pignoris futura, quamdiù ingens pecuniæ ſumma, quam ille in ſumptus bellicos mutuaturus dicitur, eidem redhibeatur. Verùm ſi eximiam pietatem, ac prudentiam Majeſtatis Cæſareæ, & ipſam propoſitæ conditionis iniquitatem expendimus, nulla profectò ſubeſſe videtur timoris cauſa; Quis enim exiſtimet Cæſarem, quâ mente eſt, opinari tantùm ſibi authoritatis eſſe in res ſacras, in patrimonium Eccleſiæ, ut nullo jure prohibeatur, quominùs hæc omnia arbitrio ſuo regere, & in profanos uſus adhibere, aut etiam his, qui extra gremium Eccleſiæ ſunt, extradere poſſit? Nos tamen etſi hujuſmodi tractatum numquam ad exitum perducendum, imò nec ineundum quidem exiſtimemus, nihilominùs anteactis, ac præſentibus malis edocti, ſine ſolicitudine eſſe non poſſumus, ac proinde zelum tuum in levamen, & ſolatium ingentium curarum, quibus cor noſtrum premitur, de more requirentes, enixè poſcimus, ut authoritate tuâ, ubi opus ſit, intervenias, ne quid contra libertatem illius Eccleſiæ attentetur. Plura addere non ſinit tum æquitas cauſæ, quam Tibi commendamus, tum dolor, quo conficimur in luctu Eccleſiæ nova ſemper detrimenta, vel incurrentis, vel metuentis. Apoſtolicam interim Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noſter, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Februarii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Chriſtiano Auguſto, S.R.E. Presbytero Cardinali de Saxoniâ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Noſtra ad Te officia cumulari neceſſe eſt, cum novæ animo noſtro curæ, ac moleſtiæ ingeruntur: adeò præclara eſt ſpes, quam in tua præſtanti virtute, & conſtanti in Nos voluntate conſtituimus. Soliciti propterea, ne grave aliquod vulnus Eccleſiaſtico Juri poſt tot, ac tantâ damna eidem hactenùs illata infligatur, cum fama ſit Ducem Hannoveræ paratum eſſe ingenti pecuniâ adeſſe militari Cæſaris Ærario, dum tamen ipſi viciſſim oppignorentur Terræ, ac proventus Hildeſienſis Eccleſiæ: Te etiam, atque etiam hortamur, ut nulli deſis diligentiæ, ſtudio, ac labori, quatenùs hujuſmodi tractatus omni authoritate, Religione, ac æquitate deſtitutus rejiciatur, ſi modo ineundus eſt: nam nullo modo adduci poſſumus ut credamus Majeſtatem Cæſaream probè conſciam nefas ſibi eſſe res ſacras, & Eccleſiaſticâ jura attrectare, paſſuram eſſe tam prava conſilia ſuis auribus inſinuari. Nihilominùs Muneris noſtri eſſe duximus ea, quæ modò publico rumore circumferuntur, Tibi denunciare, ne cum ſoliciti vehementer ſimus de hac causâ, Te prætérjiſſe videamur, de cujus præſertim ope, ac zelo in his, quæ Eccleſiam, & Religionem reſpiciunt, plurimùm in Domino confidimus. Et Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noſter, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Februarii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco, Archiepiſcopo Moguntino S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Dum pro debito noſtræ ſolicitudinis parabamus ſignificare Fraternitati Tuæ invaluiſſe hic rumorem, quo ferebatur ineundum eſſe tractatum de extradendis in pignus Duci Hannoveræ bonis ad Epiſcopatum Hildeſienſem ſpectantibus pro ſummâ ab eodem Duce Majeſtati Cæſareæ in præſentis belli uſum exſolvendâ, accepimus Te de hac ipsâ re, quæ prætexebatur, admonitum ita tuo zelo, & authoritate interfuiſſe, ut ſi quid uſpiam circa hunc tractatum orſum fuerat, penitùs deſierit, & diſſolutum fuerit. Quamobrem pro officio, quo propoſueramus, Te excitare, & hortari, ut validè obſtares, quominùs tam grave ſcandalum contingeret, gratum Tibi animum profiteri in præſens debemus, quod hoc ipſum tuâ ſpontè perfeceris. Nihilominùs cum ſemper timendum ſit, ne, qui ſua intereſſe putarunt, ut hoc negotium conficeretur, illud aliquando tam acriter, ac ſedulò, quàm cautè, & occultè promoveant, erit tuæ perſpectæ vigilantiæ, & eximiæ prudentiæ diligentiam eâ in re nul-

lo modo remittere, quo ſtudio noſtram voluntatem mirificè demerebitur Fraternitas Tua, cui in auſpicium bonorum omnium Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Februarii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Joanni Hugoni Archiepiſcopo Trevirenſi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Adjecta eſt multis, & gravibus curis, quas perturbatâ, ac propè convulsâ universâ Reſpublicâ Chriſtianâ, læsâque non uno nomine Eccleſiâ, & Catholica Religione, perferimus, nova ſolicitudo orta ex publico rumore paſſim teſtante, Ducem Hannoveræ aſſecuturum eſſe in pignus bona pertinentia ad Epiſcopatum Hildeſienſem pro ſummâ, quam ad ferendos belli ſumptus idem Dux Majeſtati Cæſareæ parat exolvere. Quid enim deterius audiri poteſt, quàm quod ſacra ſervire jubeantur profanis, res ſpiritualibus juribus addictæ temporalibus uſibus deputentur, proventus Eccleſiæ fiant ſtipendia Militiæ in bello, quod inter Chriſtianos agitur, Seculares, & Catholici Principes Patrimonium Eccleſiæ manibus Acatholicæ Potentiæ nullâ authoritate committant? Conſcii, quo zelo flagret Fraternitas Tua, credimus eamdem participem fore doloris noſtri, nihilque priùs habituram, quàm ut authoritate ſuâ validè hujuſmodi auſibus obſiſtat, ne Eccleſia, ac Religio, ipſeque Epiſcopalis Ordo tam gravi injuriâ afficiatur. Non itaque ulteriores ſtimulos Tibi ſatis incenſo admovendos eſſe ducimus cum ſperare fas ſit, quod, ubi tuâ ope interveneris, tractatus ab omni æquitate omninò alienus adeò non progrediatur, ſed prorsùs ceſſet, ac abrumpatur. Pro menſurâ moleſtiæ noſtræ, quæ certè ingens propterea eſt, uberem à Nobis gratiam inibit Fraternitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Februarii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Gratiora profectò argumenta apud Nobilitatem Tuam peractanda Nobis eſſe cuperemus, ſed cum præſens temporis conditio nimium ferax ſit malorum in detrimentum Eccleſiæ, & Catholicæ Religionis Nos, qui ſine dolore eſſe non poſſumus, ſpem, quam in tuâ eximiâ prudentiâ, ac pietate conſtituimus, abjicere nullo modo debemus. Agitur modò, ſi vera ad Nos perferuntur, de extradendis bonis Eccleſiæ Hildeſienſis Duci Hannoveræ, ut ſint ipſi loco pignoris pro

in-

ingenti ſummâ,quam ille ſe Majeſtati Cæſareæ in ſumptus præſentis belli mutuò daturum pollicetur. Quæcumque commoda ex hujuſmodi tractatu obvenire poſſent Cæſari, rependere nullo modo valent graviſſima ſcandala, ac pericula, quæ inde orirentur, ac præſertim manifeſtam læſionem, ac abuſum juris, atque authoritatis Eccleſiaſticæ. Premi hæc ſilentio, ac diſſimulari à Nobis non poterant; ac proinde ſenſus noſtros Sacerdotali libertate protulimus, eodemque conſilio Te enixè hortamur, atque obteſtamur, ut authoritate tua intervenias, ne deterrimi res exempli attentetur. Nos pro his officiis, quæ Te intuitu noſtro libenter impenſurum ſperamus, mutua Paternæ benevolentiæ teſtimonia præbere non prætermittemus Nobilitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Februarii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Religioſo Viro, Inghilberto Biſcoff è Societate Jeſu Cæſareę Majeſtatis Confeſſario.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, ſalutem &c. Etſi credere par ſit tua vota, ac ſtudia in eo præſertim verſari, ut Cæſar avitæ ergà Deum pietatis exempla non ſectetur modò, ſed ampliùs æmuletur, urget tamen Nos charitas, & ſolicitudo noſtra, ut ſtimulos Tibi ultrò incitato admoveamus nunc, quando nihil Nos timere non cogit præſentium temporum iniquitas, à quâ cum omnia æſtu quodam abripiantur, ipſa quoque Eccleſia, & catholica Religio in ſummum diſcrimen adduci videtur. Non enim Te latere arbitramur quanta, & quàm gravia utrique mala brevi annorum decurſu contigerint, quibus quidem malis accedit præſens periculum, ne invaleſcant eorum conſilia, qui cum tempori potiùs, quàm conſcientiæ dictamini ſerviendum eſſe perperàm, ac temerè exiſtiment, ſuadere fortaſſe contenderent expedire in hoc rerum ſtatu oblatam ab Acatholico Principe pecuniæ ſummam eą conditione mutuò accipere, ut ei viciſſim oppignorentur Terræ, ac proventus Eccleſiæ Hildeſienſis, quaſi liceat Seculari Poteſtati patrimonium Eccleſiæ Hæreticis extradere, ut pretium inde deductum in profanos uſus erogetur. Quot ſcandala hoc uno conſilio contineantur, probè agnoſcis, qui præterea rerum uſu, & ſacris diſciplinis edoctus intelligis, quàm propè abſint Divinæ iracundiæ flagella ab eo, qui res ſacras profanâ manu contingere, & attrectare non veretur. Sed ſanè longè diverſa expectanda eſſe credimus à Majeſtate Cæſareâ, Te potiſſimum rectæ ipſius menti iis, quibus par eſt, conſiliis affuturo. Et Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Februarii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Cum Rege Chriſtianiſſimo graviter expoſtulat, quòd in regimen, & diſciplinam Fratrum Eremitarum Excalceatorum Ordinis S. Auguſtini in Galliarum Regno manus injecerit. Oſtendit id non ad Majeſtatem Suam, ejuſue Officiales, ſed ad ejuſdem Ordinis Superiores Regulares, & ad Sedem Apoſtolicam pertinere. Nulla, ac irrita declarat quæcumque à Regiis Commiſſariis eâ in re geſta fuerant; Seque demum paratum exhibet præfati Ordinis reformationem inſtituere, & Commiſſarii munus Viris idoneis, ac Majeſtati Suæ gratis demandare.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Conquieſcere nunquam poterit ſolicitudo noſtra, quandiù iſthìc invaleſcent, & exaudientur eorum conſilia, qui Majeſtati Tuæ ſuadere curant fas Tibi fuiſſe judicium inſtituere circa regimen, ac diſciplinam Fratrum Eremitarum Excalceatorum Ordinis S. Auguſtini tum Pariſienſis, tum aliorum Provinciæ Franciæ Conventuum, ritèque, ac validè eam cauſam Commiſſariis extrà corpus illius Congregationis delectis fuiſſe à Te demandatam, ac proindè ſuſtineri ſententiam etiam pœnalem per eoſdem Commiſſarios latam ſuper plurium ex eis deſtitutione, privatione, ac reſpectivè ſuſpenſione ab eorum muneribus, & Prælaturis, etiam ſi proceſſum fuerit nullo juris ordine ſervato, neque admiſsâ appellatione, prout ſacri Canones, & dictæ Congregationis Statuta præſcribunt. Quamvis enim nemini dubium ſit, quin publicè expediat, ut Regularium mores ad omnem Inſtituti per eos ſuſcepti obſervantiam exigantur, & quin Nos maximè omnium optare debeamus, quemadmodum ſanè optamus, ut ipſi Conſtitutionum Regulis, quibus ſe ſolemniter obſtrinxerunt, accuratè conformentur; nihilominùs manifeſtum eſt nonniſi Eccleſiaſticâ authoritate deveniri ad hoc judicium poſſe, nec Regibus, aut Principibus, utcumque Sacrorum Conciliorum, & Regularium Statutorum conſtitutis Protectoribus, licere authoritate propriâ de Eccleſiaſticis cauſis per ſe, vel per alios cognoſcere, ſed eorum eſſe dumtaxat urgere apud competentes Judices, ut diſciplina Regularium, ſicubi collapſa ſit, per Superiores Ordinum, vel, illis negligentibus, authoritate Sedis Apoſtolicæ, cui Regulares immediatè ſubſunt, legitimè reſtituatur, & Delinquentes congruè puniantur, ipſeque Ordo, aut Congregatio, quatenùs opus ſit, tam in capite, quàm in membris reformetur, prout ſępius inſtantibus claræ memoriæ Regibus Majoribus tuis per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros factum fuiſſe conſtat. Cum itaque præcipuâ in Domino laude dignum eſſe intelligamus deſiderium, quod foves inducendi, ſivè potiùs revocandi in memoratos Fratrum Eremitarum Excalceatorum Conventus veterem diſciplinam, æqui, bonique conſulet Majeſtas Tua, ut Nos ipſi pro injuncto Nobis Officio tantum bonum congruis, canoniciſque mediis promoveamus, operamque, & authoritatem noſtram pro inſtituendâ ritè, ac validè reformatione ejuſdem Congregationis Tibi polliceamur, parati Commiſſarii munus Viris pietate, ac doctrinâ præſtantibus, Tibique gratis, ſive intra, ſive extra præfatæ Congregationis corpus deligen-

dis demandare; declarantes interim irrita, prout juris eſt, quæcumque in hac cauſâ per eoſdem Commiſſarios vigore præfatæ eorum deputationis geſta fuerunt, cum omnibus indè ſecutis, & quandocumque ſecuturis. Tanti enim intereſt, ne hujuſmodi exemplum intactum relinquatur, quanti ne Sacerdotium Regno, & Eccleſiaſtica Juriſdictio temporali ſubiici videatur, & ne ſacra pariter cum humanis ad Secularem Poteſtatem contra Divinas æquè Inſtitutiones, & Canonicas Sanctiones referenda eſſe dicantur. At ubi in hac cauſâ, quæ procul dubio ad Eccleſiam pertinet, Pontificia noſtra authoritas interceſſerit, conſultum erit tranquillitati conſcientiæ multorum hanc Sanctam Sedem indeſinenter adeuntium, quos Nos adeò repellere non debemus, ut imò Prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, ac præſertim fel. record. Marcelli, & Zephirini exemplo, ac vocibus eos accerſere, & advocare teneamur, ut appellando confugiant ad Romanam Eccleſiam, quaſi ad Matrem, ut ejus uberibus nutriantur, authoritate defendantur, & releventur, cum non poſſit Mater filiorum ſuorum oblivíſci. Atque hæc ſunt, quæ hac de re innuenda potiùs, quàm explicanda Tibi eſſe ducimus, multùm, & quidem meritò, de eximiâ tuâ pietate, & filiali in Nos, & hanc Sanctam Sedem ſtudio conſiſi. Plura à Venerabili Fratre Auguſtino Archiepiſcopo Amaſiæ Nuncio noſtro percipiet Majeſtas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem amantiſsimè impertimur. Datum Romæ &c. die 3. Martii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopum Mechlinienſem laudat, quòd Sacerdotem Vvande Neſſe ad præſtandam debitam Eccleſiæ obedientiam adducere in omni patientiâ, & doctrinâ curaverit. Quoniam verò is nedum ſalutaribus monitis aures occludere, ſed etiam quæſitis à Seculari Magiſtratu præſidiis ipſum Antiſtitem vexare auſus fuit; idcircò ejuſdem Archiepiſcopi zelum excitat, ut prædicti Sacerdotis contumax ingenium gravioribus adhibitis remediis ad obſequium redire compellat.

Venerabili Fratri, Humberto Guilielmo Archiepiſcopo Mechlinienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem, &c. Quòd charitas patiens, & benigna ſit, docuit ſuo etiam exemplo Fraternitas Tua, quæ ut ad præſtandam debitam Ecclesiæ obedientiam adduceret Filium (si modò hoc nomine dignus adhuc eſt contumax Vvande Neſſe) Paſtoralis muneris partes inſtando opportunè, importunè, arguendo, increpando, obſecrando in omni patientia, & doctrinâ perfecit. Verùm quando is ſuperbiendo in dies magis eò jam audaciæ ſe proripuit, ut tuis ſalutaribus monitis, atque conſiliis aures præbere, & Decreta Eccleſiæ exequi palàm detrectet; quinimò, quæſitis à Seculari Magiſtratu præſidiis, vexationes, atque moleſtias Tibi inferre, aut certè parare non deſinit, ut ab officio Te abſterreat, coercendus profectò eſt (ſervatâ tamen per omnia juris formâ) Canonicis pœnis, & Ecclesiaſticis cenſuris, ne fortè ejus licentia offendiculum fiat infirmis, & plures pertrahat in perditionem. Cui itaque blanda remedia ſæpiùs iterata nihil hactenus profue-

fuerunt ad ſalutem, huic demùm graviora, & extrema ſunt adhibenda. Pietas enim eſt, ubi res poſtulat, diſtricto ſpirituali mucrone ſævire, cùm ſectio ipſa non rarò pertineat ad curationem. Et ſanè ſperandum videtur, quòd qui nimiùm ſapere præſumpſit, hoc ictu perculſus, & loco motus cervicem flectere, & parere condiſcat: communi ſaltèm utriuſque noſtrum ſollicitudini incumbit cavere, nè diſſimulato hoc ſcandalo contagio latiùs ſerpat, & multos per unum inficiat. Accingere propterea zelo illo, quo Te incendi novimus, & authoritatis noſtræ opem Tibi in his, in quibus opus erit, nunquam defuturam confide. Fraternitati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 3. Martii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM.

Injungit Archiepiſcopo Mechlinienſi, ut Sacerdotem Vvande Neſſe, de quo proximè, Eccleſiaſticis cenſuris irretitum palàm denunciet, & ad eumdem Præſulem mittit Decretum à Sanctitate Suâ editum, quo omnia geſta à Concilio Brabantiæ in præjudicium authoritatis ejuſdem Archiepiſcopi nulla, ac irrita declarantur, cum aliis Ordinationibus.

Venerabili Fratri, Humberto Guilielmo Archiepiſcopo Mechlinienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Etſi jampridem perſpectum Nobis eſſet Fraternitatis Tuæ animum flagrare eâ charitate, quâ Epiſcopum incenſum eſſe oportet pro ſalute crediti ſibi Gregis, libuit tamen idipſum uberiùs agnoſcere ex his, quæ à Te providè acta ſunt in causâ Sacerdotis Vvande Neſſe; cujus quidem causâ ſeriò, diligenterque à Nobis inſpectâ, cum nihil occurreret, quod non eſſet præcipuâ in Domino laude dignum, miſericordiarum Patri gratias egimus, qui, cum Te probatorem Populo ſuo robuſtum dederit, ſpiritu tamen lenitatis cor tuum ità inſtruxit, ut in quærendâ, ac revocandâ ove, quæ à Te receſſerat, ſingulare Paſtoralis manſuetudinis exemplum præbueris. Vidimus quibus ſtudiis, quot mediis vincere in bono malum curaveris, quàm ſedulo, ac ſuaviter egeris, ut ad obedientiam flecteres hominem primò quidem cunctantem, mox etiam apertè renuentem obſequi tuis monitis, & Eccleſiæ legibus, ità ut nè tum quidem ab officio deſtiteris, cum ille accitâ in præſidium ſuæ contumaciæ Laici Magiſtratus vi, ac potentiâ, multas Tibi, ac graves moleſtias (quibus tamen nihil es commotus) inferre, & in negotio merè ſpirituali, & Eccleſiaſtico Virum tui Ordinis ad judicium ſeculare trahere conatus eſt. Quamobrem cum Tu tantâ longanimitate, ut eum lucrifaceres, ſis uſus, ut nemo profectò ſuccenſere Tibi pòſſit quidquam à Te prætermiſſum fuiſſe, quo poſſes filium ſeductum ad ſaniora conſilia convertere, cumque ille interim pergat ſuis ſimilibus, & eâdem erroris labe infectis adhærere, paternis tuis verò vocibus, & noſtris, & Apoſtolicæ Sedis mandatis aures occludat, inter eos propterea recenſendus, quibus dictum eſt per Prophetam: *Væh filii deſertores habentes fiduciam in um-*

brâ Ægypti : reprobaſtis verbum, & ſperaſtis in calumniâ, & tumultu. Quid ſupereſt, niſi ut acriora remedia adhibeantur vulneri, quod levi manu hactenùs tractatum, & oleo illitum, ac vino reſperſum, unde ſanari poterat, incruduit. Exurge itaque, Venerabilis Frater, & accinctus zelo arripe arma Sacerdotum manibus adversùs inobedientes, & pertinaces ſupernâ authoritate commiſſa, educ de tabernaculo Dei poſt Manna dulcedinis virgam diſtrictionis, & cum Tibi certis, ac publicis documentis conſtet refractarium Vvande Neſſe, ut poteſtatem Clavium ſibi à Te jure optimo interdictam reciperet, inaudito ſcandalo auſum fuiſſe adire Conſilium Brabantiæ, quod Te per interceptionem Eccleſiaſticorum proventuum, aliaque gravamina eo nomine vexare, & Epiſcopalem tuam Dignitatem, ac juriſdictionem contemnere non exhorruit: inſuper eumdem adversùs id, quod Apoſtolicâ noſtrâ Conſtitutione ad tollendas Janſeniani erroris reliquias ſancitum fuerat, apertè repugnaſſe, & adhuc repugnare fel. record. Alexandri Septimi Formulario ſubſcribere: Tu, quæ muneris tui partes ſunt, nullâ interjectâ morâ, juris tamen ordine ſervato, ipſum Vvande Neſſe, ad formam Sacrorum Canonum à cætu Fidelium, dicto ei palàm anathemate, expunge, ſeu potiùs Fidelibus enuncia eum jam teneri, & irretitum eſſe hujuſmodi vinculo, non obſtante quacumque appellatione, vel etiam ad Nos, & ad Apoſtolicam Sedem per eum interpoſitâ, ſivè fortè interponendâ, quam nullius roboris fore, & eſſe declaramus. Ut verò intelligas Nos libertatis, & immunitatis, nec non juriſdictionis Eccleſiaſticę in tuâ dignitate enormiter læſæ congruam, debitamque rationem habuiſſe, Decreto noſtro nuper edito, quod typis excuſum publicè proponi hìc in Urbe voluimus, ut ubique gentium judicium eâ in re à Nobis latum innoteſcat, quæcumque acta, & geſta in hac causâ in præjudicium tuorum jurium ab eodem Conſilio Brabantiæ cum omnibus inde ſecutis, & ſecuturis caſſavimus, & annullavimus, denunciatis illi Eccleſiaſticis pęnis, in quas ſimilia audentes incidunt, prout in eodem Decreto, cujus exemplum ad Te mittimus, fuſiùs continetur. Ceterum de Pontificiâ noſtrâ benevolentiâ, quam Tibi hoc etiam nomine mirificè conciliaſti, ſic exiſtima, opem authoritatis noſtræ Tibi officii tui partes tam ſedulò explenti numquam eſſe defuturam. Perge interim proſpicere ſpirituali incolumitati Ovium Tibi commiſſarum certus, quòd Dominus faciet Tibi miſericordiam, & veritatem, quia oſtendiſti gratiam, & fidem: in quorum bonorum auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ſepimâ Martii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Explicatâ Cardinalitiæ Dignitatis amplitudine, atque præſtantiâ, Cardinalem de Portocarrero graviter admonet, ut illius prærogativas ſtrenuè tueatur, nec eas ullo pacto imminui ſinat.

Venerabili Fratri Noſtro, Ludovico Epiſcopo Præneſtino, S.R.E. Cardinali de Portocarrero nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater Noſter, ſalutem &c. Grave profectò, ac permoleſtum Nobis accidit ex his, quæ à Te percepta Venerabilis Frater Antonius Felix Archiepiſcopus Damaſcenus, Nuncius noſter, Nobis ſignificavit, illa intelligere, quæ occaſione imminentis reditus ad iſtam Aulam Dilecti Filii Nobilis Viri moderni Ducis Aurelianenſis invehi iſthic parantur in ampliſſimæ Dignitatis tuæ detrimentum. Fateri tamen ſyncerè cogimur moleſtiam utcumque multam, quam inde hauſimus, non parùm leniri in Nobis eâ ſpe, quòd Tu, qui propter conſtantem tuam in hanc Sanctam Sedem obſervantiam, propter ſingulare ſtudium, quo Sacræ Purpuræ honorem reſpicis, conſulendos Nos eſſe circa hujuſmodi eventum exiſtimaſti, quatenùs nihil, niſi ex præſcripto noſtro perficeres, conformari per omnia ſatages menti noſtræ, quæ Tibi ab eodem Nuncio enucleatè explicabitur. Compertum Tibi eſt, Venerabilis Frater Noſter, quàm excelſus, & ſublimis in Eccleſiâ Dei ſit Ordo S. R. E. Cardinalium, quorum conſilio apud Romanum Pontificem univerſalis Eccleſiæ adminiſtratio nititur, quique propterea ceteros omnes in ipsâ Eccleſiâ, poſt eundem Pontificem, honore, ac Dignitate præcedunt. Nec Te inſuper latet, quod omnibus notum eſt, Cardinalatus nempè celſitudinem, & ſplendorem Dignitati Regiæ comparari, unde mos obtinuit, ut quemadmodùm Principes omnes digniorem locum Regibus tribuunt, ita & illum S.R.E. Cardinalibus ubique cedere non dedignentur. Cum itaque hæc omnia Tibi probè perſpecta ſint, non ambigimus, quin perpetuò futurus memor ſis ſolemnis illius jurisjurandi, quo Te in recipiendo Cardinalitio Pileo obſtrinxiſti; Te ſcilicet nihil unquam acturum eſſe, quod ejuſdem Cardinalatus honori ex quavis cauſa repugnet, ſeu illum quovis modo dimminuat, & quin interim mente retineas ea, quæ Tibi dudum fel. record. Innocentius XI. Prædeceſſor noſter per binas ſuas in ſimili formâ Brevis literas die ſextâ Auguſti, & prima Octobris anni 1679. expeditas diſertè denunciavit. Confidimus proindè, quod gloriæ Tibi duces ſequi inſignia exempla, quæ certè multa non deſunt, præclarorum ex tuo ordine Virorum, qui tantæ Dignitatis prærogativas conſtanter, ac ſtrenuè aſſeruerunt; nec obſcuris paucorum veſtigiis inhærebis, qui non ſine gravi ſui nominis notâ incumbentis ſibi muneris partes implere aliquandò neglexere: quod tamen vel inſciâ, vel certè reprobante Apoſtolicâ Sede ſemper eveniſſe, adeòque nihil exinde ampliſſimi Cætus juribus detractum fuiſſe exploratum eſt. Hæc ubi feceris, magnum eximiæ tuæ virtuti commendationis, ac meriti cumulum, ingens verò Nobis, & univerſo Apoſtolico Senatui, gratulationis argumentum acceſſurum eſſe certò Tibi polliceri poteris; Noſtramque interim Pontificiam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater Noſter, peramanter impertimur. Datum Romæ &c die 10. Martii 1708. &c.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

Mittit ad Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ Hildeſienſis exempla literarum, quas ad Imperatorem, & alios conſcripſerat, ut inſpiciant quo animi fervore Sua Sanctitas tractatum oppignorandi ejuſdem Eccleſiæ bona Acatholico Principi impedire curaverit; præfatoſque Canonicos, ut hunc ipſum in ſcopum conſilia, & ſtudia ſua dirigant, impensè hortatur.

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſię Hildeſienſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Cognoviſſe Vos arbitramur ex his, quæ ante acceptas veſtras literas die vigesimâ quintâ proximè elapſi Februarii ad Vos perſcripſimus, quanta Nos moleſtiâ, ac ſolicitudine affecerit rumor ante aliquot dies hùc delatus, quo ferebatur initum, vel proximè ineundum eſſe tractatum de oppignorandis eterodoxo Principi iſtius Ecclesiæ bonis, ac Juribus, non aliter reluendis, quàm repensâ eidem Principi ingenti ſummâ pecuniæ, quàm ille Majeſtati Cæſareæ in ſumptus bellicos præſentis anni ſub eadem conditione ſuppeditare parabat. Intelleximus enim nihil tam injurium Ecclesiæ, nihil tam contrarium omni æquitati admitti poſſe, quàm ut pro ære alieno, quod in commodum totius Imperii contrahendum dicitur, Diœcesis iſta potiſſimùm gravetur, atque id laicali prorsùs, atque adeò illegitimâ fiat authoritate, nullâ habitâ ratione Eccleſiaſticæ libertatis, ac immunitatis, quæ hoc deposito fœdè læderetur, nullâ periculi, ac detrimenti, quod ſanè graviſſimum Catholica Religio manifeſtè incurreret. Nec ad imminuendam propoſitæ conditionis iniquitatem quidquam conferre poteſt, quòd res non perpetuò, ſed ad tempus conficienda dicatur, quandò tam grave ſcandalum, & tam pravum exemplum quocumque etiam breviſſimi temporis intervallo intolerandum profectò ſit, cum præſertim videatur meritò ad dubitandum nunquam rediturum eſſe ad Eccleſiam, quod tanto pretio eſſet redimendum. Aucta verò eſt præter modum moleſtia noſtra, ubi hoc ipſum Vobis innotuiſſe percepimus; agnovimus enim nec periculum, nec cauſam timoris præterjiſſe. Ut autem Vobis compertum ſit Nos deſiderium, & preces veſtras præveniſſe noſtris officiis, exempla literarum, quas ad Majeſtatem Cæſaream, & ad alios circa hanc cauſam direximus, Vobis tranſmitti mandamus, ut ſciatis, quàm Nobis cordi fuerit, ac ſit, ne tractatus hujuſmodi ullo modo conſtabiliatur. Vos etiam in officio eſſe oportet in re, quæ tanti veſtra intereſt: neque enim Vobis proderit apud Deum iniquam temporum conditionem cauſari, ſi quid ſcientes omiſeritis, quo tantum malum averti, ac declinari poſſit. In hunc itaque ſcopum jungite conſilia veſtra, ſed in primis fatagite Deum ferventibus precibus, ac ſtatui, quem profitemini, congruentibus ſtudiis, Vobis, ac rebus veſtris propitiare. Nos interim Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ Martii 1708. Pontificatus Noſtri Anno VIII.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

Novum tranſitum Germanorum Militum per Eccleſiaſticam Ditionem à ſe poſtulari graviter dolet. Petitioni tandem aſſentitur eâ lege, de qua aliàs in Aulâ Vienneñſi actum fuit, & adjectâ in primis, ac injunctâ inviolabili conditione, ut Milites per Aſculanam Civitatem in Piceno iter expeditè, nec aliò divertentes inſtituant, & proſequantur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Comiti de Daum Proregi Neapolis.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Acceptis literis Nobilitatis Tuæ vix dicere poſſumus, quàm correpti, ac perculſi ſimus petitione in eis contentâ pro novo tranſitu Militum per Ditionem noſtram Eccleſiaſticam, cum ſtatim menti noſtræ occurreret res eo loco eſſe, ut profectò non de gravandis iterum Populis noſtris, non uno jam tranſitu copiarum Germanarum afflictis, eâque de cauſa in ſummas anguſtias redactis, ſed de eiſdem, ut par eſt, relevandis à multis, ac gravibus impendiis, nec non ab ingentibus detrimentis, quæ ea occaſione pertulerunt, omni Jure cogitandum videretur. Accedit, quòd cum agatur modo de Equitatu per eas partes deducendo, non tantùm ardua, ac prætermodum Incolis oneroſa ſunt, quæ à Nobis exquiruntur, ſed planè repugnantia locorum, ac temporum conditioni; Quis enim non videat quanta futura ſit difficultas pabuli in excurrendis agris, plerumque non admodùm amplis, atque hac tempeſtate recenti avenâ nondum conveſtitis, ut cetera omittamus, quæ certum, graviſſimum, & irreparabile damnum culturæ, & armentis, ac Incolarum rationibus, & tranquillitati afferre poſſunt. Urgentiſſimæ itaque rationes ſuadere, imò neceſſitas ipſa Nos cogere videretur ad penitùs denegandum aſſenſum petitioni, quæ ſtare non poteſt cum eâ charitate, qua Populos Nobis commiſſos tueri, atque indemnes præſtare tenemur, vel ſaltem ad aſſenſum hujuſmodi non aliàs concedendum, quàm refectis priùs, ut omnis Juſtitia exigit, cunctis damnis, quæ eiſdem Populis ex priori militum tranſitu obvenerunt. Ne tamen, ubi cetera deficiant, quæ in Nobis non ſunt, deeſſe videatur voluntas noſtra erga Cæſaream Majeſtatem, quæ certè conſtans, ac perpetua eſt, quantùm cum Domino licet, præfatæ petitioni ita demùm aſſentimur, ut tamen non liceat Cæſareis copiis præter modum, & formam, de qua aliàs in Aulâ Viennenſi actum fuit, per Eccleſiaſticam Ditionem pertranſire, prout fuſiùs intelliges à Venerabili Fratre Joanne Archiepiſcopo Seleucienſi Nuncio noſtro, adjectâ in primis, & injunctâ conditione omninò ſervandâ, ut Milites per Civitatem noſtram Aſculi in Piceno iter expeditè, neque aliò divertentes inſtituant, ac proſequantur. Quod ita volumus omninò ſervari, ut ſi aliter fieri contingat, aſſenſus noſter nequaquam præſtitus cenſeatur, ac proindè liberum Nobis ſit pro noſtrorum etiam quoad temporalia ſubditorum tutelâ uti iis omnibus mediis, quæ Deus in manu noſtra conſtituit, quemadmodùm hac ipſa die Dilecto Filio Noſtro, Vincentio S. R. E. Cardinali Grimano luculenter declaravimus. Confidimus Nobilitatem Tuam nihil, quod à mente noſtrâ, nec à debi-

tâ ſua erga hanc Sanctam Sedem obſervantiâ alienum ſit, inituram, eidemque Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum &c. die 14. Martii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Præſidem, & Religioſos Vocales ad Comitia Generalia Congregationis Benedictinæ Bavaricæ congregatos Paſtoralibus monitis excitat ad Superiores eligendum, qui Subditis bonorum operum exemplo, & virtutum ſplendore præluceant, ac regularis diſciplinæ obſervantiam omni ſtudio promoveant.

Dilectis Filiis Præſidi, ac Religioſis Vocalibus ad Comitia Generalia Congregationis Benedictinę Bavaricę congregatis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Ex curâ, ac ſolicitudine, quam gerimus, ut quæ à Vobis habenda eſt, Præſidis, ac Vocalium electio, ea rectè, ac laudabiliter in Domino perficiatur, perſpectam Vobis fore credimus magnitudinem Paternæ noſtræ in Vos charitatis,quâ impellente ea impensè cupimus, in quibus bonum,& incrementum veſtræ Congregationis magnâ ex parte poſitum eſſe intelligimus. Authorem propterea boni conſilii Deum precamur, ut Vobis in unum congregatis ſuo lumine deſuper aſpiret, quatenùs ſuffragia veſtra ita dirigantur, ut qui ſupremo loco inter Vos eſſe debent, præluceant Vobis exemplo bonorum operum in doctrinâ, in integritate, in gravitate, ſintque hujuſmodi, ut per ſemitas virtutum, & regularis diſciplinæ obſervantiam,ſpiritualem veſtrum profectum omni ſedulitate promoveant. Omnis itaque privati ſtudii expertes, ac unanimes, quaſi perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententiâ, deliberationes veſtras in unum ſcopum conferte, Deum ſcilicet præ oculis habete, & tunc quidem judicium à Vobis prodibit, quod ædificationem apud homines, & meritum apud Deum Vobis conciliabit, Dilecti Filii, quibus in hujus boni auſpicium Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die quartâ Aprilis 1708. &c

ARGUMENTUM

Cæſareum patrocinium implorat, ut Conſilii Brabantiæ, quod Sacerdotem Vvande Neſſe refractarium tuendum ſuſceperat, audacia cohibeatur, Mechlinienſi Archiepiſcopo ſua dignitas, & authoritas conſtet, ac illata Immunitati Eccleſiaſticæ gravia detrimenta ſarciantur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Dolenda nimis eſſet præſentium temporum conditio, ſi Eccleſia tot undique inſidiis appetita, iis nunc demùm deſtitueretur præſidiis, quibus ſemper anteà, tum verò communiri ſe ſenſit, cum viſa eſt in ſummum diſcrimen adduci. Suſcitavit nimirùm Deus præſtantiſſimos Chriſtiani Orbis Principes, ac præſertim inclytos Majores Majeſtatis Tuæ, ipſorumque animos tantâ pietate erga communem Fidelium omnium Matrem incendit, ut nihil priùs habuerint, quàm ipſius honorem, atque libertatem aſſerere. Avitæ non minùs Dignitatis, quàm virtutis gloriam ad Te perveniſſe confiſi, credimus Te probè intellecturum eſſe, quanti interſit, ut tuam opem deſiderari non patiaris hoc tempore, quo Eccleſia majoribus, quàm unquam, adverſitatum fluctibus jactatur; ſed quod res præſens poſtulat, cogimur pro ſolicitudine noſtra Te admonere graviſſimi ſcandali, quod nuper admiſſum eſt in Belgio. Conſilium enim Brabantiæ Secularis Juriſdictionis terminos longè prætergreſſum tuendam ſuſcepit contumaciam refractarii cujuſdam Sacerdotis Civitatis Bruxellenſis, judicium ſui Ordinarii in cauſâ merè ſpirituali, & Eccleſiaſticâ refugientis, ac palàm detrectantis obſequi Apoſtolicis Mandatis, quæ ad continendam ubique integritatem, ac unitatem Catholicæ Religionis, & ad præcidenda Janſeniani erroris mala germina, dudùm à Prædeceſſoribus noſtris, & non ita pridem à Nobis edita fuerunt. Quo nomine idem Conſilium moleſtias, atque gravamina multa Venerabili Fratri Archiepiſcopo Mechlinienſi intulit, interceptis Ipſi Eccleſiaſticis proventibus, latiſque Decretis, ac promulgatis Edictis Epiſcopalis authoritatis prorsùs læſivis; quod vix dici poteſt, quantâ eorum Fidelium offenſione contigerit. Nos quidem nullas muneris noſtri partes prætermiſſuri ſumus, ut illius Antiſtitis Juriſdictio, & Dignitas, quemadmodum ſanè par eſt, in tuto ſint; ſed profectò res poſtulat, ut Tua quoque authoritas interveniat. Speramus itaque, ac Nobis omninò pollicemur Majeſtatem Tuam, libratis momentis hujuſmodi cauſæ, quæ non jam privata, ſed publica, tamquam ob omnium oculos poſita, haberi debet, effrænatam licentiam, ac planè audaciam eorum, qui Sacri Ordinis Dignitatem contemnere non ſunt veriti, iis, quibus opus erit, mediis cohibituram, Sanctæque Eccleſiæ Immunitati ubique ſarciendæ, reparandæ, ac fovendæ, non poſtrema ſtudia, nec vulgarem operam impenſuram. Chriſtianum enim feliciùs regitur, ac propagatur Imperium, cum ſacrarum rerum tutelæ, Religionis ſaluti, totiuſque Eccleſiaſtici Ordinis, ac præſertim Epiſcopalis decori, ac ſplendori conſulitur, quàm cum pro amplificandis finibus, aut pro vindicandis tempo-

rali-

ralibus Juribus pugnatur. Paternas itaque hortationes noſtras ad commendationem tui nominis, tuæque virtutis, imò etiam ad debitum tuæ Religionis pertinentes libenter excipe, eiſque tuæ authoritatis interventu adhærere ne graveris, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, cui Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 7. Aprilis 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Venetum Senatum enixè adhortatur, ut Chriſtianos Principes diuturno, feralique bello ſeſe conficientes ad ſalubriora conſilia flectere, ac invicem conciliare ſtudeat, quò promptiùs periculo Chriſtianæ Reipublicæ à bellico Turcarum apparatu impendenti occurri poſſit.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris Duci, & Reipublicę Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Ecce timor, quem timebamus, evenit Nobis, & quod verebamur, accidit; quoties enim audivimus invaleſcere inter Chriſtianos Principes bellorum incendia, acriùſque in dies arma tractari, ac nullam propè eſſe Chriſtiani Orbis partem, nullamve nationem, aut, Populum, cujus vires res militaris non occuparet, ſeu potiùs non exhauriret, toties viſum eſt Nobis timendum eſſe, ne perpetuus Chriſtiani nominis hoſtis exurgeret, & ne arreptâ occaſione Fidelium cervicibus inſtaret. Nec ambigimus, quin hæc ipſa cogitatio ſæpè ſæpiùs obverſata ſit mentibus Nobilitatum Veſtrarum; quis enim exiſtimet eò non reſpexiſſe eximiam prudentiam veſtram, quæ publicarum rerum momenta diligentiſſimè ſemper expendit, & accuratis ſtudiis, maturiſque conſiliis ea à longè proſpicit, quæ ad ſuam, communemque ſalutem pertinere intelligit. Sed periculum jam ingruens nunc planè oſtendit, quàm juſta timendi cauſa ſubeſſet. Nos ſiquidem nuper percepimus ex literis Dilecti Filii Magni Magiſtri Ordinis Hieroſolymitani ex relatu eorum, quos ille ad Nos implorandi auxilii cauſa allegavit, certum eſſe Turcas inſtructâ non contemnenda Claſſe, confectoque bellico apparatu, moliri aliquid adversùs Chriſtianos; incertum verò, in quas illi demùm oras ſint irrupturi. Illud interim ſatis, ſuperque compertum eſſe poteſt, eatenùs Barbaros conſtituiſſe aggredi Chriſtifideles, quatenùs exiſtimarunt latum ſibi campum apertum iri eos invadendi, quos gravi, ac diuturno bello implicatos, multiſque propterea calamitatibus, & cladibus confectos, ac attritos ægrè ſuis conatibus obſtituros eſſe arbitrati ſunt. Quod ſi hac occaſione eodem Religionis zelo tacti oculos aliò convertere velimus, exploraturi item cauſas, ob quas hæreſis vires, animoſque non ita pridem ſumpſit, ac vulnera (proh qualia, & quanta!) Catholicæ Religioni intulit, non aliam fuiſſe deprehendimus, quàm hæc ipſâ Summorum Principum diſſidia, ex quibus Sectarii, rerumque novarum Authores nacti ſunt opportunitatem provehendi res ſuas in magnum Eccleſiæ, & Catholicæ Religionis detrimentum. Quamobrem cum publica mala eò tandem devenerint, ut præſens aliquod remedium omninò expoſcant, hoc verò

om-

omnium propè conſenſu ab eximiâ virtute, & authoritate, quâ apud Chriſtianos Principes præſtatis, non tam expetendum, quàm expectandum hoc tempore videatur, cumque nemini dubium eſſe poſſit, quin Vobis cordi ſit, ne Chriſtifidelium ſpoliis augeatur communis hoſtis, cujus non ſemel impetus invicto robore ſuſtinuiſtis, imò etiam fregiſtis, quod etſi non exiguo rerum veſtrarum, & civilis, clarique veſtri ſanguinis diſpendio, non tamen ſinè perpetuâ veſtri nominis laude contigit, cum denique cauſam Catholicæ Religionis eſſe Vobis commendatiſſimam præclara argumenta, & ſtudia in hunc ſcopum à Vobis ſæpè ſæpiùs impenſa disertè teſtentur; Nos qui anxii, & ſoliciti prætermodum ſumus de incolumitate tum quidem ſpirituali, tum etiam temporali crediti Nobis Dominici Gregis, Vos magnoperè hortamur, & in Domino enixè obſecramus, ut per Adminiſtros veſtros Chriſtianorum Regum, ac Principum animos ad mitiora, & ſalubriora conſilia flectere, invicemque conciliare curetis. Quæ quidem officia etſi ultrò à Vobis adhibita, & numquam intermiſſa fuiſſe pro certo habeamus, Paternæ tamen noſtræ erga Vos charitatis, ac benevolentiæ intuitu, tantò diligentiùs uſurpanda nunc eſſe confidimus, quantò magis expedit, ut in hoc rerum ſtatu commune bonum communi ſtudio promoveatur. Nos interim Deum, in cujus manu ſunt corda Regum, indeſinenter precabimur, ut annuat votis noſtris, & aſpiret conſiliis veſtris, itaut hæc tam libenter excipiantur, quàm ſcitè, ac ſapienter manabunt ex mente Nobilitatum Veſtrarum, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 7. Aprilis 1708. Pontificatus Noſtri Anno VIII.

ARGUMENTUM

Subſidia, quæ Magno Magiſtro Ordinis Hieroſolymitani ſuppeditaverat ad repellendos Turcarum conatus, ubi Melitam Inſulam ab illis oppugnari contingeret, Genuenſi Reipublicæ ſignificat, ab eâ petens, ut ſuas Triremes, & quidquid ampliùs poſſet, ad ejuſdem Inſulæ tutelam, ſub conditione mutui auxilii, prædicto Hieroſolymitano Ordini conferre velit.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Gubernatoribus Reipublicę Genuenſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Credere par eſt Nobilitates Veſtras, publico, ac certo nimiùm rumore admonitas de maritimo apparatu Turcarum pro ſuâ ſpectatâ prudentiâ intellexiſſe communi ſtudio occurrendum eſſe communi periculo, ne perpetuus ille Chriſtiani nominis hoſtis, qui conſcius quo loco ſint res Italiæ, & finitimarum Provinciarum, confidit ſe terrorem ſecum allaturum in quaſcumque demum Mediterranei Maris oras, ac Inſulas converterit Claſſem, quam ſatis inſtructam educere parat, Chriſtianorum ſpoliis augeatur, ſi fortè aliquos ad gerendum bellum imparatos invenerit. Nos quidem à Dilecto Filio Magno Magiſtro Ordinis Hieroſolymitani per eos, quos expreſsè, ac celeriter ad Nos allegavit, requiſiti, ut ipſi adeſſe velimus, ſi fortè Turca Melitam cogitaret, non

paſſi ſumus in cauſa tam neceſſaria irritas, neque iteratas eſſe hujuſmodi preces, ſed alacriter, ac liberaliùs, quàm præſentes res noſtræ ferrent, tum Pontificias noſtras Triremes, tum Militum, Armorum, & tormentarii pulveris, quantùm licuit, ei indulſimus, hac tamen conditione adjectâ, quod his omnibus ad præſidium uteretur, ubi hoſtis eam Inſulam aggredi vellet; quòd ſi is aliò contenderet, & ſivè noſtras, ſivè quaſcumque aliorum Catholicorum Principum terras adoriretur, tum noſtræ, tum ipſorum vires eò junctim convolarent, ſuppetias adversùs communis hoſtis impetus ei, cui opus eſſet, laturæ: ita enim Paternæ noſtræ charitati, qua Fideles omnes complecti, tutarique debemus, congruere exiſtimavimus. Idem conſilium noſtrum, utpotè æquum, ac ſalutare, nedum probatum, ſed alacriter ſuſceptum iri à Vobis de egregiâ veſtrâ voluntate rectè ſentientes confidimus, ac propterea libenti animo à Vobis petimus, ut Triremes veſtras, & quidquid opis ad communem tutelam præfato Hieroſolymitano Ordini opus erit, eâdem, ſi videbitur, quâ Nos, conditione concedere ne gravemini; quod impetrandum videtur à Vobis, qui publicæ ſecuritati, & Chriſtiano nomini conſultum eſſe cupitis; faciet etiam id ad conciliandam ſemper magis benevolentiam noſtram Nobilitatibus Veſtris, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 11. Aprilis 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Coſmo Etrurię ſibi ſubjectę Magno Duci.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Qui exiſtimat Turcarum gentem Chriſtianorum ſpoliis ſemper inhiare, rectè judicat de efferato ingenio illius Nationis novas in dies inſidias molientis, & tum maximè timendæ, cum in utramque aurem obdormire videtur. Perſpectum jam eſſe credimus ſolerti, ac eximiæ prudentiæ Nobilitatis Tuæ hos barbaros, quibus nimiùm exploratum eſt Italiam non minùs, quàm ceteras Chriſtianæ Reipublicæ Provincias, eſſe jam diuturnis malis afflictam, ac propè abſumptam, inſtruxiſſe non contemnendam aciem in ſcopum procul dubio invadendi aliquam partem, unde prædâ, ac captivis onuſtiores reverti poſſint. Hoc agnito, Dilectus Filius Magnus Magiſter Ordinis Hieroſolymitani pro debito ſuæ vigilantiæ timens Melitæ, celeriter hùc miſit, qui Nos periculi admonerent, & ſuo nomine rogarent, ut ad propulſandum hoſtem, ſi fortè in eam Inſulam impetum facturus eſſet, præſidio ſibi eſſe vellemus. Deeſſe tam neceſſariæ cauſæ, quocumque tandem loco res noſtræ modò ſint, noluimus, ac proptereà nihil cunctantes mandavimus Pontificias noſtras Triremes, nec non arma, & Milites, & tormentarium pulverem eò immitti, hac tamen lege injunctâ, ut hæc quidem ſubſidia ad propugnationem Inſulæ, ſi res ita ferret, adhiberentur; ubi verò hoſtis aliò converſus, vel in noſtras, vel in alias Catholicorum Principum partes irrueret, tum, & eo caſu Melitenſium vires eiſdem noſtris, & Socialibus, quas affuturas ſperabamus, ſtatim jungerentur, & cò convolarent ad ferendas ſuppetias, ubi poſceret occaſio; Paternæ enim

noſtræ

noſtræ charitatis eſſe duximus non tam noſtrorum, quàm communi Fidelium ſaluti proſpicere. Suadent interim Nos perſpecta animi tui magnitudo, probitas, ac æquitas, Te conſilio noſtro eâ alacritate inhæſurum, qua ſoles illa omnia complecti, quæ pietatem præſeferunt, ac propterea arbitramur ſtimulis Tibi opus non eſſe, ut ſtatuas tuam etiam opem plurimùm ſanè profuturam in eundem ſcopum,& ſub eadem conditione mutui auxilii præſtandi conferre. Intelliges ſiquidem multum audaciæ demptum iri Turcis, ſi Ipſi Triremes tuis vexillis ornatas, quas validas, ac pugnaces eſſe ſuo malo non ſemel didicerunt, cum ceteris item ſtrenuis adversùs ſe ſtare conſpexerint. Hanc itaque occaſionem benemerendi ſemper magis de Catholicâ Religione ne deſere, ut hoc etiam nomine cumuletur benevolentia noſtra erga Nobilitatem Tuam, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 11. Aprilis 1708. &c.

ARGUMENTUM

Poſtulat à Cardinali de Lamberg, ut diligenter adeſſe velit Archiepiſcopo Mechlinienſi, cujus authoritas à Conſilio Brabantiæ, refractarii Sacerdotis Vvande Neſſe audaciam confovente, graviter læſa fuerat, ſacrorumque Jurium violationem opportunè ſarciri curet.

Dilecto Filio Noſtro, Joanni Philippo, Tituli Sancti Silveſtri in Capite Presbytero, S. R. E. Cardinali de Lamberg nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Magno Epiſcopalis Ordinis, ac Dignitatis contemptu, nec ſine gravi Eccleſiæ injuriâ auditum eſt in Belgio, quòd Conſilium Brabantiæ de cauſâ merè ſpirituali, & Eccleſiaſticâ, imò etiam ad Fidei integritatem pertinente, cognoſcere præſumpſerit, & ad confovendam contumaciam refractarii Sacerdotis Civitatis Bruxellentis, authoritatem Venerabilis Fratris Archiepiſcopi Mechlinienſis palàm perturbaverit, ac temerè læſerit. Adjecta facti ſeries magnitudinem ſcandali eâ occaſione obortam Tibi explicabit. Nos interim, qui pro debito noſtræ ſolicitudinis nihil omiſimus, aut omiſſuri ſumus, quod ad removenda ejuſdem Antiſtitis gravamina opportuna fore dignoſcemus, magnoperè à Te petimus, ut omni ſtudio, ac officio debitam ſacrorum jurium reparationem promoveas adversùs id, quod à præfato Conſilio attentatum eſt; nihil enim tuo præſtanti zelo congruentiùs præſtare poteris, nihil, quod magis pertineat ad demerendam benevolentiam noſtram, cujus pignus Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noſter, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 14. Aprilis 1708. &c.

Cardinali de Saxonia eod. exem.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Joanni Hugoni Archiepiſcopo Trevirenſi S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Expedit magnoperè, ut innoteſcat Fraternitati Tuæ, cui cordi eſſe novimus dignitatem, & honorem Eccleſiæ, quouſque progreſſum ſit Conſilium Brabantiæ adversùs Venerabilem Fratrem Archiepiſcopum Mechlinienſem, ut ab ejus juriſdictione ſubduceret refractarium quemdam Sacerdotem, qui tum ejuſdem Præſulis authoritati, tum Conſtitutionibus Apoſtolicis obſequi, ac ſe ſubiicere palàm repugnavit. Facti ſeries, quam oculis tuis ſubiici voluimus, magnitudinem ſcandali, & injurias, atque gravamina Epiſcopali Dignitati temerè illata disertè Tibi explicabit. Quod præſens res poſtulat, magnoperè à Te petimus, atque contendimus, ut quibus ſtudiis, ac officiis ſarcire tui Ordinis jura, ac libertatem poteris, ea diligentiſſimè impendas, ne, qui hæc auſi ſunt, glorientur ſe, nullo reclamante, anguſtioribus terminis Eccleſiæ authoritatem concludiſſe, ne dignitas ejuſdem Antiſtitis, qui omni certè lenitate, ac patientiâ uſus eſt in eâ causâ, habeatur contemptui, ſitque opprobrium his, qui in circuitu ejus ſunt. Fraternitati interim Tuæ, cui commendatiſſimum eſſe cupimus tàm grave negotium, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 14. Aprilis 1708. &c.

Archiepiſcopo Moguntino, Epiſcopo Monaſterienſi, & Electo Oſnabrugenſi eodem Exemplo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo, Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Intelliget pro ſuâ eximiâ prudentiâ Nobilitas Tua, quòd niſi per eos, ad quos pertinet, & his, quibus oportet, mediis coerceatur licentia Conſilii Brabantiæ, auſi nuper aggredi, ac lædere authoritatem Venerabilis Fratris Archiepiſcopi Mechlinienſis, ac ſe immiſcere in judicio merè Spirituali, ac Eccleſiaſtico, imò etiam ad Fidei integritatem pertinente, prout ex adjecta facti ſerie ſatis, ſuperque Tibi compertum erit, nihil ſibi non licere hoc exemplo ſeculares Judices adversùs juriſdictionem Eccleſiaſticam exiſtimabunt. Dignum profectò hoc negotium eſſe intelligimus, quod Tu tum ſtimulo tuæ pietatis, tum intuitu noſtræ Pontificiæ ſolicitudinis, ita complectaris, ut Eccleſiæ Dignitatem ſarciri omni ſtudio, ac officio cures; quod certè Paternam noſtram charitatem ſemper magis conciliabit Nobilitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimaquarta Aprilis 1708. &c.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

Quatuor Triremes probè inſtructas, quadringentos milites, & alia ſubſidia mittit Magno Magiſtro Ordinis Hieroſolymitani, ut iis, ac aliis auxiliis, quæ à Genuenſi Republica, & Magno Etruriæ Duce curaverat, Melitenſem Inſulam ſtrenuè tueri poſſit, ubi eam à Turcis bello tentari contingat; quod ſi alias Catholicorum Principum ditiones aggrederentur, à præfato Magno Magiſtro poſtulat, ut vires ſuas Pontificiis, aliiſque ſubſidiariis conjungat, quatenus communi hoſti, quòcumque moveat, validiùs occurri poſſit.

Dilecto Filio, Raymundo de Perellos Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani Magno Magiſtro.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, ſalutem &c. Hoc unum deerat ad cumulum malorum, quibus res Chriſtiana hoc tempore premitur, ut Turca implacabilis chriſtiani nominis hoſtis inſurgeret, & fideli populo diuturnâ calamitate afflicto bellum non tam indiceret, quàm inferret. Ex tuis literis, & ex his quę Dilecti Filii Prior Marcellus Sacchettus Orator tuus, & Eques de Cintraÿ in hanc cauſam à Te expreſsè allegatus tuo nomine Nobis ſignificarunt, admoniti Barbaros illos claſſe jam inſtructâ proximè ſoluturos: cum hunc turbinem in Chriſtianos directum eſſe probè intelligamus, periculo non parùm commoti ſumus; ſed tamen charitas animum noſtrum ad ſubeundam hanc curam tot, tantiſque, quas perferimus, Deo ſic diſponente, additam vehementer incendit, & alacrem effecit. Parati itaque opem Tibi ferre, quam requiris, ut tueri poſſis Inſulam iſtam, de qua meritò es ſolicitus, ſi fortè contingat eam hoſtium inſidiis, atque conatibus appeti, ſupergreſſi ſumus, ac vicimus difficultates, atque anguſtias illas, in quas iniqui caſus, ac planè inopinati res noſtras, ut notum eſt, conjecerunt, ac proindè nullâ morâ quatuor Pontificias Triremes probè communitas iſthùc properare juſſimus; cui quidem maritimo ſubſidio ad augendas terreſtres tuas copias quadringentos ex noſtris militibus cum ſuis Ducibus, ac Officialibus adjecimus; deindè verò Tibi quingenta manualia tormenta commodari, pulveriſque tormentarii quinquaginta millia pondo liberaliter tradi mandavimus, experto etiam Machinatore iſthùc venire juſſo, ac demum Procuratoribus tuis poteſtatem fecimus conſcribendi militem in noſtrâ Ditione, ut nullo ex his mediis, quibus Tibi opus erit, ad propugnationem Inſulæ deſtituaris. Quæ tamen omnia ſcire Te volumus eâ Tibi conditione, ac lege à Nobis concedi, ut uſui Tibi ſint, ſi fortè Infideles Melitam aggredi tentent; ſi verò ipſi in alias Catholicorum Principum partes bellum illaturi ferantur, injungimus Tibi, ut vires tuas conjungas noſtris, atque aliis ſubſidiariis, quas non defuturas ſperamus; in hunc enim ſcopum Rempublicam Genuenſem, nec non Magnum Ducem Etruriæ ſibi ſubjectæ literis noſtris magnoperè hortati ſumus, ut ſuas quiſque Triremes, & militem ſub certa ſpe mutui auxilii iſthùc immittant, quo validiùs multorum viribus ſic conjunctis hoſti, quòcumque moveat, occurratur. Confidimus interim Paternam charitatem in tuendâ ſalute, ac dignitate iſtius Ordinis tot argumentis luculenter à Nobis explicatam, vices debiti in Nos, & in Apoſtolicam Sedem obſequii à Te, & ab iis, quibus præes, eſſe perpetuò

relaturam, camdemque ſtimulo Vobis omnibus fore ad obeundas ſtrenuè, ac fideliter muneris veſtri partes, inter quas illa præcipua eſt, ut Divinum auxilium, ſine quo nihil eſt validum, ſyncero pietatis cultu, & jugi obſervantiâ eorum, ad quæ ſacro vinculo obſtricti eſtis, vobis conciliare ſatagatis; niſi enim his ſtudiis propitiatus Dominus cuſtodierit Civitatem, fruſtrà vigilant qui cuſtodiunt eam. Neceſſariam hanc opem Vobis apprecamur ex animo, dum Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, & Ordini univerſo peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 15. Aprilis 1708. &c.

ARGUMENTUM

Principi Egoni de Furſtemberg, qui pro Auguſto Poloniæ Rege Saxoniæ regimini præerat, gaudium explicat, quod planè maximum perceperat ex illius literis nunciantibus apertam tandem fuiſſe in Civitate Dreſdæ propè Electorale Palatium, favente Rege, in commodum Catholicorum Eccleſiam, ibique Sacra ritè, ac ſolemniter fuiſſe peracta; eumdemque Principem hortatur, ut Pontificio gaudio cumulum addere velit, ope ſuâ perficiendo, ut omni ſublatâ morâ Regis Filius catholicè inſtituatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Principi Egoni de Furſtemberg.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Agnoſcimus, & adoramus miſericordias Domini Dei Noſtri, qui Nos in multis tribulationibus, propter diuturnas Chriſtiani Populi calamitates, & aſſidua pericula, ac detrimenta veræ Fidei, conſtitutos recreare voluit ſpirituali conſolatione per poſtremas Nobilitatis Tuæ literas Nobis allatas; neque enim illæ quidquam gratius, atque jucundius afferre Nobis poterant, quàm quod attulerunt, propitiante ſcilicet Deo, & favente Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Rege Illuſtri, apertam demum fuiſſe in Civitate iſtâ propè Electorale Palatium in commodum Catholicorum Eccleſiam, ibique Sacra ritè, ac ſolemniter peracta fuiſſe, felici ſanè lętiorum eventuum auſpicio, cum ſperare fas ſit, quòd qui cœpit opus bonum, Ipſe perficiet, & orthodoxam veritatem quaſi poſtliminio iſthuc reductam amplioribus in dies incrementis augebit. Quâ in re lætari meritò poteſt Dilectus Filius Religioſus Vir Carolus Mauritius Vota è Societate Jeſu licuiſſe ſibi per ętatem votorum ſuorum fructum, quaſi ſuâ manu, quâ ſacris palàm eſt operatus, colligere. Ipſe verò Auguſtus Rex non tam partam nomini ſuo gloriam, quàm quæſitum animæ ſuæ ingens lucrum gratulari ſibi perpetuò debebit, ſi quod authoritate conſtituit, exemplo tuo afferet, & cultum Catholicæ Religionis Sibi unicè cordi eſſe in dies magis oſtendet. Non poſtremam interim laudem Tibi deberi ultrò, ac libentes agnoſcimus; ex perſpectæ enim Nobis præſtantiâ tuæ pietatis, ac zeli facilè coniicimus Te operâ, ac conſilio tuo non parùm huic bono profuiſſe. Ceterum gaudio noſtro cumulus profectò tum demum accedet, cum, quod ſæpius exquiſivimus, ac ſemper optamus, id tandem obtinebimus, ut Regis Filius catholicè inſtituatur: quod cum Rex ipſe cum pro ſua in Deum fide, ac religione, tum quia id ſe facturum non ſemel Nobis eſt pollicitus, præſtare debeat, tuâ ut ope quamprimùm perficiat, magnoperè cupimus,

mus; ex quo noſtro deſiderio Rex agnoſcere debet, quàm propenſo animo in Eum ſimus, qui viam ipſi revocandi in caput ſuum cæleſtes Benedictiones innuimus. Et Nobilitati Tuæ in ſolidum Paternæ noſtræ charitatis pignus, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ octavâ Aprilis 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopo Colonienſi S. R. I. Principi Electori, cui pro temporis conditione procùl à Colonienſi, & aliis Eccleſiis fidei ſuæ commiſſis agendum erat, ſignificat ſe earumdem Eccleſiarum, atque Diœceſium Viſitationem Apoſtolicam demandaſſe Nuncio Pontificio ad tractum Rheni, eumdemque Electorem requirit, ut operam dare velit, quatenùs Adminiſtri ſui Nuncio Pontificio in omnibus inſtitutam Viſitationem reſpicientibus præſto ſint.

Venerabili Fratri, Joſepho Clementi Archiepiſcopo Colonienſi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Non parùm conquieſcendum Nobis eſſe videretur in ſpectato zelo, ac vigilantiâ Fraternitatis Tuæ pro ſpirituali bono animarum, quarum regimen Tibi eſt demandatum, ubi præſens eas regere, & coram fovere, ac tueri poſſes: verùm quando, ut tempora ferunt, procul ab eis diutiùs Tibi agendum eſt, oportet profectò Nos ſolicitos eſſe, ne quid interim periculi immineat ovibus Paſtoris ſui præſentiâ, atque præſidio deſtitutis. Quamobrèm incitati non tam ſtimulo charitatis, quàm officii noſtri debito, operæ pretium eſſe ducimus diligenter cavere, ne ex hac ipſa tua protractâ abſentiâ Divinus cultus, Cleri diſciplina, morum regula, pietatis, ac religionis ſtudia in Eccleſiis Tibi commiſſis ullum interim detrimentum patiantur. Demandamus itaque, prout expedire in Domino judicamus, partes luſtrandi Eccleſias, atque Diœceſes, quibus præes, Venerabili Fratri Joanni Baptiſtæ Archiepiſcopo Tarſenſi noſtro ad tractum Rheni Nuncio, confiſi illum ſedulum fore in eo munere obeùndo, ac in promovendâ omni ſtudio Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum obſervantia, ac curaturum eſſe ea, quæ fortè injuriâ temporum, aut incuriâ hominum collapſa invenerit, reſtituere, ac ad normam Eccleſiaſticarum legum exigere. Non ambigimus interim, quin Tibi pergratum accidat, quod pro ſolicitudine, quam gerimus, omnium Eccleſiarum, Gregis tui incolumitati hoc ſalutari medio proſpiciamus. Conſilii autem ſic à Nobis initi pro ſingulari noſtra benevolentiâ, quam egregio in Nos ſtudio demeruiſti, monitum Te facimus, Nobis polliciti Te daturum operam, ut Adminiſtri tui præſto ſint in omnibus eidem Nuncio noſtro, quatenùs, Deo propitiante perficiat, quod eodem auſpice noſtro nomine aggreditur. Fauſta interim omnia ex animo precamur Fraternitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 5. Maii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Cum in Ducatu Mediolanenſi à Cæſareis Officialibus promulgata fuiſſent Edictum, & Decretum, quibus multa in maximam Pontificiæ authoritatis, ac dignitatis detrimentum, manifeſtamque Eccleſiaſticorum Jurium ſubverſionem conſtituebantur; ac inſuper in Regno Neapolitano Literarum Apoſtolicarum executio impediretur: Sua Sanctitas ab Imperatore quàm enixè poſtulat, ut ea omnia, tamquàm non Eccleſiaſticæ tantùm Immunitati, ac omni æquitati contraria, ſed ipſius etiam Cæſaris, qui præcipuus Eccleſiæ Defenſor, & Advocatus eſſe debet, honori, & laudi adverſantia retractari mandet, illatamque Eccleſiæ injuriam congruis mediis ſarciri curet.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Explicare verbis non poſſumus Majeſtati Tuæ, quali, ac quanto animi noſtri nedum mœrore, ſed etiam horrore à Nobis auditum ſit prodiiſſe ante aliquot dies in Civitate, ac Ducatu Mediolanenſi Edictum quoddam, nec non etiam Decretum, ubi multa conſtituuntur, quemadmodum ex ſola illorum lectione facilè coniici poteſt, in maximum Pontificiæ non minùs authoritatis, quàm Dignitatis detrimentum, ac in manifeſtam jurium Eccleſiaſticorum ſubverſionem: utrumque porrò perferre inſcriptum Nomen Auſtriacum, illud ſcilicet nomen, quod cum per ſe inclytum ſit, inſigne tamen in primis ſemper eſt habitum propter ſtudium pietatis, propitium verò, & auſpicatiſſimum perpetuò fuit Eccleſiæ, quæ certam in eo tutelam, atque ſalutem, & validum inter difficultates, atque pericula præſidium non ſemel eſt nacta. His accedunt nova æquè, ac injuſta, quæ tam in Ducatu prædicto, quàm in Regno Neapolis Apoſtolicarum Literarum executioni, intolerando prorsùs auſu, ac cum graviſſimâ animarum pernicie inferuntur impedimenta. Agnoſcet idcircò pro ſuâ ſpectatâ prudentiâ Majeſtas Tua, quæ neceſſitas ex hujuſmodi geſtorum ſerie Nobis hoc loco conſtitutis injuncta ſit; cogimur enim utcumque dolentes, ac propè inviti, ad ea Nos convertere, quæ omitti à Nobis non poſſunt, nec debent, cum vis rebus ſacris infertur, & Eccleſiaſtica libertas, atque immunitas vulneratur, ne ſi deſides in eo fuerimus, culpabiles efficiamur, propterea quòd ea, quæ vigilantiæ noſtræ commiſſa ſunt, farta tecta tueri neglexerimus. Muneris itaque noſtri partes quantociùs implere parati, dum indictis publicis precibus lumen ad has congruè obeundas ab eo petimus, in quo qui credit, & ſperat, non confunditur, non alienum à ſcopo, in quem tendimus, eſſe duximus cauſas perturbationis, atque amaritudinis noſtræ Tibi, immiſſo iſthùc celeri Curſore, denunciare. Confidimus enim ſine multâ moleſtiâ à Te audienda non eſſe, quæ tanto cum ſcandalo, & bonorum omnium offenſione contigerunt; quin imò ſperamus Te ſtatim intellecturum eſſe conſilium initum ita Eccleſiæ, cujus præcipui Defenſoris titulo non minùs, quàm ipſa Imperii adminiſtratione glorieris, rationibus adverſari, ut etiam omni æquitati repugnet, Tuaque maximè intereſſe, ut omnes intelligant deterrimum hoc exemplum, quod re-

ten-

tentum multùm ſanè obeſſet Auſtriaci nominis laudi, à Te omninò improbari. Præclarè autem teſtaberis eſſe Te animo, quemadmodùm decet, tum pio, tum ſanè recto, ſi dum Nos pro Eccleſiaſticæ libertatis tuitione ea adhibere remedia conſtituimus, quæ traditæ Nobis divinitùs poteſtati competunt, authoritate tuâ itidem effeceris, ut Eccleſia etiam ab illis ipſis, à quibus tantâ injuriâ eſt affecta, congruis mediis farciatur, & nedum ad jura ſua, ſed ad priſtinam dignitatem quamprimùm redeat. Magnitudinem noſtræ in Te charitatis, & Paternæ benevolentiæ, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, deprehende ex ſolicitudine, quam gerimus, ut cœleſtes Benedictiones, quas inclyti Majores tui præſtanti Eccleſiæ patrocinio ſunt aſſecuti, ſimiliter demerearis, & quas Nos Majeſtati Tuæ ex animo apprecamur, dum eidem Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die ſextâ Maii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtrę, Amalię, Hungarię, & Bohemiæ Reginę Illuſtri, in Romanorum Imperatricem Electę.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Etſi in tribulationibus, quæ invenerunt Nos nimis, & in his præſertim, quæ graviores ſunt, utpote quæ communes Nobis ſunt cum Eccleſiâ, auxilium non aliunde, quàm à Deo, qui ſe eidem Electæ ſuæ perpetuò affuturum promiſit, expectandum Nobis eſſe intelligamus, non alienum tamen ab officio noſtro, nec repugnare arbitramur ſpei, quam conſtituimus in Ipſo, qui potens eſt has omnes procellas in auram facere, opem eorum requirere, quorum ſpectata virtus, & authoritas ad conciliandam optatam Eccleſiæ tranquillitatem, & ad removenda pericula, & ſcandala quotidiè ingruentia plurimùm momenti afferre poteſt. Admoniti itaque de his, quæ contra jura, & rationes Eccleſiaſtici Ordinis per Edictum, ac Decretum publicum nuper conſtituta fuerunt in Civitate, & Ducatu Mediolanenſi, tum etiam de impedimentis, quæ continenter inferuntur executioni Literarum Apoſtolicarum tam in Civitate, ac Ducatu prædictis, quàm in Regno Neapolitano, doluimus intimè, & ex animo, quòd Nobis, utcumque mœrentibus, & invitis, impoſita ſit neceſſitas adhibendi ea remedia, quæ ubi Eccleſiæ libertas, ac immunitas læditur, non eſt integrum Nobis omittere; noſtris propterea precibus implorare non ceſſamus ſupremum lumen, quatenùs congruè, ac ſalubriter ſtatuere valeamus. Interim verò Majeſtatem Cæſaream de hoc ipſo luctuoſo rerum ſtatu, & de conſilio, quod inire cogimur, per celerem Curſorem admonemus, confiſi præſtantem ipſius zelum moleſtè laturum ſcandalum admiſſum, & nullo modo paſſurum eſſe injurias, ac gravamina Eccleſiæ illata diutiùs ſubſiſtere, ne Auſtriacum nomen, cujus authoritate hæc acta fuiſſe dicuntur, à veteri, & præclarâ laude, quam perpetuo, & conſtanti in Deum, & in Eccleſiam cultu promeruit, deciſſe nunc tandem malorum operâ videatur. Atque hæc ipſa in cauſa ſunt, ut Te, Chariſſima in Chriſto Filia Noſtra, omni charitate, & quo majori poſſumus ſtudio hortemur, ac obteſtemur, ut validiſſimis officiis nego-

tium tam grave in bonum, & commodum Eccleſiæ tuendum, fovendumque ſuſcipias, quâ in re Tibi pollicemur Te rem Deo admodùm gratam eſſe facturam, & tuum meritum magnoperè cumulatum iri, quod ut Tibi feliciter contingat, Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 6. Maii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimę in Chriſto Filię Noſtrę, Eleonorę Magdalenę Thereſiæ, Hungariæ, & Bohemiæ Reginæ Illuſtri, in Romanorum Imperatricem Electæ Viduæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Etſi intelligamus Majeſtati Tuæ moleſta fore, quæ præbent argumentum huic noſtro officio, deſerere tamen non poſſumus ſpem illam, quâ Nobis pollicemur Te pro indemnitate jurium Eccleſiæ, de qua modò Nobis res eſt, operam tuam libenter poſituram. Prodierunt non ita pridem publicâ auctoritate in Civitate, & Ducatu Mediolanenſi Acta quædam (Edictum ſcilicet, & Decretum) in manifeſtum gravamen rationum Eccleſiaſtici Ordinis, quæ cum omni ex parte ab æquitate diſſentiant, aliena profectò eſſę dignoſcuntur à pietate Auſtriaci nominis, quod præſeferunt, ut propterea ambigendum non ſit, quin malorum operâ, & conſilio fuerint extorta. Non abſimili auſu tam in Civitate, & Ducatu prædictis, quàm in Regno Neapolitano, Apoſtolicarum Literarum executioni impedimenta cum graviſſimâ animarum pernicie interponuntur. Et hæc quidem eò acerbiora Nobis accidunt, quòd congruum, & celere remedium à Nobis poſtulant, à quo abſtinere ſine graviſſima neglecti Apoſtolici muneris culpâ non poſſumus. Verùm, qui juſtus, & rectus eſt, Dominus hanc cauſam non deſeret, & noſtris, ac Fidelium precibus exoratus deliberationibus, quas propèdiem ſuſcepturi ſumus, lumine, ac præſidio ſuo aderit. Interim verò charitatis noſtræ eſſe duximus de gravitate ſcandali, & de neceſſitate Nobis impoſitâ admonere Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Joſephum in Romanorum Imperatorem electum, inclytum Natum tuum, firmâ ſpe ducti, quòd, dum Nos manus ſarciendæ, ut par eſt, Eccleſiaſticæ libertati, ac juriſdictioni admovemus, Ille viciſſim reparationem, quam pro jure noſtro quęrimus, urgebit magnoperè authoritate ſuá, efficietque, ut unde Nobis oborta eſt juſta amaritudinis cauſa, ſuppetat non multò poſt ampla materies gratias agendi miſericordiarum Patri, quòd umbras mentibus, ac cordibus offuſas veritatis luce diſperſerit. Hoc bonum plurimorum votis expetitum parari præſertim poſſe confidimus ope Majeſtatis Tuę, quam credere eſt non minus de ſpirituali, & ęterna ſalute, quàm de terrenâ, & fluxâ gloriâ inclytę Sobolis fore pro maternâ ſedulitate ſolicitam, in cujus felicis eventus auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuę amantiſſimè impertimur. Datum Romę &c. die 6. Maii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Joanni Philippo, Tituli S. Silveſtri in Capite Presbytero, S. R. E. Cardinali de Lambergh nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Non quia majoribus in dies, & gravioribus curis oneramur, ac propè obruimur, ſed quia videmus cumulari quotidiè detrimenta, ac pericula ſpiritualia eorum, quorum Nobis commendatiſſima eſt ſalus, in ſummâ cordis noſtri amaritudine verſamur. Nemo profectò eſt rectè, & cum Domino ſentiens, qui non videat poſt tot, ac tantas tribulationes multas, ac malas, quibus hoc iniquiſſimo tempore premitur Eccleſia, interponi in præſens in magnam animarum perniciem impedimenta executioni Literarum Apoſtolicarum, tam in Regno Neapolitano, quàm in Civitate, & Ducatu Mediolanenſi; multa verò conſtitui per Edicta, ac per Decreta in eiſdem Civitate, & Ducatu juribus, ac rationibus Eccleſiæ manifeſtè contraria, non doleat intimè, & ex animo, quòd perſpecta ubique Terrarum, & præcipuis documentis hactenùs comprobata pietas Auſtriaci nominis, cujus authoritate hæc agi dicuntur, à veteri, ac laudatâ Majorum ſuorum conſuetudine quodammodò deflexerit. Nos etſi inſidiis antiqui hoſtis diſſidiorum zizania ubique diſſeminantis, & deteriora conſilia malorum operâ mentibus hominum inſinuantis, magnâ ex parte tribuendum id eſſe ducamus; quia tamen Muneri noſtro deeſſe non poſſumus, nec debemus, accingimur, mœrentes licet, ac propè inviti, ad ea adhibenda remedia, quæ cauſę meritum poſtulat, in quem ſcopum à Deo lumen, & opem junctis Nobiſcum multorum precibus expoſcimus, quatenùs ejus ductu, ac nutu ęqua, & ſalutaria ſtatuamus. Eatenus porrò has noſtras ad Te damus, quatenùs confidimus Te zelo digno munere, ac loco, quem in Eccleſia Dei obtines, validis officiis, ac ſalutaribus monitis acturum apud Cæſarem, ad quem Nos etiam de hac ipsâ re diligenter, & quo par eſt, ſenſu ſcribimus, ut ſcandalis tam publicis, ac gravibus ſuâ authoritate occurrens, curet, & efficiat, ut quæ Nos jure noſtro petimus, & exigimus pro reparatione authoritatis, ac juriſdictionis Eccleſiaſticæ, ipſo etiam urgente, quamprimùm impleatur. Confidimus Te hac occaſione, devotæ tuæ in Nos, & in Apoſtolicam Sedem voluntatis nova argumenta daturum, ac ſanè talia, per quæ tuum apud Deum meritum augeatur, & noſtra ergà Te charitas, & benevolentia magis cumuletur. Tibi interim, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 6. Maii 1708. &c.

Cardinali de Saxonia Eodem exemplo.

ARGUMENTUM

Catholicæ Religionis cultum inductum, apertamque in Ciuitate Dreſdæ pro Catholicis ſacram Ædem Regi Poloniæ effuſè gratulatur. Eum deindè eleganter admonet, ut integrum, ac abſolutum Sacrificium Deo perſolvat, non dimidiatas Hoſtias ad Ejus Aram deferat; ideſt, Principem Natum ſuum Catholico tandem ritu, ac præceptis inſtitui curet, adeòque fidem ſuam liberet, ſuis laudibus novum hunc cumulum addat, & Pontificium gaudium uſquequaque perficiat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Quòd Catholicæ Religionis cultus in Civitatem Dreſdæ operâ, & auctoritate Majeſtatis Tuæ nunc demum inductus ſit, ibique veluti poſtliminio receptus palàm modò exerceatur, ſacra Æde propè tuum Electorale Palatium ad id conſtitutâ, ac apertâ, tanto gaudio, tantâque animorum exultatione exauditum eſt ab universâ Eccleſiâ, ut nullis verbis explicari poſſit, quantum inde laudis, ac gloriæ apud eos, qui Divinum honorem verè, & ex animo diligunt, tuo nomini acceſſerit. Nos verò ob hujuſmodi eventum eò uberiori lætitiâ perfuſi, quo major Nobis ſuberat cauſa optandi, ut id tandem accideret, hoc audito effuſis precibus à Deo (inter referendas ipſi gratias) poſtulavimus, idemque poſtulare continenter pergemus, ut ſupernis benedictionibus inſigne hoc pro Orthodoxâ Religione meritum Tibi rependere velit, & ſpiritualium, & temporalium bonorum largitione oſtendat gratum ſibi extitiſſe munus, quod Ei pietate, ac zelo ductus obtuliſti, quod ita fore ſperandum eſt; neque enim Retributor optimus patitur bona opera mercede congruâ fraudari. Verùm meminiſſe Te oportet, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, quod ad promerendam hanc mercedem integrum, & abſolutum eſſe debet ſacrificium, quod Deo perſolvitur; cur enim dimidiatas Hoſtias ad ejus Aras deferemus, qui totum pro Nobis obtulit ſemetipſum? Magnum quidem eſt tuæ pietatis argumentum induxiſſe iſthuc Catholicæ Religionis cultum, ac inter offuſas, diùque graſſantes errorum tenebras extuliſſe veritatis veluti facem, quam ſequentur ii, qui hujus lucis participes fieri merebuntur. Majus erit promovere ſedulò, quantum fas erit, ejuſdem Fidei incrementa, ut filiorum Eccleſiæ numerus iſthic, Deo auſpice, in dies magis augeatur; ſed tum demum laudibus tuis cumulum adiicies, & toto corde Sanctæ, ac veræ Religioni Te addictum eſſe oſtendes, cum Divinæ voluntati, & paternis noſtris monitis obſecutus Principem Filium tuum ad ipſas Aras ſiſtes, & Catholico Ritu, ac præceptis ipſum piè, ac ſalubriter inſtitui curabis, & efficies. Noſtri muneris eſt, hoc à Te non tam pro ſolicitudine noſtrâ quærere, quam pro jure noſtro repoſcere; ſcis ſpem eâ in re noſtram Regiis tuis verbis inniti, ne differas fidem, quâ Deo, & Nobis es obſtrictus, liberare: *Deus enim non irridetur*. Agnoſce autem ex ſolicitudine noſtra, quàm cupidi ſimus tuarum laudum, & tuæ æternæ ſalutis: conſilium à Te ſuſcipi optamus, quod gratiam Tibi cœleſtem uſque magis conciliet, & Paternam noſtram benevolentiam arctiùs demereatur, dum in auſpicium felicitatis, quam Tibi ex intimo cordis gratulabundi ob tam

præ-

præclarum ſpecimen Tuæ virtutis apprecamur, Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decima ſecunda Maii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Equitem Franciſcum Ferrettum Priorem Prioratus Angliæ, quem Pontificiis Triremibus præfecerat, cum ipſis Triremibus ad Magnum Magiſtrum Melitenſem mittit, adjuncto honorifico virtutis, & fidei ejuſdem Prioris teſtimonio.

Dilecto Filio, Raymundo de Perellos, Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani Magno Magiſtro.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, ſalutem &c. Amplitudinem Paternæ noſtræ charitatis Tibi, & Ordini iſti majoribus, quàm præſens res patitur, argumentis teſtari cuperemus, ut compertum omnibus eſſet, quantâ ſolicitudine pro ſalute veſtrâ adversùs communis hoſtis inſidias teneamur. Interim verò, cum Triremibus, quas ad ſubſidium iſthuc ferendum ad Te mittimus, in Gubernatorem prçfeeerimus Dilectum Filium Franeiſcum Ferrettum, Equitem Hieroſolymitanum, ae Priorem Prioratus Angliæ, æquum eſſe duximus Tibi perſpectum facere eum Nobis ob præſtantem operam, quam ſummâ fide, nec impari virtute Nobis, & Prædeeeſſoribus noſtris in maritimis expeditionibus à multo tempore navavit, eſſe magnoperè probatum, & commendatum, ut ſeias tuas in eum amoris, atque honoris ſignificationes gratas Nobis admodùm fore, qui vieiſſim confidimus eum Priorem, tum pro debito erga Nos obſequio, & eultu, tum pro veteri ſuo inſtituto demandati ſibi muneris partibus, ubi opus erit, ſummo ſtudio reſponſurum. Ceterum, Dilecte Fili, Apoſtolieam Benedictionem Tibi peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 12. Maii 1708. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Cum Cæſareæ militares Copiæ in Italiâ verſantes nonnulla loca Ditionis Pontificiæ ex inopinato occupaſſent, ibique conſtituto Præſidio, ſigniſque Cæſareis explicatis, inſediſſent animo, ut apparebat, majora aggrediendi: de ejuſmodi violentâ occupatione, ac illatâ Sedi Apoſtolicæ manifeſtâ injuriâ graviter, ut par erat, cum Imperatore conqueritur; Eumque paternè admonet, ut pedem nullâ morâ indè referre velit, undè certa illius animæ pernicies, nedum perpetua ejus nomini labes, conſecutura ſit. Demum Majeſtati Suæ ſe Pontificii Muneris partes impigrè, atque fideliter implere paratum eſſe denunciat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Vix ſimile verò videretur Copias illas, quæ ſtipendia faciunt ſub vexillis Majeſtatis Tuæ in Italiâ poſt tot, ac tantas moleſtias, & graviſſimâ damnâ frequenti earum tranſitu per Ditionem Eccleſiaſticam Populis noſtris illata, de repente, nullâ factâ belli indictione, intentaſſe hoſtile aliquid adversùs eamdem Ditionem, niſi actu, reque ipsâ ex his, quæ ad Nos nuper allata ſunt, nimiùm compertum eſſet id planè eveniſſe, eaſdemque Copias loca quędam jurisdictionis noſtræ paulò ante occupaſſe, ibique conſtituto Præſidio, tuiſque ſignis explicatis, tamquam in Terris juſto bello conquiſitis, inſediſſe animo, ut apparet, majora aggrediendi, ubi novis Militiis, quæ mox affuturæ dicuntur, augeantur. Vides, Cæſar, hæc contra omnem æquitatem, ac rationem, contra debitam Nobis, & Apoſtolicæ Sedi reverentiam, contra jura, ac rationes Eccleſiæ, per abuſum tui nominis admiſſa divinis, humaniſque legibus repugnare, rectâque opponi titulo Defenſoris Eccleſiæ, quo maximè gloriati ſunt Imperatores, inclyti Majores tui. Non ignoras quàm graviter, & diſtrictè Sacri Canones, & Apoſtolicæ Conſtitutiones decernant adversùs eos, qui vim rebus, & juribus Eccleſiæ inferunt. Expende itaque quouſque Te abripuerint (ſi modò id Te jubente, ac conſcio admiſſum eſt, quod nefas eſſe videtur de tuo animo exiſtimare) prava, & iniqua eorum conſilia, qui Te ad provocandam tam graviter, ac manifeſtè Dei iram impulerunt, & pedem nullâ morâ indè refer, undè certa animæ tuæ pernicies, nedum perpetua tuo nomini labes, conſecutura eſt. Interim verò de Nobis ſic exiſtimâ: Nos de Divinâ ope, quam humiliter, & enixè implorare non ceſſabimus, confiſos eâ animi firmitate hanc cauſam, & ea omnia, quæ tutelæ noſtræ commiſſa ſunt, complexuros eſſe, ut nemo unquam Nobis jure ſuccenſere poſſit Nos Muneris noſtri partibus defuiſſe, aut mediis ſivè ſpiritualibus, ſivè temporalibus peperciſſe, etiamſi cujuſcumque rei jacturâ, & vitæ noſtræ diſpendio faciendum ſit; non enim animam noſtram pretioſiorem facimus, quàm Nos, dummodò conſumemus curſum noſtrum, commiſſumque Nobis cœlitùs Miniſterium uſque ad mortem fideliter impleamus; memores ſiquidem ſumus, quemadmodum Te etiam eſſe oportet, omnes homines, quâ-

cum-

cumque demùm dignitate præſtantes, conſtituendos eſſe aliquandò ante tremendum illud Tribunal, coram quo tum qui fecerint opus ſuum negligenter, tum qui traditâ ſibi poteſtate abuſi fuerint, juſti Judicis iram non evadent: *Declinantes enim in obligationes adducet Dominus cum operantibus iniquitatem*. Hæc cogitatio Nos, Deo juvante, impigros in obeundo Munere noſtro efficiet; conſulat & ſibi Majeſtas Tua. Noli, Chariſſime Fili Noſter (nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cujus vices indignè gerimus, poſtremò Te alloquimur) noli primitias florentis ætatis tuæ totius Chriſtiani populi ſcandalo maculare, & ab Eccleſiæ, quæ Chriſti Sponſa eſt, Apoſtolorumque ejus injuriâ Imperii tui primordia auſpicari. Quod quidem ut planè intelligas, & meliora, Deo favente, ſapias, Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Junii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ Amaliæ, Hungariæ, & Bohemiæ Reginæ Illuſtri in Romanorum Imperatricem Electæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Nunquam ſanè animum noſtrum induximus fore, ut cogeremur aliquando hortari Majeſtatem Tuam, ut ageret apud Cæſarem, ne Eccleſiaſticæ Ditionis pacem, ac tranquillitatem perturbaret, cum præſidium potiùs ab ipſo, utpotè Eccleſiæ Defenſore, quàm ullum incommodum, ac detrimentum omni jure Nobis expectandum eſſe videretur. At quando malorum hominum operâ factum eſt, poſt tot damna, & calamitates, quibus ex frequenti tranſitu Cæſarei Militis per Eccleſiaſticam Ditionem Populi noſtri affecti ſunt, hoſtiliter cum noſtris ab ejus copiis agi videamus, & Terras juriſdictioni noſtræ ſubjectas occupari, facere non poſſumus, quin hanc acerbiſſimi doloris noſtri materiem Tibi denunciemus: multò magis metuentes ſpirituali ſaluti ipſius Cæſaris, quàm rebus noſtris, quibus confidimus, Deum ipſum potenti ſuâ ope affuturum eſſe, dum Nos ad eam promerendam, nihil eorum omiſſuri ſumus, quæ ad implendas muneris noſtri partes, tum quoad ſpiritualia, tum quoad temporalia media adhibenda pertinere intelligemus: ſed ſanè ſperare eſt Te pro eximiâ tuâ pietate hanc cauſam tam ſedulò peroraturam, ut Cæſar, quo non planè conſcio contigiſſe hæc credimus, nedùm ſuos ab hujuſmodi conatibus retrahat, ſed Nos, & Apoſtolicam Sedem præclaris filialis ſuæ obſervantiæ argumentis recreet, ac ſoletur, ſi præſertim perpenderit ſe per diras Eccleſiæ, in quas per hæc potiſſimùm incurritur, Divinæ iracundiæ flagella in caput ſuum procul omni dubio pertracturum. Majeſtati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Junii 1708. &c.

IDEM ARGVMENTVM

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ, Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ, Hungariæ, & Bohemiæ Reginæ Illuſtri, in Romanorum Imperatricem Electæ Viduæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filio Noſtra, ſalutem &c. Præ multitudine doloris, ac mœroris noſtri Te alloquimur, Chariſſima in Chriſto Filia Noſtra, non tam quidem moti præſentibus curis, ac tribulationibus noſtris, quàm intimè perculſi ſpirituali periculo, in quod inclytam tuam Sobolem malorum hominum operâ videmus adduci. Cæſarei Milites, qui in Italia à multis jam annis reſident, Eccleſiaſticam Ditionem itu, redituque ſuo ſæpiùs emenſi, ea damna Populis noſtris intulerunt, quæ ſatis, ſuperque cuique perſpecta ſunt, & Nos quidem, etſi eorum, qui tutelæ noſtræ commiſſi ſunt, calamitatibus magnoperè diſcruciaremur, longanimitate tamen, & tolerantiâ uſi multa, & magna, ac ſanè plura, & majora, quàm res noſtræ ferrent, hac occaſione eiſdem indulſimus: rati tamen jura ſupremæ noſtræ authoritatis illæſa perpetuò fore, prout ſuadebant & nota pietas Auſtriacæ Domus, & æquitas ipſa, & debita Apoſtolicæ Dignitati reverentia. Verùm, tamquam ſi injuriis, & non beneficiis cum eis actum eſſet, admonemur nunc demum eoſdem Milites vix è finibus noſtris poſt tranſitum nuper habitum emerſos, iterum ſe in Ditionem noſtram hoſtili more effudiſſe, & Terras ad Nos pertinentes, nullâ præviâ indictione belli, occupaſſe, & graviora adhuc in detrimentum authoritatis, & juriſdictionis noſtræ moliri. Nihil ſacri Canones ſub comminatione, & inflictione ſpiritualium pœnarum tam execrantur, quàm vim ſaeris rebus, & Eccleſiaſticis juribus illatam. Pro eo itaque, quanti Majeſtas Tua facit æternam ſalutem, ut modò prætereamus famam, quæ ſimul periclitatur, Auguſtæ, & inclytæ Prolis, ſatagat hæc conſilia à pravis authoribus in perniciem animarum ſuggeſta evertere, Cæſariſque animum in deliberationes dignas Auſtriacâ pietate perducere. Nos idipſum à Deo effuſis precibus expectamus, requirentes ſimul Ipſius opem, quatenùs Nos cauſæ Ipſius congruis remediis qua ſpiritualibus, qua temporalibus pro debito noſtri Muneris adeſſe, & quemadmodum par erit, conſulere valeamus. Majeſtati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Junii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Religioſo Viro, Inghilberto Biſcoff è Societate Jeſu, Cæſareę Majeſtatis Confeſſario.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, ſalutem &c. Etſi ad neceſſariam defenſionem rerum tutelæ noſtræ creditarum revocentur curæ, cogitationeſque noſtræ propè omnes nunc, quando aperta vis Eccleſiaſticæ Ditioni à Cæſareis Militibus illata dubitare non finit, quin hoſtili animo cum Populis noſtris agatur; quia tamen dum pro debito Muneris noſtri media tum ſpiritualia, tum temporalia, quæ res poſtulat, expetimus, fervor Paternæ charitatis reddit Nos impensè ſolicitos de ſpirituali ſalute Majeſtatis Cæſareæ, cujus animum (ſi tamen Ipſo jubente, aut conſcio hęc admiſſa ſunt) abreptum fuiſſe in conſilia avitæ pietati prorsùs contraria dolentes inſpicimus, denunciandum Tibi eſse duximus ipſius periculum, confiſi, quod ſi Cæſar Te æquum, ac ſyncerum monitorem audierit, imò ſi conſcientiam ſuam conſulere voluerit, exhorrebit, cum viderit ſtare ſe exempto, diſtrictoque gladio adversùs Eccleſiam, cujus Defenſorem fore jurejurando ſe obſtrinxit, ita ut ullo modo, vel Te ipſo judice, immunis eſſe poſſit à graviſſimâ culpâ, neque à pœnis, quibus ex Sacrorum Canonum cenſurâ obnoxii ſunt, qui jura Eccleſiæ aggredi non verentur. Sanè niſi ſcandalum tam ingens in conſpectu univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ patratum, niſi injuria, tanto dignitatis, & authoritatis noſtræ contemptu Eccleſiæ illata congruè reparentur, meritò timendum eſt, ne Deus, contra quem non eſt potentia, non eſt conſilium, exurgat non multò poſt in cauſam ſuam, comprobaturus inſigni aliquo exemplo Eccleſiam impunè non contemni. Hæc Nos flagella à capite Cæſaris, multòque magis æternam perniciem ab Ipſius animâ averti cupimus, etſi quid poterunt preces ad Deum noſtræ curabimus. Tuum eſt umbras malorum hominum operâ menti illius offuſas admotâ veritatis luce diſcutere, & admiſſi facinoris gravitatem eo, quo par eſt, zelo eidem revelare; quod ut utiliter perficias, Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Junii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Jo. Philippo, Tituli S. Silveſtri in Capite Presbytero, S.R.E. Cardinali de Lamberg nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Quo ſenſu affecti fuerimus, cum ad Nos inopinatò allatum eſt Copias Cæſareas, quarum Nos tranſitum per Ditionem noſtram Eccleſiaſticam tanto rerum noſtrarum incommodo, ac diſpendio, & Populorum noſtrorum detrimento, ſæpè ſæpiùs pertulimus, invexiſſe ſe nuper in eamdem Ditionem, & amicè ingreſſàs hoſtiliter

egiſſe occupatis quibuſdam locis, Præſidiiſque in eis conſtitutis, ac Vexillis, velut in ſignum acquiſitionis, explicatis, incuſſo etiam finitimis locis majorum malorum appropinquantium metu, non eſt cur Tibi explicemus, quem facilè intellecturum credimus, quàm grave ſit pro multis, magniſque officiis, ac beneficiis non ſine maximo incommodo impenſis gratiam injuriis, damniſque ingentibus rependi; & nihilominùs ſuper hanc moleſtiam, quæ Nos, reſque noſtras reſpicit, graviſſimum Nobis eſt, quòd Majeſtas Cæſarea, ſi modò ipsâ mandante, quod vix credere eſt, iſta contigerunt, ceſſiſſe videatur iniquis eorum conſiliis, qui nihil tam cupientes, quàm Sacerdotium cum Regno committere, authores ipſi extiterunt, ut ab Auſtriacæ pietatis veſtigiis recedens, pro Defenſore Eccleſiæ, quo titulo maximè gloriati ſunt ejus Majores, ipsius Ecclesiæ oppugnatorem palàm agere non dubitaret: conflatâ interim magna ſuo nomini invidiâ, & quod deteriùs eſt, contractâ animæ ſuæ graviſſimâ labe nunquam ſanè diluendâ, niſi penitùs emendatis injuriis, ac damnis Nobis, ac Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi per ſuos allatis, & eâ demum viâ, quâ hujuſmodi vincula Eccleſiæ ipſius authoritate exſolvuntur. De quo Nos ipſius ſpirituali periculo pro magnitudine charitatis noſtræ ſoliciti Te, quo majori poſſumus ſtudio, ac fervore hortamur, & obteſtamur, ut revocare cures Majeſtatis ſuę animum à deliberationibus, quibus attrahet procul dubio in ſe Divinę iracundię flagella, quę quidem longè averti cupimus, & aſſiduis à Deo precibus poſtulabimus. Intereà tamen Muneris noſtri partibus incumbentes ea, quę in manu noſtrâ conſtituta ſunt, remedia, dolentes licèt, & inviti, adhibere non omittemus; & Tibi, Dilecte Fili Noſter, in auſpicium optati fructus, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Junii 1708. &c.

Cardinali de Saxonia, & Electori Palatino eod. exem.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco, Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Grave, ac moleſtum Fraternitati Tuę pro ſpectato ſuo zelo, & ſingulari prudentiâ fore credimus audire occupata fuiſſe nuper à Cæſareis Militibus hoſtili more nonnullas Terras Ducatus noſtri Ferrarienſis, & in eis appoſita Præſidia, nec non explicata Vexilla ipſius Cæſaris, bellum demum innocentibus Populis noſtris inopinatò illatum, cujus inferendi nullas extitiſſe cauſas vel ex hoc liquet, quod ipſæ Militares Copiæ, ut aliàs ſæpè, ita paulò ante per omnes propè Eccleſiaſticæ Ditionis Provincias ingenti numero pervagatæ à noſtris amicè, ac hoſpitaliter, conniventibus quodammodò Nobis, exceptæ, ac altæ fuerint non ſine ingenti Populorum noſtrorum diſpendio, ac detrimento, ut proptereà non injuria quidem, ſed gratia potiùs expectanda videretur. Quamobrem cum vehementer, & pro facinoris gravitate commoti fuerimus, illud præ ceteris acerbiſſimum Nobis doloris argumentum fuit, quòd adeò prævaluerint apud Cæſarem (ſi modò ab Ipſo mandata hujuſmodi prodierunt) pra-

va

va iniquorum hominum conſilia, ut pro Defenſore Eccleſiæ, quo titulo Auſtriaci Imperatores maximè gloriati ſunt, oppugnatorem egerit, & evertere, quæ in primis cuſtodire debebat, deterrimo exemplo aggreſſus ſit; nec perpenderit, quàm gravibus pœnis ex Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum cenſurâ obnoxii ſint, qui vim inferri ſacris rebus, aut mandant, aut, cum prohibere debeant, conſentiunt, atque patiuntur. Nos interim cauſam noſtram ante Dei oculos ponimus, opem ab eo præſtolantes, ac implorantes, quàm profectò non defuturam ſperamus, parati tamen media tam ſpiritualia, quàm temporalia omnia pro viribus adhibere. Quod verò de his omnibus monitam faciamus Fraternitatem Tuam, in causâ eſt Paternæ debitum charitatis de ſpirituali potiſſimùm illorum ſalute ſolicitæ, quos eo Dignitatis, ac potentiæ loco poſitos à Deo eſſe cognoſcimus, quo Eccleſiaſticis rationibus tutelæ, atque præſidio ſint, hoc præſertim iniquiſſimo tempore, quo propè omnia adversùs Eccleſiam ipſam conſpirare videntur. Porrò Te probè intellecturum confidimus, quanti interſit, ut amotis hujuſmodi in hanc Sanctam Sedem injuriis, quæ nonniſi in publicum Chriſtiani Populi ſcandalum cedere poſſunt, ineantur ſaniora conſilia, Teque in hoc operam, ac ſtudia tua diligentiſſimè poſiturum. Fraternitati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die ſecundâ Junii 1708. &c.

Reliquis S. R. I. Electoribus, ac aliis Epiſcopis Germaniæ eodem exemplo mutatis mutandis.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Carolo à Lotharingia, Electo Oſnabrugenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Quo ſenſu affecti fuerimus, cum ad Nos inopinatò allatum eſt Copias Cæſareas, quarum Nos tranſitum per Ditionem noſtram Eccleſiaſticam, tanto rerum noſtrarum incommodo, ac diſpendio, & Populorum noſtrorum detrimento, ſæpè ſæpiùs pertulimus, invexiſſe ſe nuper in eamdem Ditionem, & amicè ingreſſas hoſtiliter egiſſe, occupatis quibuſdam locis, Præſidiiſque in eis conſtitutis, ac Vexillis, velut in ſignum acquiſitionis, explicatis, incuſſo etiam finitimis locis majorum malorum appropinquantium metu, non eſt cur Nobilitati Tuæ explicemus, quam facilè intellecturam eſſe credimus, quàm grave ſit pro liberalibus officiis injurias referre, quàmque Nobis moleſtum eſſe poſſit cogi Nos, vel invitos, ad ea uſurpanda remedia tum ſpiritualia, tum temporalia, à quibus abſtinere non poſſumus, niſi Officio noſtro deeſſe velimus. Et nihilominùs ſupra hanc ipſam moleſtiam, quæ Nos tam intimè reſpicit, longè graviùs Nobis eſt, quòd ab Auſtriaco nomine mandata hujuſmodi prodiiſſe dicantur. Quamquàm credere nullo modo poſſumus animos avitâ Religione imbutos ceſſiſſe iniquis eorum conſiliis, qui nihil tam cupiunt, quàm Sacerdotium cum Regno committere, atque id unum contendunt, ut Cæſarem ex Defenſore Eccleſiæ, quo titulo inclyti ipſius Majores quàm maximè gloriati ſunt, in oppugnatorem ipſius convertant. Quorum fraude cognitâ ſperamus Ipſum ni-

hil, quod famæ ſuæ ſplendori, nihil, quod conſcientiæ ſuæ ſecuritati repugnet, conſtituturum, aut permiſſurum eſſe, ſed imò curaturum removere ſtatim ſcandala injuſſu, ut credimus, ſuo adversùs omnem æquitatem, ac pietatem admiſſa. Quâ in re par eſt, ut pro munere tuo præclaram Tu quoque operam tuam diligentiſſimè impendas. Exiſtimare autem debes oblatam Tibi à Deo occaſionem, quæ modò Tibi ſuppetit, ut medio tam opportuno ſalutaria officia, ac monita interponas, & ſaniora conſilia inſinues; quod erit Tibi magnum apud Deum meritum, Nobiſque etiam rem gratiſſimam facies, qui interim Nobilitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Junii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Præclaris virtutibus, ac eximio præſertim in Apoſtolicam Sedem ſtudio Archiepiſcopi Trevirenſis S. R. I. Principis Electoris honorificè commemoratis, eidem per Epiſcopum Porphyrienſem illàc pertranſeuntem Sanctiſſimæ Crucis particulam nobili thecâ incluſam dono mittit.

Venerabili Fratri, Joanni Hugoni Archiepiſcopo Trevirenſi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Alacri, ac libenti prorsùs animo amplectimur oblatam Nobis occaſionem proficiſcentis per iſtas partes Leodium Venerabilis Fratris Petri Lamberti Epiſcopi Porphyrienſis, Sacrarii noſtri Apoſtolici Præfecti, ut confirmemus diſerto ipſius teſtimonio Fraternitati Tuæ magnitudinem Pontificiæ noſtræ benevolentiæ, ad quam in dies magis cumulandam, mirificè faciunt ea, quæ ad Nos continenter omni ex parte perferuntur de ſingulari, ac conſtanti tuo zelo in Eccleſiam, deque egregiâ tuâ in Nos, & in Apoſtolicam Sedem voluntate, eximiis argumentis per Te aſſiduè comprobatâ. Quæ quidem præclara tua ſtudia Nos eò gratius recolimus in præſens, quò videmus augeri hoc ipſo tempore prætermodum moleſtias, & injurias eidem Sanctæ Sedi, ſacriſque rebus, ac juribus, ipſique authoritati, ac Dignitati Eccleſiæ illatas, itaut jam à multorum animis omnis propè Religionis ſenſus abiiſſe videatur. Cum Benedictione itaque noſtrâ, quam Tibi tam piè, rectèque ſentienti, ac de Eccleſiâ tam probè merito, per eumdem Epiſcopum Porphyrienſem deferri volumus, dono Tibi mittimus ſegmentum ſalutiferi illius Ligni, cujus pars, ut notum eſt, hic in Eccleſia Sanctæ Crucis in Hieruſalem aſſervatur, illudque chryſtallinâ thecâ in Crucis modum conformatâ, auroque, & gemmulis ornata incluſum, perpetuò Tibi pignori Pontificii amoris futurum. Ipſum noſtræ ſalutis Authorem, qui ab ipſo Ligno pependit, precamur, ut vota, quæ pro Te indeſinenter effundimus, impleantur, quatenùs in bonum Catholicæ Religionis majora ſemper aggrediaris, Ipſoque propitiante, perficias; in quorum auſpicium iterum Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Junii 1708. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Laudat ſtudium Capituli, & Canonicorum Eccleſiæ Hildeſienſis in tuendâ exiſtimatione Vicarii Generalis aliàs à Sanctitate Suâ illic deputati, & probat officia ab ipſis Canonicis cum Cæſare adhibita ad abolendam diffidentiæ ſuſpicionem, quam Majeſtas Sua de præfati Vicarii ingenio ſuſceperat.

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſię Hildeſienſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Præſtantiam veſtræ in Nos, & in Apoſtolicam Sedem devotionis ex literis veſtris libenter agnovimus, ac commendavimus ſtudium, & curam ſignificandi Nobis ea, quæ paulò ante denunciata Vobis fuerant ex parte Cæſareæ Majeſtatis, quæ ſcilicet dicebatur egrè ferre, nec pati poſſe Munus Vicarii, ſeu Officialis Generalis ab eo iſthìc exerceri, qui ab Electore Colonienſi, ut aſſerebatur, ad illud obeundum delectus, diffidentiæ cum univerſo Imperio ſuſpectus habebatur. Uberiùs verò obſervantiæ veſtræ argumentum deſumpſimus ex pronâ, demiſsâque voluntate, qua ſenſus, ac mandata noſtra opperiri ſcribitis in graviſſimo hoc negotio, noſtram ſanè magis authoritatem, quàm ejuſdem Electoris juriſdictionem reſpiciente; cum conſtet hujuſmodi deſignationem, & quidem ad Munus Vicarii Apoſtolici, à Nobis ſub ipſo Pontificatus noſtri initio per literas in formâ Brevis fuiſſe factam. Sanè ubi Cæſar relatu veſtro reſciverit, quo nomine, ac titulo, & qua authoritate Vicarii Munus ab eo exerceatur, deindè verò ex teſtimonio veſtro intellexerit, qua ille integritatis, ac æquitatis laude partes ſibi à Nobis demandatas expleverit, credere eſt omnem adversùs eum præconceptam diffidentiæ ſuſpicionem poſiturum, nec ampliùs ejus remotionem, alteriuſque Perſonæ ex gremio Capituli in ejus locum ſuffectionem eſſe quæſiturum. Quòd ſi contra accidat, eademque petitio Cæſareo nomine urgeatur, confidere debetis Pontificiam authoritatem, & paternæ noſtræ charitatis opem numquam Vobis defuturam, Dilecti Filii, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Junii 1708. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Opem, ac præſidium Regis Portugalliæ expoſcit, ut loca Ditionis Eccleſiaſticæ à Cæſareis militibus occupata Sedi Apoſtolicæ reſtituantur, ac Regiâ illius authoritate hujuſmodi ſcandala prorsùs è medio tollantur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joanni Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Nullum majus argumentum præbere poſſumus Majeſtati Tuæ præclaræ opinionis, quam de eximiâ ſuâ æquitate, prudentiâ, ac pietate gerimus, quàm Te monito de his, quæ graviſſima Nobis in præſens contingunt, opem tuam fidenter expetere; Ex hoc enim facilè intelliges exiſtimari à Nobis nullo Te præjudicio, ſivè neceſſitudinis, ſivè ullius terreni fœderis, nullâque demùm humanâ ratione prohiberi poſſe, quo minùs ægerrimè feras lædi Jura Eccleſiæ, & authoritatem, Dignitatemque noſtram parùm reverenter haberi. Non ſinè itaque ingenti animi noſtri perturbatione Tibi denunciamus, quòd quædam ex Militaribus copiis, quæ ſub Cæſareis vexillis ſtipendia faciunt in Italiâ, poſtquàm frequenti excurſu Eccleſiaſticam Ditionem (conniventibus ex quadam longanimitate Nobis) inexplicabili Populorum noſtrorum damno, rerumque noſtrarum diſpendio pervagatæ ſunt, fines noſtros amicè nuper ingreſſæ hoſtiliter egerunt, occupatis de repente quibuſdam terris, in quibus Præſidium conſtituerunt, & vexilla Cæſarea explicarunt, tamquàm ſi eas juſto bello, quod nequidem indictum fuerat, acquiſiviſſent. Adducti propterea, utcumque inviti, in neceſſitatem repellendi omnibus mediis tum ſpiritualibus, tum temporalibus vim Nobis illatam, & propugnandi Ditionem tutelę noſtrę commiſſam, à Majeſtate Tuâ magnoperè petimus, ut authoritate ſuâ interveniat, quatenùs hujuſmodi ſcandala amoveantur, quæ Cæſarei nominis, quod palàm, ac fortè temerè, & falsò eâ in re uſurpatur, dignitati officiunt, tum etiam, ut operâ, ac præſidio ſuo adſit Juribus, ac rationibus Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis; quas quidem rationes, ſi Tibi præ ceteris rebus omnibus cordi eſſe oſtenderis, cumulabis uberem Tibi apud homines laudem, & cum acceſſione Pontificiæ noſtræ benevolentiæ amplum apud Deum meritum aſſequeris. Nos interim Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Junii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Polonię Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Non parùm moleſtiæ percepturam eſſe credimus Majeſtatem Tuam ex his, quæ eidem denunciare cogimur; ex peculiari enim propenſione noſtræ in Te voluntatis Tuam eſſe Nobis omninò addictam confidimus. Non ſinè itaque: *Reliqua de verbo ad verbum, ut in ſupraſcripto Brevi pro Rege Portugalliæ*: Datum Romæ &c. die 2. Junii 1708. &c.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Reipublicæ Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Muneris noſtri eſſe duximus Nobilitatibus Veſtris denunciare id, quod tamen Vobis ſatis, ſuperque perſpectum eſſe credimus, quo ſcilicet loco ſint in præſens res hujus noſtræ Eccleſiaſticæ Ditionis, rati Vos tum ſtimulo propriæ virtutis, ac pietatis, tum pro debito filialis erga Nos obſervantiæ, omnibus ſtudiis ope, & operâ veſtrâ Nobis eſſe affuturos, foreque participes moleſtiæ noſtræ ob neceſſitatem, in quam inducimur, ineundi conſilia, & eligendi media, à quorum ſanè uſu, & tractatione abeſſe magnoperè cuperemus. Compertum Vobis eſt, Cæſareas copias inſidentes afflictæ Italiæ ſæpè ſæpiùs excurriſſe præcipuas Eccleſiaſticæ Ditionis Provincias, tanto Populorum noſtrorum diſpendio, ac detrimento, quanto vix explicare poſſumus: & tamen illæ ipſæ copiæ fines noſtros vix nuper exceſſerant, cum eoſdem iterum ingreſſæ hoſtili more nonnullas Terras Ducatus noſtri Ferrarienſis occupaverunt, conſtituto in illis Præſidio, & elatis ibi Cæſareis vexillis, quaſi eas juſto bello, quod nequidem indictum fuerat, ſui juris effeciſſent, atque acquiſiiſſent. Satis forè credimus id compendio Vobis ſignificaſſe, ut incendatur zelus veſter fauore noſtræ cauſæ, quæ fulta omnibus humanis rationibus eò etiam æquior eſt, quod Eccleſiaſtica Juriſdictio, & Pontificia Dignitas, & authoritas in ea agatur. Dum verò opem veſtram tam neceſſario tempore, & omnia egregiæ in Nos voluntatis teſtimonia, ubi res erit, mutuis à Nobis rependenda officiis, ſperamus à Nobilitatibus Veſtris, eiſdem Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Junii 1708. &c.

Reipublicæ Genuenſi, Reipublicæ Lucenſi, Magno Duci Ætruriæ, Ducibus Bavariæ, Lotharingiæ, & Parmæ eod. exemp.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Victorio Amedeo Duci Sabaudiæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Confidimus Nobilitatem Tuam pro magnitudine animi ſui, & præſtantiâ virtutis ſuæ, proque eo, qui omnem Catholicum Principem decet, honoris, & indemnitatis Eccleſiæ zelo, nonniſi grauiter, ac moleſtè laturum ea, quæ magno contemptu, ac injuriâ authoritatis, ac Dignitatis Noſtræ, & Eccleſiaſticæ Juriſdictionis admiſſa nuper ſunt in Pontificia noſtra Ditione, quam, poſtquam Duces, & Milites Germanici ſæpè ſæpiùs, ac ſuo proprio arbitrio pervagati ſunt, ingenti cum damno, & diſpendio Incolarum, quorum propterea multi,

in anguſtias, atque calamitates ſummas redacti ſunt, nunc demùm hoſtili animo ingredi non ſunt veriti, & Ducatus noſtri Ferrarienſis occupatis de repente quibuſdam terris, Præſidia in eis conſtituere, & vexilla Cæſarea attollere, tanquam in locis juſto bello, quod nequidem unquam indictum eſt, conquiſitis non dubitaverunt. Comprobanda hæc eſſe à nemine probè ſentiente arbitramur, ac ſanè multò minùs à Nobilitate Tua, quam nullâ privatâ ratione, aut ſociali fędere, ab æquitatis tramite deflexuram eſſe certò credimus, ac propterea Te cauſæ noſtræ inſigni, ac perenni tuâ laude affuturum eſſe confidimus, quod erit ſolatium non leve in graviſſimis curis Paterno noſtro animo afferre. Nobilitati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Junii 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Raymundo de Perellos Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani Magno Magiſtro.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, ſalutem &c. Muneris noſtri eſſe ducimus Tibi denunciare, quo loco ſint in præſens res hujus noſtræ Eccleſiaſticæ Ditionis, rati Te, & uniuerſum Ordinem iſtum tum ſtimulo propriæ virtutis, ac pietatis, tum pro debito filialis erga Nos devotionis, & fidei curaturum eſſe, quibus dabitur mediis, Nobis adeſſe, & interim moleſtiâ non ſecus, ac Nos, affectum iri ob neceſſitatem, in quam adducimur, ineundi conſilia, à quorum ſanè uſu, & tractatione abeſſe magnoperè cuperemus. Perſpectum Tibi eſt Cæſareas copias, quæ afflictæ inſident Italiæ, ſæpè ſæpiùs excurriſſe Eccleſiaſticam Ditionem ingenti profectò Populorum noſtrorum diſpendio, quod quale, ac quantum fuerit, levius eſt Tibi conjicere, quàm Nobis explicare; nihilominùs multa majora gravamina inferre nunc demùm paratæ, fines noſtros, è quibus vix exceſſerant, ingreſſæ ſunt nuper, & hoſtili more nonnullas terras noſtri Ducatus Ferrarienſis occupaverunt, elatis ibi Cæſareis vexillis, quaſi eas juſto bello, quod nequidem indictum fuerat, ſui juris effeciſſent, atque acquiſiiſſent. Satis fore credimus id Tibi compendio ſignificaſſe, ut incendatur tuus, & eorum, quibus præes, zelus fauore cauſæ noſtræ, quæ cum omnes, qui ſynceram Nobis, & huic S. Sedi obedientiam profitentur, reſpiciat, peculiari ratione ad Vos ipſos pertinet, cum ſuprema noſtra Dignitas, & Eccleſiaſtica authoritas in eâ agatur. Plura autem addere ſuperſedemus, cum res ipſa disertè, ac ſatìs, ſuperque loquatur, & præſertim quia uberiùs de hoc ipſo Te allocuturus eſt noſtro nomine Dilectus Filius Magiſter Jacobus Caracciolus, à quo ſenſûs noſtros percipies; & Tibi, Dilecte Fili, ipſique Ordini Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 2. Junii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ Hildeſienſis hortatur ad mutuam, ſynceramque concordiam diligenter ſovendam, quam maximè neceſſariam oſtendit, ut in tantâ temporum acerbitate eorum Eccleſia ab injuriis inviolata ſervetur.

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſię Hildeſienſis.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, ſalutem &c. Noſtræ quidem Paſtoralis vigilantiæ eſt univerſi Gregis Nobis crediti ſaluti proſpicere, ſed oculos intendere potiſſimùm debemus in eam partem Dominici Ovilis, quæ cum propiùs adſit inimicorum inſidiis, majori à Nobis ſolicitudine eſt cuſtodienda. Peculiari proindè curâ reſpicientes Eccleſiam, ac Diœceſim iſtam, cui utpotè in conſpectu, vel in ipſis potiùs ſedibus, ac caſtris Hæreticorum poſitæ, magis timendum eſſe intelligimus, hoc præſertim tempore, quo nihil minùs tutum eſt ab injuriis, quàm quod ad Catholicam Religionem pertinet, operæ pretium eſſe duximus Vos admonere, ut in ea maximè ſtudia in præſens incumbatis, per quæ Eccleſia, cui addicti eſtis, à publicis calamitatibus uſquequaque ingruentibus, quantùm quidem fieri poterit, immunis, atque illæſa permaneat. Cum verò nihil tam prodeſſe poſſit ad declinanda pericula tam ſpiritualia, quàm temporalia, quàm ſi Vos ſyncerâ in Domino charitate conjuncti conſentientibus animis commune bonum uno, eodemque propoſito promoveatis, Paterno affectu Vos hortamur, & admonemus, ut omni prorsùs diſſenſionis ſpecie à Vobis amotâ, deliberationes, & conſilia veſtra, Deo unicè Vobis ob oculos poſito, ità unanimiter dirigatis, ut qui exadversò ſunt, vereantur, ac deſperent poſſe ſe pacis vinculum, quo inter Vos invicem, & cum Eccleſiâ veſtrâ colligati eſtis, ullo unquàm conatu diſſolvere. Quod quàm Veſtra interſit in tanta rerum omnium perturbatione, & convulſione, non eſt cur pluribus explicemus Vobis, Dilecti Filii, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die ſecundâ Junii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopnm Moguntinum S. R. I. Principem Electorem, & Bambergenſis Eccleſiæ Epiſcopum hortatur, ut de aſſumendo Coadjutore, cujus ope in ſuſtinendo Paſtorali onere ejuſdem Eccleſiæ recreetur, cogitare velit, ſenſuſque eâ de re ſuos Pontifici ſignificet.

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco, Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Confiſi Fraternitatem Tuam, conſultâ eximiâ ſua pietate, ac prudentiâ, probè intellecturam eſſe, quanti interſit ad promovendum ſpirituale bonum Eccleſię Bambergenſis eidem commiſſæ, ut in perferendo Paſtorali onere recreeris fideli ope alterius, qui curas Tecum ità dividat, ut nullâ earum à Te dimiſsâ officium tuum communi ſtudio alacriùs peragatur: Pontificiæ noſtræ ſolicitudinis eſſe duximus Te hortari, ut graviter, prout par eſt, tanti momenti negotium expendas, & quatenùs idipſum exiſtimes, ſenſus tuos Nobis aperias ad hoc, ut Nos, inſpectâ etiam deliberatione, quam hortatu noſtro eâ de re habiturum eſt Eccleſiæ Bambergenſis Capitulum, de Coadjutore cum futurâ ſucceſſione Tibi dando, ac de idonea, Tibique gratâ Perſonâ ad hoc Munus deligendâ ſtatuere cum Domino valeamus. Sanè ad ea excolenda, quæ in utilitatem ejuſdem Eccleſiæ, & in ſalutem animarum à Te ibi conſtituta fuiſſe ambigendum non eſt, pertinere videtur, ut ſit qui tuam vigilantiam, quaſi è veſtigio, ſubſequatur. Hoc interim officium noſtræ erga Te ſingularis benevolentiæ teſtimonium fore Fraternitati Tuæ confidimus; dum eidem Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 30. Junii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Bambergenſis conſilium aperit, quod ſuſceperat, dandi Coadjutorem cum futurâ ſucceſſione in eadem Eccleſia illius Epiſcopo Archiepiſcopo, & Electori Moguntino, eoſque requirit, ut tanti momenti negotium maturè expendant, ac de Perſona deputandâ, bono Eccleſiæ unicè ſibi propoſito, deliberent.

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Bambergenſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Quàm ſimus ſoliciti de his, quæ ad commodum, atque utilitatem inſignis iſtius Eccleſiæ pertinent, & quàm probè ſentiamus de integritate, ac de ſyncera veſtrâ erga Nos, & Apoſtolicam Sedem devotione, teſtabitur Vobis, præter cetera Paternæ noſtræ charitatis argumenta, hoc officium, quo ſtudia veſtra requirimus inituri conſilium, quod Eccleſiæ ipſi ſalutare fore confidimus. Expedire ſiquidem ducimus, ut Venerabilis Frater Lotharius Franciſcus Archiepiſcopus, & Elector Moguntinus in adminiſtratione Bambergenſis Eccleſiæ ejuſdem vigilantiæ commiſſæ juvetur ſedulâ, fideli, ſibique gratâ alicujus operâ in levamen, & ſolatium Paſtoralis officii, quod etſi ſingulari diligentiâ, ac zelo ab ipſo obeatur, gravius tamen ipſi in dies ut reddatur neceſſe eſt, procedente nimirum ætate, & cumulatis quotidie curis, quarum onus in regimine animarum numquam imminuitur. Quamobrem hortamur Vos, ut diligenti inter Vos diſcuſſione negotii hujuſmodi momentum coram Deo expendatis, ac ut ſententias veſtras in bonum iſtius Eccleſiæ itâ dirigatis, ut ex ipſis veſtris deliberationibus indicium Nobis ſuppetat conſtituendi quid factu opus ſit, & cui munus Coadjutoris cum futurâ ſucceſſione eidem Venerabili Fratri à Nobis dandi ſit committendum. Qua in re, cum agatur de eo, qui nunc quidem vices, aliquandò etiam partes Epiſcopi iſthic obire debet, decet profectò, ut omni gratiâ, ac ſtudio ſepoſito, pietate verò, ac veritate unicè inſpectâ, deliberetis. Quod ut bonis auſpiciis agatis, Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 30. Junii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Thomam de Endaya in Inſulis Philippinis Caſtrorum Præfectum Generalem laudat, quòd Cardinalem de Tournon, & Apoſtolicos Miſſionarios omnibus humanitatis, & amoris ſignificationibus fuerit proſecutus, ac ipſum Regi Catholico commendaſſe diligentiſſimè, ſeque, ubi res tulerit, ejuſmodi officia cumulare paratum eſſe ſignificat.

Dilecto Filio, Thomæ de Endaya in Inſulis Philippinis Caſtrorum Prefecto Generali.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, ſalutem &c. Etſi ad tuas literas die octavâ Julii anni milleſimi ſeptingenteſimi quarti ex Calambâ ad Nos datas nihil ſit, quod in præſens reſcribendum Nobis occurrat, cum pertineant ad illud tempus, quo fruſtratus, ut tunc videbaris, ſpe excipiendi in iſtis partibus Dilectum Filium Noſtrum Carolum Thomam S. R.E. Cardinalem de Tournon, tunc quidem Patriarcham Antiochenum, magnoperè dolebas ereptam Tibi fuiſſe occaſionem explicandi tua in Eum ſtudia, ad comprobandam uſque magis filialem ergà Nos, & Apoſtolicam Sedem devotionem; Subindè verò contigerit, ut eumdem Cardinalem ſemel, iterumque iſthùc appulſum omnibus officiis, & amoris ſignificationibus ſis proſecutus, & libenter confoveris, laudem propterea ſingularem, & eximium apud Nos, eamdemque Sanctam Sedem meritum conſecutus: non patimur tamen incompertum Tibi eſſe eaſdem tuas literas ad Nos hoc demùm tempore perveniſſe, ne ſi fortè caſu aliquo periiſſent noſtræ, quas in ſimili forma Brevis ſub die primâ Januarii proximè elapſi Tibi perſcripſimus, deſtitutus ſis teſtimonio Paternæ noſtræ charitatis, quam tum egregiâ voluntate in præfatum Cardinalem, de cujus præſenti incolumitate quàm incerti, tam profectò ſoliciti modò ſumus, tum aſſiduis beneficiis in Apoſtolicos Miſſionarios iſthàc identidem pertranſeuntes ſingulari modo Tibi conciliaſti. Expedit præterea, ut intelligas egiſse Nos diligentiſſimè apud Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Philippum Hiſpaniarum Regem Catholicum tui favore, quatenùs Ejus authoritate eximereris à moleſtiis, atque ab anguſtiis, à quibus tamen Divinâ ope, Regiâque benignitate Te jam tandem emerſiſſe ſperamus, parati, ubi res tulerit, cumulare in hunc ſcopum officia noſtra, Tibique nullâ non occaſione teſtari, quanti Te faciamus, Dilecte Fili, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die trigeſimâ Junii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Capitulum, & Canonicos Ratisbonenſis Eccleſiæ dignâ laude proſequitur, quòd conſtanter obſtiterint petitioni Cæſareo nomine ipſis factæ, ut ſubmoto Vicario, ſeù Officiali Generali, alium in ejus locum ex gremio Capituli deligerent, cum facultate conferendi perſonis Cæſari acceptis, Ejuſque aſſenſu probatis Canonicatus, & Beneficia liberæ collationis Ordinarii, Pontificiumque patrocinium pro cuſtodiendis Eccleſiæ Juribus, & libertate ipſis numquam defuturum pollicetur.

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Ratisbonenſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Certum documentum filialis veſtri cultus, & obſequii ergà Nos, & Apoſtolicam Sedem ſunt literæ veſtræ, nedùm nunciantes Nobis inordinatas petitiones, quibus Cæſareo nomine requiſiti fuiſtis, quatenùs ſubmoto Vicario, ſeù Officiali Generali ab officio, quo fungitur, deligeretis aliquem ex gremio Capituli in ejus locum, qui munus illud obiret, cum facultate conferendi Perſonis ipſi Cæſari gratis, & acceptis, Ejuſque aſſenſu probatis, Canonicatus, ac Beneficia liberæ collationis Ordinarii, ſed ob oculos noſtros ponentes ea, quæ ad hujuſmodi petitiones bona fide, & veritatis ſtudio repoſuiſtis, unde mirificè confirmari in Nobis percepimus præclaram opinionem, quàm de zelo, ac conſtantiâ veſtrâ in propugnandâ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis authoritate, & Juriſdictione gerebamus. Sperare interìm fas eſt, quòd ubi Cæſar, re meliùs exploratâ, cognoverit Vicarium, ſeù Officialem ad munus illud obeundum non ſine approbatione ejuſdem S. Sedis fuiſſe delectum, deinde verò cauſas, atque rationes eodem veſtro reſponſo ſolidè allatas diligenter expenderit, æquiùs de integritate ejuſdem Vicarii ſentiet, & à petitione non ita pridèm ad Vos delatâ recedendum Sibi eſſe cognoſcet. Quòd ſi ſecùs acciderit, verendum Nobis non videtur, quin pro virtute veſtrâ conſtanter obſiſtatis hujuſmodi officiis quocumque tandem modo apud Vos urgeantur, ne debitores ſitis Deo eorum malorum, quæ graviſſima inde conſequi poſſent in perniciem Animarum, proùt ipſi ſcitè admodum, rectèque perpenditis. Ceterùm, quod ſupereſt, perſuaſum Vobis eſſe cupimus Nos ope, atque authoritate noſtrâ Vobis tam probè animatis pro cuſtodiendis Eccleſiæ Juribus, ac libertate ſemper eſſe affuturos, Dilecti Filii, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die ſeptimâ Julii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Auditâ petitione Cæſareo nomine facta Capitulo, & Canonicis Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis, ut Vicarium, ſeu Officialem Generalem ab Archiepiſcopo, & Electore Colonienſi conſtitutum ab Officio removerent, & alium ex gremio Capituli in ejus locum deligerent, cum facultate conferendi Canonicatus, & Beneficia liberæ collationis Ordinarii, exquiſito tamen priùs conſenſu Adminiſtri Cæſarei: prædictis Canonicis ob oculos ponit graviſſima ſcandala, quæ à poſtulata novi Vicarii electione orirentur, ac ipſos ad ſtrenuè obſiſtendum ejuſmodi inordinatæ petitioni vehementer excitat, Pontificiique patrocinii pollicitatione confirmat.

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Metropolitanæ Eccleſię Colonienſis.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, ſalutem &c. Ubi primùm Nobis innotuit nomine Cæſareæ Majeſtatis expetitum à Vobis fuiſſe, ut Vicarium, ſeu Officialem Generalem à Venerabili Fratre Joſepho Clemente Archiepiſcopo, & Electore Colonienſi, iſthìc legitimè conſtitutum ab officio removeretis, aliumque in ejus locum ex Capitularibus veſtris deligeretis, attributâ ipſi facultate conferendi Canonicatus, ac Beneficia liberæ collationis Ordinarii, exquiſito tamen priùs conſenſu Adminiſtri Cæſarei, inopinatæ, ac inauditæ rei novitate perculſi ſubſtitimus, ac propè hæſimus, utpotè minimè à Vobis moniti de hoc graviſſimo eventu, nec requiſiti opis noſtræ, id quod tamen videbatur omninò poſcere tanti momenti negotium, quod nedum lædebat Jura Electoris in Paſtorem iſtius Eccleſiæ legitimè electi, ſed hujus Sanctæ Sedis, quæ ejus electionem Apoſtolicâ authoritate confirmaverat, Dignitatem, ac Poteſtatem. Multa itaque ſolicitudine propterea affecti fuimus, ſed tamen de ſpectatâ virtute, ac zelo veſtro probè ſentientes, pro certo habuimus nihil eâ in re attentatum iri à Vobis, qui probè intelligitis deſignari à Vobis minimè poſſe novum Vicarium, ſeu Officialem, cum modò non agatur de Eccleſiâ viduatâ, nec allegetur cauſa per Sacros Canones Judicio Eccleſiaſtico ritè approbata, ob quam adversùs legitimum Paſtorem ſuſpenſionis, aut privationis pœna executioni demandanda ſit, itaut ille ceſſare debeat à libero exercitio Eccleſiaſticæ Juriſdictionis ſibi de Jure competentis, cum facultate deputandi pro ſuo arbitrio Vicarios, ſeu Officiales, ac conferendi independenter ab omnibus Canonicatus, ac Beneficia, quorum collatio ad Ordinarium ſpectare dignoſcitur. Sanè ubi præſumeretur legitimam cauſam ſubeſſe, eamdemque allegari poſſe, Nos, ad quos pertinet unicè eam expendere, non refugeremus ejus cognitionem aſſumere, eamque ad præſcriptum Eccleſiaſticarum legum definire, quemadmodum Nos Cæſareis Adminiſtris apertè denunciavimus. Verùm, ne etiam in poſterùm vereamur Vos adhæſuros eſſe tam inordinatæ petitioni aſſenſu veſtro, plurimùm facit ea ratio, quòd credimus Vos ſeriò perpenſuros, quanta indè mala, & ſcandala neceſſariò conſequerentur. Vicarius enim, ſeu Officialis nulliter, & de facto à Vobis ſic conſtitutus nullam Juriſdictionem, aut Poteſtatem Eccleſiaſticam, & ſpiritualem haberet, nec ullam circa Confeſſariorum approbationem, Verbum Dei præ-

di-

dicandi licentiam, Eccleſiarum, & locorum Piorum viſitationem, illorumque regimen, & adminiſtrationem, cauſarum cognitionem, Officialium, & Miniſtrorum deputationem, cenſurarum fulminationem, & ab eis abſolutionem, ceteraque Forum conſcientiæ, vel contentioſum quomodolibet concernentia, authoritatem interponere ullo modo validè poſſet. Invalidæ proinde eſſent confeſſiones, quas Presbyteri Seculares, vel Regulares vigore licentiæ, & approbationis à præfato Vicario, ſeu Officiali conceſſarum exciperent. Invalida quoque eſſent matrimonia, ſi quæ coram Vicario, ſeu Officiali hujuſmodi, aut coram Sacerdote non Parocho, cui ille licentiam ad id dediſſet, forſan contrahi contingeret, & ſic conjuncti debitum conjugale abſque mortalis peccati reatu petere, vel reddere non poſſent. Pari etiam nullitatis, atque invaliditatis vitio laborarent Concurſus ad Parochiales Eccleſias, & concurrentium examina, collationeſque ipſarum Parochialium per Concurſus hujuſmodi prętenſa authoritate, ſeu mandato Vicarii, ſeu Officialis ſic deputati faciendi, ac facienda, & Proviſi de ipſis Parochialibus Eccleſiis intruſi eſſent, & forent. Similiter invalidæ eſſent, & forent licentiæ ingrediendi clauſuram Monaſteriorum Monialium, quæ ab eodem Vicario, ſeu Officiali concederentur, ac illi, qui ejuſmodi licentiis uterentur, excommunicationem per Decreta Concilii Tridentini inflictam incurrerent. Nullus denique Juriſdictionis actus, qui à dicto Vicario, ſeu Officiali per ſe, vel per alium exerceretur, immunis eſſet à nullitatis labe, tamquam ab infecta radice proveniens. Quæ autem obtendi poſſet coram Deo excuſatio, ſi quid tale à Vobis attentaretur, cùm nec minarum, nec vis à laica poteſtate illatæ timor ſufficeret, & ab incurſu tam gravis reatus Vos præſervaret? De conſtantiâ itaque, integritate, ac pietate veſtrâ, plurimùm confiſi, omnia Pontificiæ authoritatis argumenta, quæ res expoſcet, Vobis pollicemur, Dilecti Filii, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ſeptimâ Julii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

IDEM ARGVMENTVM

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſię Leodienſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Certiores inopinatò facti petitionis ex parte Cæſareæ Majeſtatis ad Vos delatæ, pro remotione Vicarii, ſeu Officialis Generalis, quem in iſta Eccleſiâ pro ſuo Jure Epiſcopali pridem deputavit Venerabilis Frater Joſephus Clemens Archiepiſcopus, & Elector Colonienſis, ac pro electione ad ejus vices obeundas alterius Capitularis Perſonæ à Vobis deligendæ, cum facultate conferendi Canonicatus, ac Beneficia, quæ ſunt liberæ collationis Ordinarii, adjectâ inſuper conditione, quòd accedat ſcientia, & conſenſus Adminiſtri Cæſarei: Nos quidem correpti, ac prætermodum commoti ſumus rei hactenùs inauditæ novitate, cum præſertim perpenderemus nihil Nos eâ de re percepiſſe à Vobis, quorum ſanè erat hanc Sanctam Sedem in primis adire, ejuſque præſidium exquirere in nego-

tio tam gravi, nedum lædente Jura ejuſdem Electoris, utpotè in Paſtorem iſtius Eccleſiæ legitimè electi, ſed ipſam quoque authoritatem Apoſtolicæ Sedis, à quâ conſtat ejuſdem electionem admiſſam, ritèque confirmatam fuiſſe. Etſi autem hoc audito magnâ ſolicitudine teneamur, ea tamen eſt, quàm de pietate, ac zelo veſtro gerimus, opinio, ut omninò confidamus Vos nullo modo adhæſuros, aut conſenſuros eſſe tam inordinatæ petitioni, nec unquam in animum veſtrum inducturos licere Vobis novum Vicarium, ſeu Officialem in hoc rerum ſtatu eligere, aut conſtituere, cùm non agatur modò de Eccleſiâ viduatâ, neque congruâ allegetur cauſa per Sacros Canones approbata, ob quam à legitimo Paſtore, ſivè per ſuſpenſionem, ſivè per privationem auferri debeat liberum exercitium Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, quæ eidem de Jure competit, cum facultate deputandi pro ſuo arbitrio Vicarios, ſeu Officiales, ac conferendi liberè, ac independenter ab omnibus Canonicatus, ac Beneficia, quorum collatio ad ipſum ſpectare dignoſcitur. Ubi autem legitima cauſa ſubeſſet, aut allegari poſſet, ejus profectò cognitio, ac examen ad neminem, præterquam ad Apoſtolicam Sedem, pertineret. Quapropter Nos ipſius Cæſareæ Majeſtatis Adminiſtris palàm declaravimus paratos Nos eſſe, ſi res ità expoſceret, Judicium hujuſmodi aſſumere, & ad præſcriptum Juſtitiæ (ſervatâ Sacrorum Canonum formâ, & expenſo momento rerum) abſolvere. Illud autem accedit, ut perſuaſum habeamus nihil à Vobis actum, innovatumque iri circà Vicarii, ſeu Officialis hujuſmodi electionem, quòd credimus Vos feriò perpenſuros eſſe quot, & quàm gravia ſcandala, animarumque pericula inde conſequerentur. Vicarius enim, ſeu Officialis nulliter, & de facto à Vobis ſic conſtitutus nullam Juriſdictionem, aut Poteſtatem Eccleſiaſticam, & ſpiritualem haberet, nec ullam circa Confeſſariorum approbationem, Verbum Dei prædicandi licentiam, Eccleſiarum, & locorum Piorum viſitationem, illorumque regimen, & adminiſtrationem, cauſarum cognitionem, Officialium, & Miniſtrorum deputationem, cenſurarum fulminationem, & ab eis abſolutionem, ceteraque forum conſcientiæ, vel contentioſum quomodolibet concernentia, authoritatem interponere ullo modo validè poſſet. Invalidæ proindè eſſent confeſſiones, quas Presbyteri Seculares, vel Regulares vigore licentiæ, & approbationis à præfato Vicario, ſeu Officiali conceſſarum exciperent. Invalida quoque eſſent matrimonia, ſi quæ coram Vicario, ſeu Officiali hujuſmodi, aut coram Sacerdote non Parocho, cui ille licentiam ad id dediſſet, forſan contrahi contingeret, & ſic conjuncti debitum conjugale abſque mortalis peccati reatu petere, vel reddere non poſſent. Pari etiam nullitatis, atque invaliditatis vitio laborarent Concurſus ad Parochiales Eccleſias, & Concurrentium examina, collationeſque ipſarum Parochialium per Concurſus hujuſmodi prætenſâ authoritate, ſeu mandato Vicarii, ſeu Officialis ſic deputati faciendi, ac faciendâ, & Proviſi de ipſis Parochialibus Eccleſiis intruſi eſſent, & forent. Similiter invalidæ eſſent, & forent licentiæ ingrediendi clauſuram Monaſteriorum Monialium, quæ ab eodem Vicario, ſeu Officiali concederentur, ac illi, qui ejuſmodi licentiis uterentur, excommunicationem per Decreta Concilii Tridentini inflictam incurrerent. Nullus denique Juriſdictionis actus, qui à dicto Vicario, ſeu Officiali per ſe, vel per alium exerceretur, immunis eſſet à nullitatis labe, tamquam ab infectâ radice proveniens. Neque ad eximendum Vos coram Deo à reatu, quem propterea contraheretis, quidquam Vobis prodeſſet timor incuſſus minis, aut vis, quæ à laicâ poteſtate dici poſſet illata, cum ſanè oporteat quocumque demùm diſ-

pen-

pendio ab his abſtinere, quæ certam peccatis, & ſcandalis viam aperiunt. Freti itaquè ſpe integritatis, pietatis, atque conſtantiæ veſtræ, omnia Paternæ charitatis argumenta, ubi res expoſcet, pollicemur Vobis, Dilecti Filii, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 7. Julii 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Ordinis Hieroſolymitani Magno Magiſtro reſcribit gratum ſibi extitiſſe reditum Militis Pontificii, quem ſuppetias Melitam miſerat, ſeque paratum confirmat illi diligenter adeſſe, ubi eam Inſulam à communi hoſte tentari contingat.

Dilecto Filio, Raymundo de Perellos, Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani Magno Magiſtro.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, ſalutem &c. Datas iſtinc ad Nos poſtremâ die elapſi Junii literas tuas omni filialis tuæ ergà Nos devotionis ſignificatione refertas libenter accepimus, grataſque per omnia habuimus, niſi quòd illæ aliquid moleſtiæ in eo Nobis attulerunt, quòd videbaris nondum ſatis certus eſſe, ne communis hoſtis, qui adhuc incumbere dicitur cogendæ claſſi ad fauces Helleſponti, inſidias hoc anno moliturus eſſet adversùs Chriſtianos, ac præſertim adversùs Inſulam iſtam, quam Nos ab omni certè periculo immunem eſſe, & quantùm in Nobis eſt, præſtare magnoperè cupimus. Interim verò, cum Nos non jam metu tantùm, ſed ſenſu etiam malorum premamur ob exteras Copias, nedùm fines noſtros ingreſſas, ſed terris Eccleſiaſticæ noſtræ Ditionis hoſtili more actu incubantes, de reditu hùc noſtri Militis, quem ſuppetias Tibi miſeramus, gratulati ſumus; parati tamen, ubi res tuæ tulerint, noſtræque permiſerint, Tibi, & inclyto iſti Ordini pro Chriſtianæ Reipublicæ ſalute ſtrenuè laboranti authoritate, & ope noſtrâ in omnibus adeſſe, & præcipuâ Paternæ noſtræ charitatis argumenta præſtare Tibi, & eidem Ordinl, quorum unicuique Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 11. Julii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Electoris Palatini zelum laudat, quòd avertere curaverit turbinem impendentem Catholicis in Ditione etherodoxi Principis commorantibus, eo nomine ipſis irati, quoniam obtinere nequiverat, ut Calvinianæ Sectæ exercitia Domi Adminiſtri ſui in Colonienſi Civitate reſidentis haberi poſſent: Quòdque intimè commotus fuerit auditâ Ditionis Pontificiæ perturbatione, ac ingens oſtenderit deſiderium oborta ſcandala è medio tollendi. Eum deindè rogat, ut ſua officia nullo modo remittat, cum & gravamina Eccleſiaſticæ Ditioni illata, & in negotio Colonienſi pericula minimè ceſſaverint.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo, Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Sinè multa ſolicitudine eſſe non poſſumus de his, quæ in Civitate Colonienſi pridem attentata fuerunt, & adhuc vehementer urgentur ab acatholico Principe contendente obtinere, ut damnata Calvinianæ Sectæ exercitia haberi poſſint in Domo Adminiſtri ejus nomine in eadem Civitate reſidentis. Etſi autem confidere debeamus conſtantiam, ac pietatem Magiſtratus illius Civitatis, quæ ſanè hac occaſione magnoperè enituit, nunquam ceſſuram tam iniquis conatibus, nec paſſuram eſſe eripi ſibi gloriam, quam firmâ, ac ſyncerâ Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi adhæſione perpetuò promeruit, plurimum tamen ſpei conſtituendum eſſe intelligimus in pietate, ac zelo Nobilitatis Tuæ, quam ſcimus opem, & authoritatem ſuam in hac ipsâ causâ favore Orthodoxæ Fidei jam poſuiſſe, ac ſolerter curaſſe avertere turbinem impendentem capiti Catholicorum commorantium in Ditione ejuſdem acatholici Principis, repulſam, quàm à Magiſtratu paſſus eſt, his modis ulciſci parantis. Quod periculum cum nondum planè ceſſaverit, magnoperè à Te petimus, ut hanc cauſam commendatiſſimam habeas tum ingenitæ tuæ pietatis ſtimulo, tum intuitu noſtrorum officiorum, quæ Nos quidem officia apud Te magnâ profectò fiduciâ impendimus, pluribus argumentis edocti illa libenter à Te excipi, & quanti par eſt, fieri. Sanè ad ea, quæ nuper ad Te direximus perculſi rerum noſtrarum periculo, cum hoſtiliter Nobiſcum agi, Terras Eccleſiaſticæ Ditionis occupari, pacem Populorum noſtrorum interturbari, authoritatem, ac Dignitatem noſtram contemni inopinatò vidimus, intimè Te commotum fuiſſe, & ſtatim flagraſſe deſiderio removendi tot ſcandala, luculenter declarant, quæ præclarâ egregiæ tuæ in Nos voluntatis teſtificatione repoſuiſti. Cùm itaque, & gravamina Nobis illata adhuc perſtent, quin etiam in dies augeantur, ac pericula in negotio Colonienſi, ut diximus, adhuc vigeant, erit eximiæ tuæ virtutis zelum tuum nullo modo remittere, ſed in utraque causâ ita verſari, ut laudis, ac meriti ingens acceſſio fiat Nobilitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 14. Julii 1708. Pontificatus Noſtri Anno VIII.

ARGUMENTUM

Coloniæ Agrippinæ Senatum meritis ornat laudibus, quòd petitionibus, & minis acatholici Principis obtinere contendentis, ut Adminiſtro ſuo illic pro tempore reſidenti fas eſſet Calvinianæ Sectæ exercitia, ſeu ritus, ſaltem privatim, habere, conſtanti, invictoque animo obſtiterit.

Dilectis Filiis, Conſulibus, & Senatui Civitatis Coloniȩ Agrippinȩ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Et ſi planè conſideremus irritam perpetuò fore apud Vos eorum operam, qui niterentur animos veſtros Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi peculiari devotione addictos, vel minimùm abducere à veteri, ſanctèque à Majoribus veſtris retento, ac cuſtodito propoſito ſervandi inter Vos purum, ac illibatum Catholicæ Religionis cultum, exultavimus tamen, & ſummoperè delectati ſumus, ubi audivimus præclarum ejuſdem veſtræ pietatis, ac conſtantiæ ſpecimen à Vobis editum fuiſſe, tum cum obſtitiſtis invicto animo non tam petitionibus, quàm minis acatholici Principis contendentis per Delegatum ſuum à Vobis obtinere, ut fas eſſet Adminiſtro ſuo pro tempore iſthìc reſidenti exercitia ſui ritus, hoc eſt damnatæ Sectæ privatim ſaltem iſthic habere, quod nihil aliud ſanè erat, quàm obtinere, ut error inter Vos,quaſi in angulo,deliteſceret. Sed Vos planè oſtendiſtis vigere in Vobis cum Divini honoris zelo amorem Patriæ, & cum eximiâ pietate ſingularem prudentiam, ac conſcii in Civitate probè conſtitutâ quemcumque aditum peſtiferæ labi eſſe occludendum, cum nequeat contagium finibus coerceri, ſed facilè effundatur in perniciem multorum, illud præſertim, quod animas inficit, & de mente in mentem celeri, ac irreparabili excurſu facillimè gliſcit,nil tale apud Vos hoſpitari voluiſtis. Quamobrèm eximiam in Domino laudem, quam propterea conſecuti eſtis, ex animo vobis gratulamur, uberiùs verò gratulamur meritum, quod apud Deum Vobis conciliaſtis. Interim autem ſcire Vos volumus Paternam noſtram charitatem, & Pontificiæ authoritatis prȩſidium Vobis ſic prȩclarè animatis nunquam defuturum, Dilecti Filii, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romȩ &c. die 14. Julii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Cardinali de Lambergh enixè commendat Catholicos in Ditione Marchionis Brandeburgenſis commorantes, qui ab eo graviter vexabantur in odium repulſæ petitionis factæ Magiſtratui Civitatis Colonienſis, ut Adminiſtro ſuo illic reſidenti Calvinianæ Sectæ exercitia ibidem, privatim ſaltem, habere fas eſſet.

Dilecto Filio Noſtro, Joanni Philippo, Tituli Sancti Silveſtri in Capite Presbytero, S. R. E. Cardinali de Lambergh nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. De curâ in curam cogitationes noſtras deducimus, ne plenum ſolicitudinis Officium, quo fungimur, ullâ ex parte, quantùm patitur infirmitas noſtra, deferamus. Anxiamur in præſens propter graves moleſtias, quas Catholici commorantes, ac bona poſſidentes in Ditione Marchionis Brandeburgenſis perferre coguntur in odium repulſæ,quam à Magiſtratu Civitatis Colonienſis idem Marchio (nec injuriâ) paſſus eſt, ex quo præſumpſit fas eſſe Adminiſtro ipſius nomine in eadem Civitate reſidenti exercitia damnatæ Sectæ, privatim ſaltem, ibi habere, id quod in ea Civitate Catholico cultui conſtantiſſimè ſemper addictâ, & S. R. E., ac Apoſtolicæ Sedi peculiariter devotâ nunquam anteà permiſſum, ſed neque propemodùm fuerat unquam attentatum. Viſcera itaque Paternæ noſtræ charitatis magnoperè commota periculo illorum Fidelium causâ Orthodoxæ Religionis laborantium æſtuant zelo pro eorum ſalute, ac indemnitate. Hortamur Te propterea, & quo majori poſſumus, animi noſtri ſtudio à Te petimus, ut quibus officiis eos in tanta anguſtia conſtitutos juvare poteris, tuæ authoritatis præſidium ab eis deſiderari ne patiaris; qui enim fratris in tribulatione poſiti miſeretur, is ambigere non debet, quin Deus id omne, tamquam ſibi factum, non ſit remuneraturus, cum ipſe ita ſe facturum disertè polliceatur. Tibi interim, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ quartâ Julii 1708. &c.

Cardinali de Saxonia, & Archiep. Electoribus Moguntino, & Trevirenſi eod. exem.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Religioſo Viro, Inghilberto Biſcoff Societatis Jeſu, Cęſareę Majeſtatis Confeſſario.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, ſalutem &c. Præſidium aliquod quæſituri Catholicis in Ditione Marchionis Brandeburgenſis degentibus, qui ex causâ denegati Adminiſtro ejuſdem Marchionis in Civitate Colonienſi exercitii reprobatæ, ac execratę Sectę Calvinianę magnoperè nunc temporis vexantur, quò demùm officia noſtra convertemus, quando occluſas Paternis

noſtris

noſtris vocibus Orthodoxorum Principum aures (faciente inimico homine) eſſe in præſens conſpicimus? Ne tamen aliquando væ Nobis dicatur, quia tacuimus, aut quia opem noſtram denegavimus afflictis in odium Catholicæ Religionis, pericula, & anguſtias, in quibus Catholici illi verſantur, Tibi denunciamus, confiſi ſatis id fore, ut eorum cauſa pro tuo zelo graviter perores apud Majeſtatem Cæſaream, cujus authoritate tranquillitas facilè ipſis conciliari poterit, unde Tibi ingens meriti apud Deum cumulus accedet, Dilecte Fili, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 14. Julii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Graviſſimas injurias, & maxima detrimenta, Cæſareæ Majeſtatis obtento nomine, illata Eccleſiæ, & Sedi Apoſtolicæ nedum in Pontificiâ Ditione, ſed etiam in Regno Neapolitano, atque Ducatu Mediolanenſi, ſingillatim commemorat, & explicat Cardinali de Lambergh, cujus zelum excitat, ut ad curandam neceſſariam reparationem adeò inſignium attentatorum operam ſuam enixè, promptèque conferre velit, dum Sua Sanctitas ad Apoſtolici Officii partes ſtrenuè, atque conſtanter in nomine Domini explendas accingitur.

Dilecto Filio Noſtro, Joanni Philippo, Tituli S. Silveſtri in Capite Presbytero, S.R.E. Cardinali de Lambergh nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Æquum, & veteri Apoſtolicæ Sedis mori conſonum eſſe ducimus palàm denunciare his, qui in partem ſolicitudinis noſtræ vocati ſunt, injurias tum multas, tum graves libertati, immunitati, ac rationibus Eccleſiæ hoc iniquiſſimo tempore publicè illatas, ut cauſa univerſo Eccleſiæ Antiſtitum Ordini communis, à Nobis verò in primis curanda, ac nunquam deſerenda plurimorum ope, ac conſilio, debitoque zelo coram Deo, & hominibus ſedulò, ac fideliter agatur. Significavimus non ita pridem Circumſpectioni tuæ, quàm à communi humanitate alieno, ac hoſtili prorsùs modo Nobiſcum nil tale merentibus, utpotè nihil Nobis conſciis, actum ſit, terræque ad jura Eccleſiæ ſpectantes inopinatò occupatæ fuerint ab illis ipſis Cęſareis copiis, quas per univerſam propè Ditionem noſtram ſæpiùs deductas Populi authoritati, ac tutelæ noſtræ commiſſi, conniventibus quodammodo Nobis, ingenti rerum ſuarum detrimento paulò ante excęperant, ac foverant. Interim verò, quod temerè occupatum fuerat, nondum dimittitur, id quod Nos propè pudet, ac certè piget referre; nam quamvis alienâ culpâ admiſſum ſit, quia tamen tanto Dignitatis, ac authoritatis noſtræ contemptu contigit, & quia fortè diutiùs, quàm res poſcebat, multa pertulimus, Nos propterea ob nimiam longanimitatem noſtram facti ſumus, ſi fas eſt dicere, ſubſannatio, & illuſio his, qui in circuitu noſtro ſunt, quaſi parùm commoti communi periculo, aut quaſi non affecti noſtris, & Apoſtolicæ Sedis offenſis, aut quaſi demum contra ſpem in ſpem erecti, quòd ſacris rebus, & Eccleſiæ juribus, quæ in magnum diſcrimen manifeſtè adduce-

ban-

bantur, debita reverentia eſſet perpetuò adhibenda; Sed ut præfatas injurias, ante hæc ipſa poſtrema attentata Nobis illatas commemoremus, in quibus prætermodum indulſiſſe videmur paternæ noſtræ charitati (ſuſtinuimus enim pacem, & non venit, quæſivimus bona, & ecce turbatio) perſpectum Tibi eſſe volumus prodiiſſe publicâ authoritate in Civitate Mediolanenſi ante aliquot menſes quoddam Edictum, quo ſub graviſſimis pœnis vetitum fuit, ne quid pecuniæ à Statu Mediolanenſi ad hanc almam Urbem noſtram, aliumve locum Status noſtri Eccleſiaſtici ex quavis causâ,à quacumque perſona,præſertim verò à Mercatoribus,ac Negotiatoribus menſariis tranſmittendę extraherentur, adjectis arctiſſimis conditionibus enixam Prohibentis voluntatem ſubtrahendi Pontificiæ Ditionis Incolis hoc commodum apertè declarantibus. Ne verò ambigi ullo modo poſſet, utrum hæc in odium Romanæ Curiæ conſtituta fuiſſent, editum poſtridie fuit eâdem authoritate Decretum, quo injunctum fuit Generali Oeconomo (ibi quidem Regio perperàm nuncupato,cum veriùs Pontificius, utpote Apoſtolica authoritate delegatus, dici debuiſſet) ut fructus, reditus, ac penſiones,quæ perſonis Eccleſiaſticis extra Statum Mediolanenſem commorantibus deberentur, appoſito ſequeſtro interciperet,imò cautum fuit,ut iidem Eccleſiaſtici proventus penès aliquem deponerentur ſine Principis præcipientis mandato non relaxandi, repetitâ denuò prohibitione extrahendi eo nomine pecuniam, itaut illa neque in ſpecie, neque per mandata, & apochas (ut moris eſt) exolvi, atque ad Ditionem noſtram transferri poſset. Quæ, & quanta gravamina adversùs Eccleſiæ jura utrumque Mandatum in ſe contineat, & quàm ſit læſivum humanarum omnium, divinarumque legum, non eſt cur pluribus explicemus Circumſpectioni tuæ, quæ zelo pro Domo Dei, & ſpiritu ſapientiæ, & intellectus ad inſerviendum Eccleſiæ inſtructa facilè intelliget hæc ab omni pietate, ac æquitate abhorrere, eſseque eadem hoc præſertim nomine contra juſtitiam, quia id auferunt Populis Eccleſiæ ſubjectis, quod nec ipſis Acatholicis, nec ulli Infidelium interd icunt; imò neminem fore credimus ex grege Fidelium, qui non idipſum ſapiat, niſi fortè quis à ratione tam aberret, ut honeſtum eſse putet, ac naturæ legibus conſentaneum,ut Filii adversùs communem Patrem ità inſurgant, ac ſæviant, ut ſubſtantiam, qua ille ſe, ac commiſsam ſibi familiam alere debet, ei ſubtrahant, aut niſi quis tam hoſpes ſit in rebus religionis, ut exiſtimet Summo Sacerdoti, ac Pontifici Maximo, cui decimæ, ac primitiæ frugum ex veteri lege debebantur, denegari modò, ac prohiberi poſſe Eccleſiaſticos proventus, qui præfatarum oblationum loco (translato jam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui eſt Sacerdos in æternum, in Romanum Pontificem, nullâ tamen moralium juſtitiæ Præceptorum immutatione,Sacerdotio) ſucceſſerunt, ac eatenùs ipſi Romano Pontifici conceſſi ſunt, quatenus ipſe his præſidiis Dignitatem ſuam tueri, fidei incrementa promovere, diſciplinam continere, eoſque, quorum miniſterio in Eccleſiæ regimine, graviſſimâque negotiorum mole gerenda utitur, præſertim verò S. R. E. Cardinales, & Romanæ Curiæ Prælatos neceſſariis inſtruere, & honeſtare valeat: ut prætereamus modò quanto abuſu, aut potius exceſſu ſecularis Poteſtatis contingat, ut res ſacræ, Deoquæ dicatæ, vota Fidelium, pretia peccatorum, patrimonia Pauperum, ſupellex Sponſæ Chriſti, & funiculus hæreditatis ejus profanâ manu contrectentur, & Romanæ Eccleſiæ ceterarum Matri, adeòque Altari verè inſervientibus denegentur. Noſtrum ſanè erat, his auditis, per traditæ Nobis poteſtatis uſum ſtatim coercere hujuſmodi auſus, ſed inter multa media, &

con-

conſilia, quæ tum quidem menti noſtræ obverſata ſunt, illa demum delegimus, quæ Paternæ noſtræ charitati magis congruere viſa ſunt, & de pietate Auſtriacâ, cujus nominis in his omnibus conſtituendis præferebatur authoritas, conſiſi officia, ac monita noſtra ad Aulam tum Viennenſem, tum Barcinonenſem direximus, ac ſedulò explicari curavimus ſcandali in conſpectu totius Chriſtiani populi admiſſi gravitatem, ſimulque neceſſitatem, quæ ejus authoribus impendebat, celeri abolitione Edicti, ac Decreti injurias Eccleſiæ enormiter illatas reparandi. Verùm dum Nos de ſpirituali filiorum noſtrorum ſalute ſoliciti, ac intimè perſuaſi lenitatem à Nobis adhibitam omninò profuturam eſſe ad ſuggerenda ſaniora conſilia, & ad obſtruendum ora, & aures eorum, qui dilexerunt verba præcipitationis, ac demum ad curanda congruo aliquo, ac præſenti remedio vulnera Eccleſiaſticæ juriſdictioni fœdò illata ſperabamus, nova adhuc, & planè graviora pati coacti ſumus in Civitate, & Regno Neapolitano, ubi ſcilicet ſimile intereà Edictum, ac Decretum promulgatum fuiſſe, omniumque Eccleſiaſticorum redituum ad perſonas, quæ extrà Regnum ipſum degunt, pertinentium ſequeſtrationem urgeri non ſine maximo animi noſtri mœrore nuper audivimus. Quæ ſanè eò etiam acerbiora Nobis acciderunt, quo magis ſupremam authoritatem noſtram, adeòque juſtitiam ipſam apertè lædunt, ac violant, dum Regnum illud directo Romanæ Eccleſiæ dominio ſubeſſe nemo non novit. His omnibus accedit aliud attentati genus ſine horrore, ac execratione à nemine, qui rectè ſentiat, exaudiendum: impedimenta ſcilicet, quæ continenter interponuntur in ſupramemoratis Regno, & Ducatu executioni Literarum Apoſtolicarum, etſi illæ eodem planè modo hactenus expeditæ ſint, ac expediantur, quo anteactæ dominationis tempore expediri conſueverunt. Tua autem, & horum omnium, qui ad Paſtorale officium, & ad Eccleſiæ regimen obeundum vocati fuerunt, intereſſe maximè putavimus, ut de his, quæ in contemptum communis Matris acta ſunt, certiores fieretis, dum Nos interim in nomine Domini ad Muneris noſtri partes mediis à ſacris Canonibus, & ab Apoſtolicis Conſtitutionibus præſcriptis, quantùm in Nobis erit, ſtrenuè, ac conſtanter explendas accingimur, Nobis omninò polliciti fore, ut officia, ſtudia, opemque tuam, in his omnibus, quæ ad ſarciendam libertatem, immunitatem, ac jura Eccleſiæ pertinebunt, enixè, promptèque conferre ſatagas, & quam Apoſtolicæ Sedi fidem, ac devotionem debes, eamdem ei, tanquam pius, & obſequens Filius, hoc tam neceſſario tempore luculenter exhibere, ac reipsâ rependere non prætermittas. Et Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 21. Julii 1708. &c.

Cardinali de Saxonia, Electoribus Eccleſiaſticis, & ceteris omnibus Germaniæ Archiepiſcopis, & Epiſcopis eodem exemplo.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Non eſt liberum Nobis ſilere, cum Dignitas, & authoritas S. R. E. in conſpectu totius Chriſtiani Populi tam apertè, quàm modò, contemnitur. Continuimus vocem Paternæ noſtræ charitatis multùm, ac propriè nimiùm obſequuti, quamdiù ſpes fuit, quòd quæ inconſultò admitti videbantur, feriùs expenſa congruè farcirentur. Verùm nunc quando publica ſcandala, ac ſanè gravia nedum perſtant, ſed in dies magis augentur, tacere, etiam ſi velimus, vetante Pontificiâ ſolicitudine, nequimus. De Terris, ac locis quibuſdam Eccleſiaſticæ noſtræ Ditionis repentino incurſu more belli nuper occupatis ab illis ipſis Cæſareis Copiis, quæ ejuſdem Eccleſiaſticæ Ditionis Provincias frequenti tranſitu ſæpiùs pervagatæ fuerant, amicè ſemper exceptę, ac perhumaniter habitę, ut ceteros Catholicos Principes, ita Majeſtatem Tuam admonuimus. Huic anguſtiæ, quæ nondùm deſiit, alię multę, quę pariter vigent, accenſendę ſunt, juſtum dolorem Eccleſię, quę jura ſua tum ſpiritualia, tum temporalia interturbari, atque everti conſpicit, in immenſum augentes. Prodiit ſiquidem ante aliquot menſes in Civitate Mediolani publicâ authoritate Edictum, ac ſubinde Decretum, illud quidem vetans pecunias ab eo Statu ad Eccleſiaſticam Ditionem, atque ad hanc Almam Urbem noſtram deferri, iſtud verò pręcipiens fructus, ac reditus Eccleſiaſticos ad eos ſpectantes, qui extra Ducatum Mediolanenſem degunt, appoſito ſequeſtro intercipi, imò deponi penès aliquem ſine Principis pręcipientis mandato non relaxandi. Nec admodùm diverſa ſunt, quę non multò poſt per ſimile Edictum, ac Decretum conſtituta fuerunt in Regno Neapolitano, niſi quòd eo nomine graviora reputanda ſunt ab Ecclesiâ, quod jus ſupremum ipſi competens in eo Regno manifeſtiùs violant, adeòque lędunt magis juſtitiam. Quemadmodum nemini dubium eſſe poteſt, quin ea omnia in odium Romanę Curię conſtituta fuerint, ita liquebit profectò illa ipſa omni ęquitate deſtitui, ubi quis advertet rationi, ac naturę dictamini repugnare, quòd Filii ſubtrahant communi Patri ſubſtantiam, quâ ſe, & ſibi commiſſam familiam alere debet, nec fas eſſe Fidelibus denegare Summo Sacerdoti, ac Pontifici Maximo jus, quod habet in Ecclesiaſticos proventus, qui nihil aliud demùm ſunt, quam res ſacrę, ac Deo dicatę, vota Fidelium, pretia peccatorum, patrimonia Pauperum, temporalia ſtipendia militantis Eccleſię, ac demùm pręſidia, quibus idem Pontifex opus habet ad ſuam Dignitatem tuendam, ad incrementa Fidei promovenda, ad diſciplinam continendam, ad honeſtandos demùm eos, qui ſecum pondus diei, & ęſtus perferunt, & quorum operâ, ac conſilio graviſſimum ſpiritualis regiminis onus ſuſtinet. Non prętereunda interim ſunt poſt hęc gravamina, quę commemoravimus, impedimenta, quę continenter interponuntur in memoratis Regno, ac Ducatu executioni Literarum Apoſtolicarum, etſi hę quidem non aliter expediantur, quàm quomodò anteactę dominationis tempore expediri conſueverunt. Atque hęc ſunt vulnera altè defixa, quę à Filiis ſuis ſibi

im-

immeritò inflicta, aliis item Filiis fidenter detegere cogitur communis Mater Eccleſia, cujus ploratus, ac gemitus, ſicut Deo non ſunt abſconditi, ita eos latere non debent, quorum illa pietate recreari, authoritate ſarciri, ope juvari maximè poteſt, ac ſanè magnoperè confidit. Nos itaque, quos ſolicitos, & anxios eſſe decet, ac oportet in tanto luctu, ac dolore Eccleſiæ, dum ad Muneris noſtri partes explendas accingimur, ſtudia, ac officia tua, quæ valida, ac proficuâ non ſemel experti ſumus, tam neceſſario tempore, prout è re fore duxeris, in bonum Eccleſiæ non defutura profectò ſperamus. Et Majeſtati Tuę Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romę &c. die 21. Julii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Cardinali de Portocarrero gratulatur inſignia ornamenta, quibus Eccleſiam Præneſtinam, & Liberianam Baſilicam liberali manu auxerat: tum etiam pium, quod ſuſcepiſſe ferebatur, conſilium augendi Baſilicam Lateranenſem uno ex marmoreis Simulacris Sanctorum Apoſtolorum, quibus illa, authore Pontifice, exornabatur.

Venerabili Fratri Noſtro, Ludovico Epiſcopo Præneſtino, S.R.E. Cardinali de Portocarrero nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater Noſter, ſalutem &c. Dum præclara eximiæ tuæ pietatis monumenta in conſpectu noſtro quotidiè excitari conſpicimus, incredibili dictu eſt, quo animi noſtri ſenſu, & quantâ charitate gratulemur Tibi hoc illuſtre propoſitum theſaurizandi Tibi theſauros eò inferendos, ubi neque erugo, neque tinea demolitur. Inſignia ornamenta, quibus Eccleſiam Præneſtinam manu perquàm liberali nuper auxiſti, erunt profectò non tam poſteris omnibus documentum, quàm Succeſſoribus tuis exemplum ferventis zeli, quo decorem Domus Dei dilexiſti. Nec aliter profectò de Te exiſtimabunt, qui vel ex Noſtratibus, vel ex Advenis, atque hùc confluentibus advertent Te ea providè cogitaſſe, & liberaliter curaſſe, quæ ad cuſtodiam, atque ornatum Liberianæ Baſilicæ pertinere intellexiſti. Quod verò prætereà conſtitueris (ut nuper Te conſtituiſſe audivimus) augere etiam Baſilicam Lateranenſem omnium Urbis, & Orbis Eccleſiarum Matrem, & Caput, uno ex marmoreis Simulacris Sanctorum Apoſtolorum, quibus eadem Baſilica ornanda eſt, id porrò tuo nomini tam decorum eſt, Nobiſque tam gratum, ut niſi cuperemus integrum Tibi eſſe apud Deum meritum, quod propetereà conſecuturus es, uberiùs indulgeremus tuis laudibus, ac fuſiùs explicaremus, quantum indè levamen perceperimus gravibus, ac aſſiduis curis, quibus hoc tempore premimur, & quàm aucta ſit hoc etiam nomine noſtra in Te benevolentia; Sed his omiſſis Tibi ex animo apprecamur, ut ex multiplici ſemine boni operis metas ſuo tempore in centuplum manipulos pacis, & gloriæ, dum Tibi, Venerabilis Frater Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 21. Julii 1708. &c.

ARGUMENTUM

Paſtoralem vigilantiam, & zelum, quo Archiepiſcopus Biſuntinus cavebat, ne pravarum opinionum ſemina ad inficiendos Fidelium animos, & ad corrumpendam Catholicæ Doctrinæ puritatem latiùs in illis partibus propagarentur, dignis laudibus ornat.

Venerabili Fratri, Franciſco Joſepho Archiepiſcopo Biſuntino.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Quod Nobis jamdudum perſuaſum erat, Fraternitatem Tuam ſpirituali crediti ſibi Gregis, & ſaluti indeſinenter incumbere, & muneris ſui partes ſolerter explere, hoc ex tuis literis die tertiâ Novembris anni proximè elapſi ad Nos datis uberiùs comprobari libenter agnovimus. Summo enim zelo Te caviſſe advertimus, ne pravarum opinionum ſemina in libris iſthìc paulò ante evulgatis contenta ad inficiendos Fidelium animos, & ad corrumpendam Catholicæ Doctrinæ puritatem latiùs in iſtis partibus propagarentur: quo ſtudio nullum certè magis pertinere poterat ad commendationem Paſtoralis tuæ ſolicitudinis. Interim verò non ambigimus, quin ex his, quæ à Nobis poſt maturum rei examen, in eadem causâ nuper conſtituta ſunt, Tu viciſſim intelligas grata Nobis extitiſſe tua officia, dignamque viſam eſſe Nobis præcipuâ in Domino laude vigilantiam tuam planè ſingularem, quæ quidem cum ceteris tuis eximiis dotibus conjuncta Pontificiam noſtram voluntatem peculiari modo conciliat Fraternitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſimâ octavâ Julii 1708. Pontificatus Noſtri Anno VIII.

ARGUMENTUM

Admonitus conſilii à Duce Everardo Ludovico Vvitembergenſe ſuſcepti redeundi ad gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ, Archiepiſcopum Moguntinum S.R.I. Principem Electorem requirit, ut ope, ac authoritate ſuâ tam ſalutare conſilium ad exitum perduci, & quæ fortè opponi poſſent, impedimenta ſubmoveri curet.

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Perſpectum eſt eximiæ prudentiæ Fraternitatis Tuæ, quàm pertineat ad Paſtoralem noſtram ſolicitudinem crediti Nobis Dominici Gregis incrementa quærere, & ſi quæ hujuſmodi, Deo dante, Nobis occurrunt, ea ferventi charitate complecti, & ſummo zelo cuſtodire. Quamobrèm admoniti, Ducem Everardum Ludovicum Vvitembergenſem dexterâ Excelſi deductum properare ad gremium

mium S. Matris Eccleſiæ, urimur deſiderio ſpiritualis hujus lucri, ac proptereà opem, atque authoritatem tuam etiam, atque etiam requirimus, quatenùs tam ſalutare conſilium ad exitum perducatur, & impedimenta, quæ huic bono ab inimico homine fortaſſe opponi poſſent, ſubmoveantur. Non eſt autem, cur rei momentum, aut magnitudinem meriti apud Deum inde referendi Tibi explicemus, qui optimè omnium hæc intelligis; præterire tamen nolumus prætermodum gratum Nobis fore quidquid in hunc ſcopum contulerit Fraternitas Tua, cui in auſpicium bonorum omnium Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ &c. die 4. Auguſti 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Joanni Hugoni Archiepiſcopo Trevirenſi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Gratæ, ac jucundæ ſpei, quam animo nuper concepimus, conſciam, atque participem libenter facimus Fraternitatem Tuam certi, quòd cum de parando ſpirituali lucro, & ſanè non vulgari agatur, opem, atque operam tuam pro inſigni tuo zelo deſiderari non patieris. Teſtimoniis itaque fide dignis admoniti Ducem Everardum Ludovicum Vvitembergenſem (quem Principem quanta decora in ſeculo exornent, non ignoras) miſerentis Dei beneficio cogitare de ejurandâ hæreſi, & Catholicâ veritate amplectendâ, æſtum charitatis, quo proptereà incendimur, cohibere non poſſumus, quin à Te, quo majori poſſumus ſtudio, petamus, ut tam ſalutare propoſitum iis, quibus dabitur, mediis promoveas, atque urgeas, quatenùs, Deo ipſo propitiante, perficiatur, quod cęptum eſt, & Eccleſia hoc demùm incremento, ac ſolatio in tot, ac tantis, quas modò perfert, tribulationibus, atque jacturis recreetur. Nec majoribus ſtimulis Tibi opus eſſe arbitramur, qui novimus, quo fervore Divini Nominis gloriam, & Catholicæ Fidei bonum, quod meritò indè expectandum eſt, quæras, ac cures. Fraternitati interim Tuæ in Pontificii amoris ſolidum pignus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 4. Auguſti 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Ex ſtudio planè ſingulari, quo ſolet Nobilitas Tua officia noſtra complecti, eaque ſolerter promovere, quæ optari à Nobis intelligit, in ſpem firmam adducimur Te majori alacritate in re ad Catholicæ Religionis bonum non parùm pertinente votis, ac deſideriis noſtris eſſe obſequuturum. Cum itaque Nobis innotuerit

Ducem Everardum Ludovicum Vvitembergenſem, Deo aſpirante, verſare animo ſalutare conſilium ſubducendi ſe à Secta, & à partibus hæreticorum, & confugiendi ad ſinum piæ Matris Eccleſiæ: fidenter, & enixè à Te petimus, ut eidem Principi ad perficiendum tam illuſtre propoſitum viam tuâ ope communias, & obices, quos fortè antiquus humani generis hoſtis properanti in viam ſalutis obtrudere non omittet, tuâ authoritate removeas; nam præter ſpirituale lucrum, quod agitur unius animæ, quam tanti Redemptor fecit, ſperare eſt ejuſdem Principis exemplum alia etiam incrementa Orthodoxæ Fidei eſſe allaturum. Erit autem hoc tuum Chriſtianæ charitatis officium acceptiſſimum Deo, à quo omnia bona apprecamur Nobilitati Tuæ, dum eidem Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę &c. die quartâ Auguſti 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Franciſco Arnoldo Epiſcopo Monaſterienſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Parùm ille quidem memor eſſe videretur Evangelici moniti, quo præcipitur ad nuptias Filii Cœleſtis Patris non tantùm invitandos, ſed compellendos eſſe prętereuntes, qui vocatos, & feſtinantes ingredi omnibus charitatis officiis non exciperet. Cum itaque Nobis præ ceteris omnibus incumbat libenti animo complecti properantes ad ſalutem, atque adeò ad gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ, juvari Fraternitatis Tuæ ſtudiis, zelo, ac authoritate cupimus, quatenùs evadat in gaudium ſpes, quam animo concepimus, quòd Dux Everardus Ludovicus Vvitembergenſis, ejuratâ hæreſi, complexurus ſit Catholicam Religionem. Sanè quidquid opis conferre poteris, ut, ſublatis omnibus impedimentis, perficiatur tam ſalutare conſilium, erit Nobis perquàm gratum, & Deo in primis acceptum. Nos interim in hujus læti eventus auſpicium, & in Pontificii noſtri amoris pignus, Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 4. Auguſti 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Epiſcopo Herbipolenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Solicitudo ſuperni Paſtoris in reducendâ ove deperditâ perpetuum, ac inſigne documentum eſſe debet iis, qui ſortiti ſunt ſortem Miniſterii ejuſdem, ut incrementa Dominici Gregis, vel per unius animæ lucrum anxiè quærant, & nullo non labore promoveant. Intelliget propterea pro eximio ſuo zelo Fraternitas Tua, quanti noſtra, & omnium Eccleſiæ Antiſtitum interſit, ut ſalutare propoſitum, Deo authore, cæptum eodem propitiante perficiatur, nimirùm, ut Dux

Eve-

Everardus Ludovicus Vvitembergenſis, qui dicitur injiſſe conſilium, ejuratâ hæreſi, complectendi Catholicam Religionem, eò demùm perveniat, quò ſuperni luminis ductu contendit, & voti tam pii compos quamprimùm efficiatur. Quapropter rem tuo munere prorsùs dignam, Deoque in primis acceptam feceris, ſi in hunc ſcopum, ubi res expoſcet, tua ſtudia, tuæque charitatis officia contuleris, quod alacri, ac libenti animo factum iri profectò confidimus à Fraternitate Tuâ, cui in pignus Pontificii amoris Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ &c. die 4. Auguſti 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Epiſcopo Baſileenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Occurrere videtur Fraternitati Tuę præclara occaſio non vulgaris meriti ſibi apud Deum conciliandi, dum ſpes affulget, quòd Dux Everardus Ludovicus Vvitembergenſis, Deo aſpirante, cogitet ab hæreſi, in qua educatus fuit, ad Catholicam Religionem converti, & ad gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ confugere. Satis eſſe credimus id Tibi innuiſſe, ut zelus tuus incendatur ad promovendum iis, quibus dabitur, mediis tam ſalutare propoſitum. Cum enim non ignores jucundum Deo in primis, & Angelis eſſe ſpectaculum, cum quis ab invio, in quo aberrabat, in ſemitam ſalutis reducitur, gratam etiam ipſi bonorum omnium Authori fore intelliges horum operam, qui conſilio, & authoritate tantum bonum promovere non prætermiſerint. Confidimus itaque Fraternitatem Tuam fervore ſuæ charitatis affuturam eſſe ſolicitudini, quam Nos de ſpirituali hujuſmodi lucro parando gerimus, eidemque Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 4. Auguſti 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri Epiſcopo Conſtantienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Ingentem curarum æſtum, quo publicis rebus undequaque convulſis, ipsâque Catholicâ Religione periclitante intimè urimur, miſerator Dominus rore veluti quodam reſperſit, injectâ Nobis ſpe ſpiritualis lucri in ſalutari conſilio, quod ſuſcepturus dicitur Dux Everardus Ludovicus Vvitembergenſis, ejurandi hæreticam pravitatem, ac devovendi ſe ex animo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Quod pium propoſitum quamprimùm perfici, ſicut magnoperè cupimus, & à Deo enixè petimus, ità à Fraternitatis Tuæ zelo, ſi ita res expoſcat, omnibus officiis, ac ſtudiis promoveri peroptamus; ingentis enim meriti, quod paratum eſt contendentibus ovem deviam ad Dominicum ovile reducere, participem pro ſummâ noſtrâ erga Te charitate eſſe cupimus Fraternitatem Tuam, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 4. Auguſti 1708. &c.

IDEM

IDEM ARGVMENTVM

Dilecto Filio, Leodegario Burgiſſer Abbati Monaſterii S. Galli Ordinis S. Benedicti

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, ſalutem &c. Etſi ſolius Dei ſit bonum conſilium ab ipſo ſemel immiſſum in animo Ducis Everardi Ludovici Vvitembergenſis amplectendi Catholicam Religionem confovere, eundemque Principem à pelago errorum, in quo hactenùs verſatus eſt, ad portum ſalutis, hoc eſt ad gremium S. R. E., perducere, quo Eum aurâ ſui ſpiritus ſuaviter videtur impellere; quia tamen congruit pietati Fidelium ipſum rogare, ut quod cœpit, perficere dignetur, paternæ noſtræ charitatis eſſe duximus Te hortari, ut tuas, eorumque, quibus præes, preces in hunc ſcopum flagranter effundas, atque interim, ubi facultas Tibi ſuppetat, ſtudiis, ac officiis tuis cures promovere tam ſalutare ejuſdem Principis propoſitum; quod Tibi erit præcipuæ laudi apud homines, & ſingulari merito apud Deum ipſum, quem Tibi propitium eſſe cupimus; & Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 4. Auguſti 1708. &c.

IDEM ARGVMENTVM

Dilectis Filiis, Sculteтis, Landamannis, & Senatui Octo Pagorum Catholicorum Helveticorum, videlicet Lucernæ, Uraniæ, Subſilvaniæ, Svitii, Tugii, Friburgi, Salodori, & Abbatiſcellæ, unà cum Catholicis Claronenſibus, Eccleſiaſticæ libertatis Defenſoribus.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, ſalutem &c. Cum maximè interſit Fidelium omnium, qui Deum verè, & ex animo diligunt, rectèque, ac ritè volunt, ut caſtra Catholicæ Religionis eorum adventu, aut potiùs recurſu augeantur, qui laqueis hæreticæ pravitatis, miſerâ profectò captivitate, hactenùs detenti fuerunt, confidimus à Vobis pro ſingulari veſtrâ charitate, ac pietate libentiſſimè auditum iri Ducem Everardum Ludovicum Vvitembergenſem, perſpectæ ubique Dignitatis Principem, ſuperni ſpiritus aurâ afflatum conſtituiſſe, rejecto errore, ad ſinum Sanctæ Matris Eccleſiæ confugere. Quem quoniam Nos intimè geſtientes eâ, qua par eſt, Paterni amoris ſignificatione complecti paramus, Vos item in perficiendo tam ſalutari propoſito, ſtudiis, ope, ac authoritate veſtrâ Nos adjuturos eſſe confidimus, tum, ut veſtra in ipſam Eccleſiam, ac in Apoſtolicam Sedem, imò in Deum merita, hoc etiam nomine augeantur, tum, ut alacrem voluntatem, & filialem obſervantiam Nobis hac occaſione exhibeatis, Dilecti Filii, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 4. Auguſti 1708. &c.

Digitized by Google

ARGUMENTUM

Electori Palatino, qui pro Filiali, devotoque ſuo erga Pontificem, & Sanctam Sedem ſtudio vehementer commotus fuerat ex nuncio occupationis à Cæſareis militibus factæ Civitatis Comaelenſis, aliorumque locorum Eccleſiaſticæ Ditionis, ſingillatim explicat ulteriores inſignes injurias, & graviſſima damna, quæ iidem Milites, & Imperatoris Adminiſtri Sedi Apoſtolicæ, ejuſque populis intulerant, ac inferre pergebant; calumniam deindè Eorum, qui Pontificem, ut Cæſareis rationibus ſubinfenſum traducere auſi fuerant, egregiè confutat, atque refellit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo, Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Fra le graviſſime anguſtie, che per ogni parte ci circondano, non prova il noſtro afflittiſſimo animo conforto maggiore di quello, che gli deriva dalla riſpoſta, che l'A.V. hà data al Breve, che le ſcrivemmo, per parteciparle l'invaſione poco prima ſeguita delle Truppe Ceſaree nello Stato Eccleſiaſtico, con l'occupazione della Città di Comacchio, e di altri Luoghi del medeſimo Stato. Benche però non ci ſiano giunti punto nuovi, nè inaſpettati li piiſſimi ſentimenti da Lei paleſatici per sì ſtrano ſucceſſo, non poſſiamo tuttavia contenerci dal dichiararne all'A. V., come facciamo con la preſente lettera ſcritta di noſtro pugno, la noſtra ſpeciale riconoſcenza, ben ſcorgendo non meno dalla riſpoſta iſteſſa dell'A. V., che da quel' più, che sù queſta materia ci hà fatto aggiungere con la viva voce del Conte Fede ſuo Miniſtro, quanto Ella in sì rilevante contingenza ſi trovi diſpoſta di adempire quelle parti, che convengono à un vero Principe Cattolico, e à un degno Figlio della Chieſa. Ne danno per verità all'A. V. pur troppo largo campo le ingiuſte procedure de' Miniſtri Auſtriaci, che abuſandosi della naturale Clemenza de' loro Sovrani, e mal' corriſpondendo alla pietà, alla giuſtizia, e alla religione de' medeſimi, pare oramai non si siano prefiſſo altro oggetto, che quello di opprimere del tutto l'autorità della Santa Sede, ed intieramente ſovvertire li dritti più inviolabili della Chieſa. All'occupazione di Comacchio, Città ſpettante da tanti ſecoli in quà al Dominio della Chieſa Romana, e poſſeduta pacificamente dalla medesima per il corſo di tanti anni, come è aſſai noto, con titoli li più giuſti di quelli, che habbia, ò poſſa mai havere alcun' Principe del mondo ſopra qualsisia de' Stati, che gl'appartengono, ſono ſucceduti, e ſuccedono tutto dì nel territorio Ferrareſe attentati, e violenze tali à danno di quegl' innocenti noſtri Sudditi, che non poſſono ridirsi, nè udirsi ſenza orrore. Le truppe Alemanne, che ſempre più colà s'ingroſſano per quelle, che giornalmente vi ſopragiungono, foraggiano, ò per dir meglio, ſaccheggiano, e deſolano tutte quelle vicinanze; ſpogliano intieramente le caſe, depredano gl'animali, dilapidano le biade, rubbano li grani, in una parola, conſumano tutte le ſoſtanze de poveri Contadini, e de' miſeri Cittadini. Si fortifica da Commandanti Imperiali la Città di Comacchio nelle forme più valide, si obbliga con le moleſtie di dura carcere, e con altre violenze l'Affittuario della noſtra Camera, à contribuirvi groſſe ſomme di denaro ſpettante all'Erario Apoſtolico; vi si erigo-

gono monumenti deſtruttivi della Sovranità Pontificia, e pure aggiungendoſi à tante oſtilità anco gli ſcherni, e le irriſioni, ſi dice da ſudetti Commandanti, che non ſi vuol' pregiudicare alla giuriſdizione della S. Sede; che ſi porta riſpetto al Papa; e facendosi da Noi preſentemente quell' armamento, che ſemplicemente è neceſſario per difendere il noſtro Stato da ulteriori attentati, come ſecondo tutte le leggi Divine, & umane siamo tenuti, si dice, che ſpendiamo ſenza neceſſità, e per capriccio; che ci laſciamo regolare da nemici del nome Auſtriaco; e in fine, che ci palesiamo avverſi all' Auguſtiſſima Caſa. Troppo, à dire il vero, ſarebbe deplorabile la condizione de' Sudditi Pontificii, ſe ſolo ad eſſi mancaſſe quel dritto, che compete à tutti li Sudditi d'ogn'altro Principe, di esiggere dal loro Sovrano la propria difeſa. Sà il mondo tutto, sà Iddio, quanto il noſtro animo foſſe lontano da tale riſoluzione di prender' armi, anche à titolo di quella pura, e ſola difeſa, che la legge della natura permette, e inſegna; e quanto in conſeguenza abbiamo ſofferto nel corſo di otto anni d'infeliciſſimo Pontificato per non venire à tal paſſo; ben' ricordevoli di quel' che ſcriſſe San Bernardo à Suggerio Abbate di San Dionisio: *Quid hoc eſt monſtri, ut cum Clericus, & miles ſimul videri velit, neutrum ſit?* Mà ora, che le coſe ſono ridotte à queſto ſegno, ò di far' quel', che facciamo, ò di eſſere ſpergiuri, e in un' tempo ſteſſo mancare à Dio, alla Chieſa, al Principato, à Noi ſteſſi, e à noſtri Sudditi, che poſſiamo, ò dobbiamo Noi fare? Con altro noſtro Breve abbiamo già partecipato all'A.V. gl'Editti, e Decreti publicati prima nello Stato di Milano, e poi nel Regno di Napoli, sì manifeſtamente ingiuriosi alla S.Sede, sì enormemente leſivi della Sacra Immunità della Chieſa, e che perciò fanno sì gran' torto à quel' Nome, di cui compariſcono fregiati, eſſendo però ben' sicuri, che il cuore religiosiſſimo dell'A.V. non avrà potuto vederne il contenuto ſenza fortemente commuoverſi, e che ora non ſenza ſommo rammarico udirà, che à quelli inceſſantemente venga data tutta la più eſatta, e più puntuale eſecuzione, onde anco non laſciarà di ben' rifletterе quale, e quanta sia ſtata, e sia la noſtra longanimità in ſoſpendere per sì lungo tempo, non ad altro oggetto, che di dar campo al pentimento, e alla reſipiſcenza, quei paſſi, à quali indiſpenſabilmente ci obbliga il noſtro peſante Miniſtero. Ci aſteniamo di più lungamente diffonderci ſopra un sì odioſo argomento. Vorreſſimo altresì non dover' parlare d'una Stampa, che ſotto il nome della Maeſtà dell'Imperatore è ſtata ultimamente divolgata in riprovazione di una noſtra dichiarazione, toccante gli Stati di Parma, e Piacenza, che l'anno paſſato fummo aſtretti di publicare per riparo degl'attentati commeſſi in quelli Stati dalle milizie Alemanne, non meno in pregiudizio della noſtra incontraſtabile Sovranità, che dell'Immunità Eccleſiaſtica; e ben' dicemmo, che fummo aſtretti di publicare detta dichiarazione, mentre li Miniſtri Ceſarei, che con ſolamente aderire à quanto in propoſito di detti Stati nel tempo della felice memoria di Papa Innocenzo XII. noſtro Predeceſſore era ſtato dichiarato dalla chiara memoria dell' Imperatore Leopoldo, havrebbero potuto evitarla, non volſero mai farlo; ſempre all'incontro inſiſtendo, che da Noi ſi faceſſe tal'atto, che portando un tacito conſenſo all'abbandonamento di quei dritti, che per il corſo di più ſecoli hanno ſtabilito il Dominio della Sede Apoſtolica in quei Stati, non poteva mai da Noi accordarſi. Vorreſſimo, torniamo à dire, non dover' parlare di tal'Stampa, anzi vorreſſimo, che per onore di quel' Nome, che porta in fronte, rimaneſſe ſepolta in un perpetuo ſilenzio; mà V.A. che ben' ne havrà veduto con ſuo cordoglio il tenore, ben'anco avrà conoſciu-

to,

to, ſe da Noi poſſa mai diſſimularſi un'tal'atto, che nella ſoſtanza tanto offende le raggioni della Chieſa Romana, e nella maniera tanto feriſce quella Poteſtà, che data dal noſtro Signor Gieſù Chriſto à San' Pietro, *in indigno hærede non deficit*. L'inſigne pietà dell'A. V., il filiale amore, che hà per Noi, la ſincera divozione, che hà verſo la Santa Sede, la ſtretta congiunzione, che hà non meno d'intereſſi, che di ſangue con la Maeſtà dell'Imperatore, il zelo in fine, che Ella tiene per il bene della Chieſa, per l'indennità della Religione, e per la publica tranquillità, ci hanno facilmente perſuaſi à farle queſta confidente, e ſincera eſpoſizione de'noſtri affanni: ben'ſicuri, che l'A. V. potrà, vorrà, e ſaprà farne buon'uſo, ſenza che alcun'altra coſa di più le aggiungiamo. Non dobbiamo però tacerle per ultimo, che tali affanni tanto più ci rieſcono gravi, e ſenſibili, quanto meno ci pare di averli meritati da quella parte, d'onde ci provengono; eſſendo ben' conſapevoli à Noi ſteſſi, di non haver tralaſciato in qualſiſia occaſione, di dare in faccia del Mondo tutte quelle prove più ampie della noſtra propenſione verſo l'Auguſtiſſima Caſa d'Auſtria, che potevano eſſere compatibili con quella paterna indifferenza, che profeſſiamo. Per ſoſtenere queſta verità prendiamo avanti Dio, e avanti gl'huomini tutto l'impegno, avanzandoci ad aſſerire francamente, eſſer non meno falſo, che calunnioſo tutto ciò, che da maligni ſeminatori di zizanie, e ſingolarmente da nemici della noſtra Ortodoſſa Religione ſi foſſe detto, ò foſſe per dirſi in contrario. Iddio, che è il fonte della verità, sà che non mentiamo, in Lui confidiamo, à Lui di cuore ci raccommandiamo, da Lui ſperiamo tutta l'aſſiſtenza, perche ſua è la cauſa, che difendiamo, e che ſino all'eſtremo noſtro ſpirito col ſuo ajuto difenderemo. E in tanto con tutta la pienezza del noſtro Paterno affetto diamo all'A. V. l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die undecima Auguſti 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Laudat Ducis Attriſci pietatem, præcipuumque Catholicæ Religionis propagandæ zelum, ac ipſi petitam diſpenſationem pro Filiæ conjugio benignè concedit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Comiti de Montezuma Duci Attriſci.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Præclarum illud ſtudium, quo Nobilitas Tua Catholicæ Religionis incrementa in partibus Indiarum aſſiduè promovet, ac fovet, tam gratam eſt, atque jucundum Pontificiæ noſtræ charitati, ut Nos propenſionem noſtræ in Te voluntatis præcipuo amoris noſtri documento Tibi teſtatum facere geſtiamus. Quamobrem precibus, quas ad Nos pridem direxeras pro obtinenda à Nobis diſpenſatione ab arcto conſanguinitatis impedimento, quod obſtabat, quominùs matrimonium Nobilis Virginis Filiæ Tuæ iniri poſſet, inſpectis præſtantibus clari generis prærogativis, quæ in utroque contrahere illud cupientium concurrunt, præfatiſque tuis in Religionem meritis, annuere demum voluimus, ut ex adjuncto noſtro Diplomate fuſiùs cognoſces. Confidimus autem Te tum in-

intuitu cumulandi tua promerita, tum conciliandi Tibi ſemper magis animum noſtrum alacriùs in poſterum proſecuturum eſse, quæ favore fidei hactenùs pręſtitiſti, ut augeatur in Nobis gaudium, quod non vulgare percipimus gratificando Nobilitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die undecimâ Auguſti 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Regem Poloniæ, qui Eccleſiam Catholicorum commodo in Civitate Dreſdæ aperiri, multiſque ornamentis decorari curaverat, paſtoralibus monitis inſtruit, ut Orthodoxæ Religionis publicum exercitium Majeſtatis Suæ beneficio in Saxoniam invectum diù conſiſtat, & incrementum in dies ſuſcipiat. Eum deindè hortatur, ut Principem Natum ſuum in viam ſalutis, ac veritatis inductum, adſcitumque in conſortium ejuſdem curæ, tanti meriti participem efficiat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Eccleſiæ ſub Invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis operâ, & authoritate Majeſtatis Tuæ Catholicorum commodo iſthìc nuper apertæ nunquam meminiſſe poſſumus, quin Deo totius conſolationis, & boni conſilii authori uberrimas gratias agamus, quòd eam demùm diebus noſtris felicitatem indulſerit, ut verus Sancti ſui nominis cultus, & Sacra Noſtræ Religionis Myſteria in iſtas partes, veluti poſtliminio revocata inducerentur. Quod quia tanta charitatis, ac zeli tui commendatione cœptum eſt, debet profectò non impari fervore (eâ tamen, quâ par eſt, prudentiâ) à Te promoveri, ut inſigne Catholicæ Religionis beneficium tuâ ope partum diù conſiſtat, & incrementum in dies ſuſcipiat. Et ſi quidem eò ſpectare videantur ſolida ornamenta, quibus ejuſdem Eccleſiæ ædificium munire conſtituiſti, intelliges tamen nullum perennius fundamentum ei accedere poſſe, quàm ſi exemplo tuæ pietatis, tum Profeſſores Orthodoxæ Fidei (quocumque tandem numero iſthic modò ſint) eidem ſemper magis adhærere diſcant, tum verò illi, qui à veritatis tramite aberrant, ad ineundas illius ſemitas, veluti ſtimulo quodam incitentur. Conferet etiam plurimùm ad ſervandum jugiter hoc bonum, ut qui ad peragendas in eadem Eccleſia res ſacras, & ad obeunda Sacerdotalis Ordinis Munia delecti fuerunt, bonis operibus, & ſanctâ conſuetudine ceteris præluceant, & in Domo Dei ambulent cum conſenſu. Hæc enim, cum ad veram, ac ſpiritualem ædificationem pertineant, myſticam Eccleſiæ ſtructuram mirificè communiunt, atque exornant, ita ut non facilè malorum hominum operâ dirui, aut ullis inſidiis labefactari unquam poſſit. Atque huic Arci pietatis intra ipſa caſtra hæreticæ pravitatis per Te erectæ, ac conſtitutæ tum denique poſtremam manum admovebis, certumque præſidium comparabis, cum Principem Filium tuum in viam ſalutis, ac veritatis inductum, adſcitumque in conſortium ejuſdem curę participem tanti meriti effeceris. Gratulamur autem, quòd ex tuis literis agnoſcimus Te hoc planè propoſito eſſe, in quo ut pergas, atque proficias,

ma-

magnoperè cupimus. Perſuaſum interim habere debes Nos paratos eſſe Pontificii, ac Paterni amoris documenta Tibi tam probè animato præbere, quemadmodum quidem fecimus, cum eamdem Eccleſiam peculiaribus gratiis, atque prærogativis, non ita pridem auximus. Et Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 18. Auguſti 1708. &c.

ARGUMENTUM

Epiſcopo Cononenſi gratulatur incolumem in Galliam reditum ex Sinarum Imperio, ubi diù verſatus fuerat, & de Miſſionibus Sinicis, ac Apoſtolicâ Legatione Cardinalis de Tournon fusè agit.

Venerabili Fratri, Carolo Epiſcopo Cononenſi, Vicario Apoſtolico Fokienſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Ut gratæ admodùm Nobis acciderent literæ, quas ex Civitate Gallois in Hibernia die quartâ Maii decurrentis anni ad Nos datas nuper accepimus, ſatis profectò fuit eas à Fraternitate Tua fuiſſe perſcriptas, eſſeque eaſdem tuæ incolumitatis, tuique in Europam appulſus nuncias; Cum enim ipſa tui nominis commemoratio tuarum virtutum commendationem contineat, referatque præſertim præſtantiam illius zeli, ac charitatis, qua Tu incenſus extremas Terrarum partes ad quærenda animarum lucra adjiſti, undè ſingulare meritum apud Deum, & Eccleſiam es aſſecutus, gratulari profectò Nos oportuit, quòd quando Tibi abſcedendum indè fuit, ſoſpes in has partes, Deo propitiante, perveniſſes. Sanè cum pro ingenti ſolicitudine, qua de præſenti ſtatu Apoſtolicarum Miſſionum, & Catholicæ Religionis in Sinarum Imperio tenemur, anxiè cuperemus certiùs aliquid ex tuis literis de rebus illis percipere, de quibus plura, etſi hactenùs ſatis confuſa, atque perplexa audivimus, quæ tamen ubi vel ex parte veritati niterentur, Chriſtianæ Fidei propagationi in illis partibus plurimùm obeſſent, moleſtè tulimus hæc parciùs à Te in eiſdem literis tacta fuiſſe eâ, ut ſcribis, perſuaſione, quòd Dilectus Filius Noſter Carolus Thomas S. R. E. Cardinalis de Tournon pro munere Apoſtolici Legati, quo fungitur, illa omnia apud Nos fuſiùs proſecutus ſit; quod eum porrò feciſſe non ambigimus, ſed adhuc incompertum habemus, qua de causâ contigerit, ut nullæ literæ ejuſdem Cardinalis à bienno, & ultra ad Nos pervenerint, ex quibus facilè conjicies, quàm ſuſpenſo, perturbatoque animo ſimus, qui ut cetera deſint, remotiſſimi illius Gregis tranquillitatem interjiſſe, ac Evangelicæ veritati dilatandæ viam non parùm obſtructam eſſe conſpicimus: quæ cura non poſtrema eſt inter ceteras multas graves, ac intimas, quibus iniquiſſimo hoc tempore circumdamur, ac tantùm non obruimur. Verùm quocumque demum loco res illæ ſint, nihil oberit, quominùs judicio, ut par eſt, inſtituto Apoſtolici noſtri Officii partes uſque ad extremum vitæ noſtræ ſpiritum impleamus. Interim verò affuturas eſſe credimus aliquando, nec multò poſt ipſius Cardinalis literas feriem eorum, quæ acta, geſtaque ſunt, dilucidè explicaturas, quibus habitis, ac maturè expenſis, quid factu opus

erit, coram Deo conſtituemus, deliberaturi etiam per priùs utrum è re futurum ſit, ut Tu, quo præſente, ac interveniente pleraque ibi contigerunt, ad Nos proficiſcaris, quod Te non gravatè facturum exiſtimamus. Quod ſupereſt, & amor in Te noſter magnoperè expoſtulat, da operam, ut contracta ex longo, & arduo itinere, maritimoque curſu corporis incommoda ſarcias, Teque reficias, dum Nos in bonorum omnium auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ octavâ Auguſti 1708. &c.

ARGUMENTUM

Cardinalem Grimanum, Regni Neapolitani Pro-Regem, graviter arguit, quòd multa in maximum detrimentum, apertamque violationem Eccleſiaſticæ libertatis egerit; ac ipſi ſub cenſuris, & pœnis omnibus per Sacros Canones inflictis, etiam privationis cujuſcumque Dignitatis, diſtrictè præcipit, ut omninò abſtineat à procurandâ quomodolibet executione Edicti, quo Immunitas Eccleſiaſtica enormiter lædebatur, à Laicali Poteſtate Neapoli anteà promulgati: tum etiam ab inpediendo directè, vel indirectè ſacros prædicti Regni Antiſtites, quominùs contra quos propter hujuſmodi Edictum procedendum eſſe cognoverint, Paſtoralis ſui muneris partes liberè exequantur. Demùm declarat plenam fidem ab omnibus adhibendam eſſe Nuncio Apoſtolico in eadem Civitate reſidenti de præſentatione hujus Brevis per eum ipſimet Cardinali factâ, ut ad ulteriora, ſuadente juſtitiâ, procedi valeat.

Dilecto Filio Noſtro, Vincentio S. Euſtachii Diacono, S.R.E. Cardinali Grimano nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Ubi primùm Circumſpectionem tuam Neapolitani Regni gubernaculis admotam fuiſſe inaudivimus, eo Nobis potiſſimùm nomine gaudendum eſſe putavimus, quòd inde rationibus Eccleſiæ non parùm utilitatis acceſſurum fore arbitrabamur. Quid enim, Te iſtius Regni Adminiſtratore, niſi fauſtum, atque tranquillum polliceri ſibi potuiſſet Apoſtolica Sedes, quę ob Perſonam S.R.E. Cardinalis, quàm geris, maximaque etiam beneficia, quibus Te largiſſimè cumulavit, omnibus à Te obſequentis, gratique animi ſignificationibus lætificanda, ab omni certè, vel leviſſimæ injuriæ, timore liberanda meritò videbatur. Verùm cùm poſt adventum iſthùc tuum non modò, quæ confuſa erant, non componi, & malè uſurpata non reſtitui, ſed omnia magis in dies perturbari non ſine graviſſimo animi noſtri mœrore cognovimus; illud verò in primis durum, & ſanè acerbiſſimum Nobis fuit, cum quaſdam Secularis Magiſtratus Collateralis nuncupati literas ad iſtius Regni Archiepiſcopos, & Epiſcopos datas perlegimus, quæ quantùm Deo inviſæ, quantùm Eccleſiæ libertati injurioſæ, quantùmque Catholicis auribus abſonæ cenſeri debeant, ex eo facilè deprehendi poteſt, quod licèt ex præſcripto Sacrorum Canonum, ipſiuſque Tridentini Concilii apertâ definitione, nefas ſit Seculari cuilibet Magiſtratui prohibere Eccleſiaſtico Judici, ne quem excommunicet: id ipſum nihilominùs palàm, & inverecundè in iiſdem literis attentatur, prohibendo ſcilicet, ac non ſine gra-

vi comminatione interdicendo omnibus Eccleſiarum Prælatis, ne per legitimam Cenſurarum declarationem traditâ ſibi divinitùs authoritate utantur adversùs eos, qui in exequendo noto nimis Edicto, jampridem à Laicali poteſtate nulliter, & perperàm promulgato, quomodocumque ſe ingererent. Quo quidem Edicto, dum legitimis Poſſeſſoribus extra Regnum Neapolitanum degentibus Beneficiorum fructus, aliique omnes Eccleſiaſtici proventus intercipiuntur, quid aliud agitur, quàm quod ab eadem Tridentinâ Synodo, atque Apoſtolicis in die Cœnæ Domini promulgari conſuetis Literis ſub Anathemate expreſsè vetatur, impediendo nimirùm, ne bona, res, Jura, fructus, aliave emolumenta Eccleſiarum, ſeu cujuſvis Secularis, vel Regularis Beneficii, quæ in Miniſtrorum, & Pauperum neceſſitates converti debent, ab iis, ad quos Jure pertinent, percipiantur. Iiſdem porrò literis cum Epiſcopis, qui ejuſdem Eccleſiaſticis Sanctionibus parere, ut omninò debent, parati forent, perindè agitur, ac ſi Legum infractores futuri eſſent, & quietis publicæ perturbatores, quodque deteriùs eſt, ac minimè tolerandum, per ſummam temeritatem iteratò aſſeritur violentam adeò, atque omnibus Eccleſiæ legibus damnatam fructuum Eccleſiaſticorum occupationem, veluti religioſam eſſe, atque in majus ipſius Dei ſervitium potiſſimùm cedere, quaſi verò Deus iniquitatem diligeret, aut apertâ ſanctiſſimarum Legum violatione coleretur. Sanè cum hujuſmodi literas nomine tuo ſubſcriptas conſpeximus, incredibili planè admiratione, & ſubito quodam horrore, paternâque etiam erga Te ipſum commiſeratione correpti fuimus; vidimus enim Te, veluti tuæ ampliſſimæ Dignitatis oblitum, immemoremque inter eos S. R. E. Cardinales Te ſpecialiter cooptatum, qui Immunitati, & Libertati Eccleſiaſticæ potiſſimùm cuſtodiendæ advigilare debent, minimè cogitaſſe, quàm gravibus pœnis ex Sacrorum Canonum, atque Apoſtolicarum Conſtitutionum lege obnoxii ſint ii, qui ea, quæ Tu facis, aggredi non erubeſcunt; nec demùm à lachrymis temperare potuimus, cum Te, Dilecte Fili Noſter, in eam uſque calamitatem prolapſum eſſe cognovimus, ut publicum illud, atque tremendum Jusjurandum negligere, vel potiùs frangere non trepidaveris, quo Te, tuamque fidem Deo Optimo Maximo, Sanctæ Romanæ, & Univerſali Eccleſiæ, atque Nobis, cum Cardinalitio Pileo donareris, arctis adeò vinculis obſtrinxiſti. Cùm itaque hæc omnia ſinè Paſtoralis muneris noſtri detrimento, animæque etiam noſtræ periculo ampliùs diſſimulare non poſſimus, Te vehementer in Domino hortamur, Tibique etiam authoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac noſtrâ, in virtute Sanctæ Obedientiæ, nec non ſub Cenſuris, & pœnis omnibus per Sacros Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicas, ac præſertim Literas in die Cœnæ Domini legi ſolitas inflictis, aliiſque etiam privationis cujuſcumque Dignitatis, gradus, & honoris arbitrio noſtro infligendis, ſeu declarandis, harum ſerie diſtrictè præcipimus, & mandamus, ut omninò abſtineas tum à procurandâ quomodolibet ſivè per Te, ſivè per alios præfati Edicti, quod ſuaptè naturâ perpetuò, ac manifeſtè nullum, irritum, inane, ac nullius prorsùs roboris, & efficaciæ eſt, executione; tum ab impediendo directè, vel indirectè Archiepiſcopos, atque Epiſcopos ſupradictos, quominùs contra quos propter hujuſmodi Edictum procedendum eſſe cognoverint, Paſtoralis ſui muneris partes liberè exequantur, quemadmodùm expreſsè illis, ac iteratò mandavimus. Ceterùm has noſtras literas volumus Tibi per Venerabilem Fratrem Alexandrum Archiepiſcopum Rhodienſem, Nuncium iſthìc noſtrum reddi, eique hoc ſpecialiter juſſimus, & plenam id

fa-

faciendi facultatem dedimus, eidem de illarum præſentatione Tibi per Eum factâ plenam, & indubiam fidem habituri, prout ab Officialibus noſtris, & aliis quibuſcumque haberi volumus, & mandamus, ut ad ulteriora, ſuadente Juſtitiâ, procedi valeat. Deum interim Omnipotentem rogamus, ut in tanti momenti negotio ea Tibi conſilia ingerat, quæ vero ipſius ſervitio congruere, adeòque veræ pariter Populorum iſtius Regni felicitati, veræ Tui nominis etiam apud homines æſtimationi, & quod caput eſt, veræ demùm, ac æternæ tuæ ſaluti conducere valeant. Agnoſce, Dilecte Fili Noſter, Dignitatem tuam, & Purpuram iſtam, quâ Te Apoſtolica Sedes ornavit, noli probroſis adeò ſacrarum ejus Conſtitutionum infractionibus dehoneſtare: Noli Sanctam Dei Eccleſiam, quæ Te ad ampliſſimos honores evexit, & ſedere Te fecit cum Principibus Populi Dei, ſpretis, ac temeratis illius Juribus contriſtare. Neque enim eſt, quod hujuſmodi in rebus Principum etiam maximorum juſſa cauſeris; Tuum quippè eſt, cum de violandis Eccleſiæ legibus ſpiritu Dei conditis, & totius Mundi reverentiâ conſecratis, adeòque de ipſius Dei Optimi Maximi injuriâ, certoque animæ tuæ periculo agitur: Tuum eſt opponere murum pro Domo Iſrael, & ipſis Religioſiſſimis Principibus, apud quos pietas, juſtitia, veritas aditu carere non poſſunt, quæ tuo, quæ ipſorum muneri congruant, Chriſtianâ quidem humilitate, ſed Apoſtolicâ ſimul libertate declarare, Deique unà, ac eorum cauſam viriliter agere more Majorum noſtrorum, qui ſe, dum Eccleſiaſtico charactere inſigniti fuerunt, Dei Miniſtros effectos eſſe agnoſcentes, & pro Chriſto legatione ſe fungi, ut Apoſtolus loquitur, quæcumque vera, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, ſupremis etiam Seculi Poteſtatibus conſtanter edicere non dubitarunt, Deo fidenter ajentes: *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar*: Principibus verò, ſi quando minùs recta præciperent, Sacerdotali conſtantiâ reponentes Apoſtolicum illud: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei Vos potiùs audire, quàm Deum judicate*. Age igitur, Dilecte Fili Noſter, Paternis hiſce vocibus noſtris, quibus Te Dei nomine admonemus, meliora de Te confidentes, libenter obſequere, traditâque Tibi authoritate non quidem in Eccleſiæ dedecus, ac detrimentum, ſed in illius utilitatem, & commodum conſultiùs utere, nec non ſtrenuos iſtius Regni Antiſtites ſacrificium Juſtitiæ pro Officii ſui debito ſacrificare paratos, quibus ſanè in tuendis fortiter ejuſdem Eccleſiæ Juribus præire debueras, imitari ſaltem, ac ſequi non erubeſcas. Tibi interim, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem, cui Cœleſtem accedere optamus, peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 1. Septembris 1708. Pontificatus Noſtri Anno VIII.

AR-

ARGUMENTUM

Benignè excipit gratiarum actionem ab Archiepiſcopis, & Epiſcopis Albaniæ ſibi humiliter oblatam, propterea quod in Collegio Apoſtolico de Propaganda Fide Adoleſcenti illius Nationis locum Alumni perpetuum, congruâ aſſignatâ dote, conſtituerit, pluraque de propensâ majorem in modum erga eamdem Nationem Pontificiâ voluntate, deque illius conſtanti erga Sanctam Sedem ſtudio, ac eximio veræ pietatis cultu ſubiicit.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Albaniæ.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabiles Fratres, ſalutem &c. Optavimus quidem hactenùs præſtanti aliquo, ac perenni Pontificiæ noſtræ charitatis documento ope Fraternitatum Veſtrarum teſtatum facere Chriſtifidelibus Regni Albaniæ hærere animo noſtro, veluti cum vitâ, & ſanguine hauſtam ſingularem quamdam voluntatis propenſionem, ac planè benevolentiam, ergà illos omnes inclytæ iſtius Nationis homines, qui unà cum Evangelicæ veritatis amore conſtantem ergà Romanos Pontifices, & Apoſtolicam hanc Sanctam Sedem obedientiam, ac devotionem, vel inter Chriſtiani nominis hoſtes, & ſub ipsâ Turcarum tyrannide, eximâ ſuæ virtutis, ac pietatis commendatione retinuerunt; ſed quoniam auctâ in dies dura nimis temporum difficultate conſilia, etſi neceſſaria, à conſuetudine tamen noſtra magnoperè aliena, inire cogimur, ne fructu prorsùs vacua ſit, quæ jugiter viget in Nobis gratificandi eiſdem Fidelibus voluntas, hoc ſaltem ejuſdem ſpecimen in conſpectu omnium extare voluimus, ut locus Alumni in Collegio Apoſtolico de Propaganda Fide nuncupato Adoleſcenti Nationis Epiri, ſeu Albanenſis perpetuò addiceretur: id, quod dote ad id per Nos eidem Collegio attributâ, authoritate noſtrâ, prout Vobis notum eſt, conſtituimus. Cùm autem literæ veſtræ die trigeſimâ proximè elapſi menſis Julii ad Nos datæ diſertè teſtentur hoc amoris noſtri teſtimonium iſthic tantâ gratulatione exceptum fuiſſe, quantâ certè animi noſtri alacritate à Nobis prolatum fuit, Nos nedum uberiorem gaudii materiam ex hac veſtrâ ſignificatione percepimus, ſed profectò in ſpem venimus fore ut, quæ à Nobis cœpta, ac veluti ſata ſunt, Deo incrementum dante, aliquando adoleſcant, & cedant in ſpirituale lucrum iſtius Nationis, ubi præſertim non deſint ſtudia, ac in piis ſudoribus irrigatio Fraternitatum Veſtrarum, de quarum vigilantiâ, ac ſolicitudine tum in cuſtodia crediti ſibi Gregis, tum in ejuſdem amplificatione plurimùm Nobis in Domino pollicemur, dum in auſpicium optati incrementi, Apoſtolicam Benedictionem Fraternitatibus Veſtris peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimaquinta Septembris 1708. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Cardinalem Urſinum Archiepiſcopum Beneventanum ſingulari zelo obſiſtentem iis, quæ à Seculari Poteſtate in Regno Neapolitano adverſùs Eccleſiæ libertatem attentata fuerant, meritis ornat laudibus, ac nonnullis ab eo quæſitis per literas Cardinalis Paulutii ſatisfeciſſe reſpondet.

Venerabili Fratri Noſtro, Vincentio Mariæ Epiſcopo Tuſculano, S. R. E. Cardinali Urſino nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Quibus perſpecta eſt eximia tua virtus, & fervens illa pietas, qua ſoles Dei Cauſam complecti, ii facilè intelligent quàm gravia Tibi, ac moleſta fuerint, quæ adversùs Eccleſiæ libertatem attentata nuper fuerunt, cum præſumeret Secularis authoritas Epiſcopali Ordini interdicere, ne ad prohibendas, arcendaſque prophanas manus ab apprehendendis rebus ſacris, & Eccleſiæ dicatis, traditâ ſibi deſuper poteſtate uteretur. Nobis ſanè, qui probè novimus nihil Tibi antiquius eſſe, quàm Eccleſiæ jura ſummo ſtudio tueri, neque novum, neque mirum accidit ex tuis literis percipere, zelum tuum vehementer efferbuiſſe ad hujuſmodi auſus, cum præſertim temerè diceretur ex Dei cultu eſſe id, quod manifeſtam Eccleſiæ injuriam continebat. Sanè ſperandum videtur hujuſmodi ſcandali authores liberâ voce, quam Tu præ ceteris, & cum pleriſque Paſtorum his auditis edidiſti, intimè tactos, graviſſimiſque monitis, quæ Nos ipſi ſubinde adjecimus, correptos, coercitoſque nihil propterea auſuros eſſe, ſed de ſanandis potiùs, quàm de exulcerandis iſthic, & alibi illatis Eccleſiæ vulneribus feriò, prout par eſt, cogitaturos. Certi interim Te in ſtatione perſpectæ tuæ vigilantiæ commiſsâ ſtrenuè perſtiturum, ac rati Te cetera, de quibus Nos conſulis, à Dilecto Filio Noſtro Fabritio S. R. E. Cardinali Paulutio noſtro nomine uberiùs percepiſſe, in auſpicium bonorum omnium, quibus Te in mercedem egregiæ tuæ voluntatis à Deo cumulari cupimus, Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater Noſter, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimaquintâ Septembris 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Diſpenſationem à Principe Bipontino poſtulatam ſuper impedimento conſanguinitatis, ad effectum contrahendi Matrimonium cum Principiſſa Acatholicâ, ob ineluctabiles difficultates, quæ re maturè expenſâ petitioni obſtabant, concedere abnuit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Principi Bipontino.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Cum perſpectum eſſe poſſit Nobilitati Tuæ eſſe Nos ultrò propenſos ad ea præſtanda, quæ grata Tibi eſſe intelligimus, perſuaſum Tibi pariter eſſe debet intimâ moleſtiâ Nos affici ob ineluctabiles difficultates, quæ, re graviter, ac maturè expenſâ, obſtare dignoſcuntur, quominùs precibus tuis annuere, Tecumque diſpenſare valeamus ſuper impedimento conſanguinitatis, ad effectum, ut matrimonium cum Principiſsâ diſparis à Catholicâ Religione cultus ritè poſſis conſtabilire. Deſtituti hac occaſione explicandi Tibi magnitudinem Paternę noſtræ charitatis, hoc ſaltem Tibi impendemus officii, quòd Deum, qui dives eſt in miſericordiâ, impensè rogabimus, ut velit luminis ſui radiis ad cor ejuſdem Principiſſæ ita pervadere, ut eam ad agnitionem veritatis deducat, quatenùs Nos cumulato gaudio gratulari poſſimus hoc lucrum, quod certè plurimùm à Nobis fiet, & ſubindè ſolari valeamus vota Nobilitatis Tuæ, cui auſpicem ſolidæ felicitatis eſſe cupimus Apoſtolicam Benedictionem, quam eidem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Septembris 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Armando Epiſcopo Argentoratenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Eâ æquitate, atque prudentiâ præſtare novimus Fraternitatem Tuam, ut omninò arbitremur Te facilè perceptarum eſſe, cujus momenti ſint cauſæ, ob quas Nos, qui ſummâ profectò charitate proſequimur Dilectum Filium Nobilem Virum Principem Bipontinum, ejus deſiderio, & petitioni, tuis præſertim officiis, quæ plurimi facimus, communitæ annuendum eſſe non ducimus. Sanè à conſtanti Apoſtolicæ Sedis conſuetudine recederemus, viamque iniremus, ut novam, nulloque tritam exemplo, ſic parum accommodam, ac opportunam parandæ animarum ſaluti, ubi diſpenſare ſtatueremus cum eodem Principe ſuper impedimento conſanguinitatis, quod ipſi intercedit cum Principiſsâ, de quâ agitur, ad effectum contrahendi cum eâ matrimonium, antequam ipſa ab hæreſi, quam profitetur, ad Eccleſiæ gremium confugeret, & Catholicam Religionem complecteretur. Neque gravis haberi debet hæc conditio à Nobis prærequiſita, utpotè quæ pertinet ad ſalutem animæ, ac propretereà nulli ex humanis rationibus, quæ in contrarium afferuntur, eſt poſthabenda. Quamobrèm Fraternitas Tua operæ pretium fecerit, non ſine ſingulari eximii

ſui zeli commendatione, ſi conſilio, ſtudio, atque authoritate ſuâ eò rem adducere curaverit, ut Nos, ſublatâ hujuſmodi difficultate, votis ejuſdem Principis facere ſatis valeamus, atque interim hoc lucro augeatur Eccleſia, ut qui communi generis prærogativâ gaudent, pari veræ Religionis cultu decorati ſacro invicem vinculo Apoſtolicâ authoritate jungantur. Quod quidem faciet ad recreandum inter tot curas cor noſtrum, cui præter modum moleſtum accidit, quod graviſſimus obex interponatur, quominùs obſecundemus precibus Fraternitatis Tuæ, cui in pignus Pontificii noſtri amoris, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Septembris 1708. &c.

ARGUMENTUM

Moniales perpetuæ Adorationis Sanctiſſimi Sacramenti Pariſienſem Civitatem ex Alma Urbe repetentes Cardinali de Noailles enixè commendat, earumque pietatem multis laudibus ornat.

Dilecto Filio Noſtro, Ludovico Antonio, Tituli Sanctę Marię ſuper Minervam Presbytero, S.R.E. Cardinali de Noailles nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Dum Dilectas in Chriſto Filias Religioſas Virgines Moniales perpetuæ Adorationis Sanctiſſimi Sacramenti ex Ordine S. Benedicti iſthùc, poſt exactos Romæ aliquot annos, revertentes Circumſpectioni Tuæ hoc noſtro officio commendamus, operæ pretium eſſe ducimus Tibi ſignificare eas ſingularibus pietatis, ac devotionis exemplis hic editis, & aſſiduo Dei cultu plurimùm ædificationis in omnium animis excitaſſe, & Pontificiam noſtram charitatem peculiariter demeruiſſe. Erat quidem Nobis in votis pium, & laudabile Inſtitutum, quod ipſæ profitentur, ipſarum operâ in animarum profectum in Urbe conſtabilire, ſed quando propoſito noſtro obſuit temporum difficultas, quæ non ſine graviſſimo animi noſtri mœrore in dies augetur, æquum eſſe duximus earum deſiderio repetendi priſtinas Sedes ulteriùs non refragari. Hinc eſt quòd Dilecto Filio Religioſo Viro Guilielmo Para ejuſdem Ordinis S. Benedicti Monacho, & Procuratori Generali Sancti Mauri Galliarum, tum ob præſtantem doctrinam, tum in primis ob ſpectatam morum integritatem, ac pietatem Nobis admodum grato, atque probato, curam deducendi iſthuc eaſdem Moniales demandavimus, confiſi nihil ab eo prætermiſſum iri, quod ad rectè perficiendas partes ſibi à Nobis injunctas pertineat. Quod ſupereſt, à Te petimus, ut eiſdem Monialibus authoritate tuâ, ubi res tulerit, faveas, atque opituleris, & alacriùs id, quod ſpontè facturus eſſes, intuitu noſtro præſtes, Noſque viciſſim curabimus Tibi nulla non occaſione teſtari benevolentiam noſtram, Dilecte Fili Noſter, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 23. Septembris 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis in Chriſto Filiabus Mariæ Sancti Franciſci de Paula Prioriſſę, ac Monialibus perpetuę Adorationis SS. Sacramenti Ordinis S. Benedicti.

CLEMENS P.P. XI.

Dilectæ in Chriſto Filiæ, ſalutem &c. Ut libenti animo, & ſummâ gratulatione à Vobis excipiantur Dilectæ in Chriſto Filiæ Religioſæ Virgines, quæ Româ iſthùc redeunt, ſatis illis erit, veluti pro teſſerâ, præferre ſingularem illam pietatem, quâ inter Vos probè inſtitutæ, nec minùs in præſens inſtructæ Vos adeunt; Ex hoc enim communi Vobis, quo fervent, ſtudio facilè intelligetis eaſdem ad Vos pertinere, ac eſſe illas ipſas, quæ obedientiæ impulſu iſthinc profectæ ſynceræ erga Vos charitatis ſtimulo ad clauſtra veſtra feruntur. Etſi autem opus eſſe non videatur eas per ſe Vobis gratas Paternis noſtris òfficiis apud Vos commendare, fraudandas tamen illas non eſſe ducimus teſtimonio cumulatæ laudis, quam aſſiduo religioſæ obſervantiæ cultu hìc in Urbe promeruerunt, ut majorem hoc etiam nomine gratiam apud Vos ineant. Ceterùm ablatam Nobis invidiâ temporum occaſionem conſtabiliendi Romæ ipſarum exemplo, & operâ pium veſtrum Inſtitutum, quod maximè optabamus, tum demum ex parte ſaltem rependi Nobis arbitrabimur, ubi facultas dabitur explicandi Vobis præcipuo aliquo documento propenſionem noſtræ in Vos voluntatis, quæ quanta ſit, à Dilecto Filio Religioſo Viro Guilielmo Para Ordinis Sancti Benedicti Monacho, ac Procuratore Generali Congregationis Sancti Mauri, cujus perſpectæ vigilantiæ, & integritati curam reducendi ipſas Moniales demandavimus, fuſiùs intelligetis. Veſtrum interim erit Eum, coram quo continenter preces effunditis, indeſinenter precari, ut Eccleſiæ ſuæ Sanctæ propitietur, dum Nos, Dilectæ in Chriſto Filiæ, Apoſtolicam Vobis Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 23. Septembris 1708. &c.

ARGUMENTUM

Poſtulat ab Archiepiſcopo Colonienſi S. R. I. Principe Electore, tamquam Epiſcopo etiam Leodienſe, ut authoritate ſuâ interpoſitâ adducat Ordines, ſeu Status Laicales Civitatis Leodienſis ad ſarcienda damna illic Immunitati, ac juriſdictioni Eccleſiaſticæ illata; & ad ineundam abſque ulteriori morâ concordiam cum Clero ſecundario ejuſdem Civitatis pertractatam.

Venerabili Fratri, Joſepho Clementi Archiepiſcopo Colonienſi, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Confiſi Fraternitatem Tuam omni alacritate complexuram eſſe occaſionem explicandi eximium ſuum zelum in aſſerendis juribus Eccleſiæ, operam, atque authoritatem tuam in negotio id unum maximè reſpiciente libenti animo

requirimus. Notum ſatis, ſuperque eſt, quàm graviter læſa fuerit nonnullis ab hinc annis immunitas, ac juriſdictio Eccleſiaſtica, hujuſque Sanctæ Sedis authoritas à Conſilio ordinario, aliiſque Magiſtratibus, ſeu Tribunalibus Laicis Civitatis Leodienſis occaſione controverſiæ excitatę inter Clerum ſecundarium ejuſdem Civitatis, & inter quaſdam Communitates, cum iſtæ præfatum Clerum exemptionibus omni jure debitis privare præſumerent. Et Nos tum quidem diſtulimus Apoſtolicâ noſtrâ authoritate occurrere, ac urgere celerem reparationem jurium Eccleſiæ propter ſpem iteratò Nobis factam, quòd illa congruè, & opportunè ſarcienda eſſent per concordiam, quæ inter Partes amicè non multò poſt ineunda dicebatur. Sed ubi lapſo ſubindè multo tempore advertimus eam ſpem optato fructu fruſtrari, cum perpenderemus liberum Nobis non eſſe ſine onere conſcientiæ noſtræ ab adhibendis congruis remediis diutiùs abſtinere, injunximus Venerabili Fratri Joanni Baptiſtæ Archiepiſcopo Tarſenſi noſtro ad tractum Rheni Nuncio, ut terminum ad conſentiendum conditionibus pro concordiâ propoſitis conſtitueret, ac præfigeret Ordinibus, ſeu Statibus laicalibus, intra quem, niſi illi conſenſum actu præbuiſſent, & prout par erat, redintegraſſent Eccleſiam, idem Nuncius ad ulteriora, quæ ei in mandatis dedimus, procederet. Verùm quia ſtimulo Paternæ noſtræ charitatis vehementer cupimus, ut reparatio, quæ fieri debet, ſpontè potius ab his, à quibus tam graviter læſa fuit immunitas, ac libertas Eccleſiaſtica, quàm ope ſupremæ noſtræ poteſtatis præſtetur, ac perficiatur: Nos, qui de egregiâ tuâ voluntate, & ſpectatâ tuâ prudentiâ plurimùm Nobis pollicemur, expedire magnoperè duximus, ut de totius rei ſtatu à Nobis certior fieres. Credimus enim Te authoritatem tuam validè interpoſiturum, quatenùs dicti Ordines, ſive Status Laici abſque ulla ulteriori morâ ineant cum Clero concordiam, atque ita non tam Patriæ bono, quàm animarum ſuarum tranquillitati, prout par eſt, conſulant. Interim verò in auſpicium læti eventus Apoſtolicam Benedictionem cum bonorum omnium apprecatione Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 27. Octobris 1708. &c.

ARGUMENTUM

Cum Calviniſtæ omni ſtudio urgere pergerent nefarium propoſitum inducendi in Civitatem Colonienſem exercitium ſuæ damnatæ Sectæ, Electorem Palatinum rurſus enixè requirit, ut iniqua eorum conſilia, atque molimina abrumpere, ac irrita eſſe pro eximio ſuo zelo curet.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Eſſe ſine multa ſolicitudine, immò ſine graviſſimo dolore, animique angore non poſſumus, ex quo audivimus promoveri, urgerique vehementer, hoc maximè tempore, à Calviniſtis propoſitum, quod ipſi quidem diù verſant, inducen-

di in Civitatem Colonienſem exercitium ejus, quam profitentur, damnatæ Sectæ, nihilque eos intentatum relinquere, ut id aſſequantur: arte ſcilicet, ac dolo malo viam ſibi munientes, ac per cuniculos, ut ſolent, irrepentes: rati fore ſibi inſtar magni triumphi de Catholicâ Religione relati, ſi obtineant conſiſtere, ſuiſque ſtudiis pravis utique, ac execrandis liberè vacare in eâ Civitate, quæ Romanæ, & Apoſtolicæ Fidei depoſitum illibatum perpetuò ſervavit. Quorum conatus, etſi demum irritos fore confidamus, innixi præſtanti virtuti, & eximio zelo Nobilitatis Tuæ, quam profectò credimus tam ſedulò curaturam eſſe iniqua eorum conſilia, atque molimina abrumpere, quàm disertè ſuam Nobis operam, atque authoritatem eâ in re eſt pollicita; Nihilominùs ſtimulos currenti addendos eſse duximus, ut ſcires hanc cauſam eſse tuâ ope nunc maximè juvandam, atque confovendam, atque æquam, ac uberem pro ejus momento à Deo mercedem, nec vulgarem à Nobis gratiam aſsecuturam eſse hoc nomine Nobilitatem Tuam, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſimâ ſeptimâ Octobris 1708. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

ARGUMENTUM

Imperatori ſignificat conſilium, quòd ſuſceperat, allegandi ad Majeſtatem Suam Archiepiſcopum Nazarenum, ut Illi rerum veritatem explicaret, & à Cæſareâ æquitate, ac religione graviſſimarum ærumnarum Ditionis Eccleſiaſticæ populis illatarum ceſſationem expeteret. Ipſum proindè Præſulem benignè audiri, ejuſque verbis plenam haberi fidem poſtulat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. E' tale la fiducia, che riponiamo nell'acclamata rettitudine della M. V., che nell'eſtrema afflizione, in cui ci ritroviamo, per vedere il noſtro Stato, cioè à dire il Patrimonio di S. Pietro, e della S. R. Chieſa ormai intieramente deſolato, e diſtrutto dalle ſue armi, non vogliamo, nè ſappiamo ad altri ricorrere per il neceſſario riparo, che alla M. V. medeſima. Troppo grande offeſa fareſſimo alla ſua pietà, ſe poteſſe mai caderci in penſiero, che quanto è ſeguito, e tuttavia và ſeguendo con tant'afflizzione de' Cattolici, e con tanto piacere, e giubilo degl'Eretici, ſiaſi fatto, e ſi faccia di ſuo ordine. Maggiore certamente lo fareſſimo alla ſua giuſtizia, ſe qualunque poſſa eſſer ſtato l'ordine da Lei dato, credeſſimo eſſer ciò accaduto ſenza una manifeſta ſorpreſa al ſuo religioſiſſimo cuore con ſuppoſti totalmente alieni dal vero. Non ad altro fine però, che per rendere la M. V. pienamente informata del vero, abbiamo preſa la riſoluzione di ſpedirle l'Arciveſcovo di Nazaret, noſtro Prelato Domeſtico, non dubitando, che ſcopertoſi da Lei l'inganno, ſia queſto per divenire l'oggetto maggiore della ſua indignazione, e che ſincerata la M. V. della verità delle coſe, ſia per eſſercitar le parti, che le competono, di Avvocato, e Difenſore

della

della Chieſa anco verſo di Noi medeſimi, in prendere quelle riſoluzioni, che non meno potranno convenire alla ſua gloria, che alla ſua conſcienza, e potranno tirare ſopra di Lei, e ſopra la ſua Auguſtiſſima Caſa la continuazione delle Celeſti Benedizioni. Preghiamo per tanto la M. V. con tutta l'efficacia maggiore del noſtro ſpirito ad aſcoltare volontieri il medeſimo Prelato, che unendo alli pregi, che tiene, di prudenza, di pietà, e d'integrità anche quello d'una ſomma ingenuità, merita d'eſſer benignamente accolto dalla M. V., che compiacendoſi di dar fede à quanto il medeſimo con tutta candidezza ſarà per eſporle in noſtro nome, verrà anco aſſicurata di quel paterno, e diſtinto amore, con cui l'abbiamo ſempre rimirata, e la rimiriamo, e con cui ora le diamo l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ &c. die decimâ ſecundâ Decembris 1708. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtrę, Amalię, Hungarię, & Bohemiæ Reginę Illuſtri, in Romanorum Imperatricem Electę.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Noſtro deſiderio ſarebbe d'aver veramente occaſione più lieta di ſcrivere à V. M., mentre quella, che di preſente abbiamo, è tutta d'afflizione, e di pianto. Vediamo il noſtro Stato, che è il Patrimonio di S. Pietro, e della S. R. Chieſa, oramai deſolato, e quaſi diſtrutto, & udiamo li clamori di tanti poveri noſtri Sudditi ſenza lor colpa, e diremo anco ſenza noſtra (come francamente poſſiamo dire avanti Dio) ridotti all'eſtremo delle miſerie. Non avendo però fin' ora da tutte le noſtre facilità, rimoſtranze, & eſibizioni, potuto ritrarre alcun frutto, abbiamo riſoluto di ricorrere al fonte, con mandare l'Arciveſcovo di Nazaret, noſtro Prelato Domeſtico, Soggetto di noto valore, e ſopratutto d'intiera fede, e bontà, alla Maeſtà dell'Imperatore, per informare la M.S. di molte verità, che certo crediamo non eſſergli per noſtra diſgrazia ſtate rappreſentate, e per eſporre inſieme alla M. S. la ſincerità del noſtro Paterno cuore, che ſenza dubbio pareva à Noi non meritaſſe di ricever dal maggior Figlio della Santa Chieſa, e da Noi sì teneramente amato, materia di tanto, e sì acerbo dolore. Le inſinuazioni, che ſi faranno da queſto Prelato, benche le ſperiamo efficaci per la ragione, in cui ſaranno fondate, avranno però ſenza dubbio forza maggiore, ſe ſaranno appoggiate dal valevole, e benigno patrocinio di V. M., alla quale per tanto le raccommandiamo col più vivo dell'animo, non ſolo in nome noſtro, mà de' SS. Apoſtoli Protettori di queſta S. Sede, e dello ſteſſo Signor Noſtro Gesù Chriſto, di cui, benche indegnamente, ſoſteniamo le veci in terra. Si tratta non dell'intereſſe noſtro privato, mà della Chieſa di Dio, & il veder queſta così oppreſſa, e abbattuta dalle armi d'un Imperatore sì pio, e che ſi pregia del titolo ſpeciale di Difenſore della medeſima, non può caggionare, che molta meſtizia à veri Figli dell'iſteſſa Chieſa, e all'incontro grand'allegrezza agl'Eretici, e dar loro maggiore ardire contro la noſtra Santa Cattolica Religione, che pur troppo vien minacciata per ogni parte;

onde

onde tanto più è dovere, che la ſingolar pietà della M. V. ci s'intereſſi per cooperare all'onore del Signor Iddio, & unitamente alla gloria del ſuo Auguſtiſſimo Conſorte, eccitandolo à dare alla Chieſa ſua Madre quei publici contraſegni d'amore, e di riſpetto, quali più d'ogn'altra coſa poſſono render perpetuo, e glorioſo il ſuo nome nella memoria de' Poſteri. Non dubitiamo, che la M. V. non ſia per abbracciar volontieri queſta occaſione di procacciarſi per ſe, e per tutta l'Auguſtiſſima Caſa, la protezzione dell'Onnipotente Iddio, che è quella, che felicita gl'Imperi, e porta ſeco tutti quei beni temporali, & eterni, che Noi ben di cuore deſideriamo alla M. V., alla quale auguriamo fratanto il contento di una felice ſucceſſione, tanto da Noi, e da tutti i buoni Cattolici deſiderata. Et alla M. V. con tutta la pienezza del noſtro Paterno affetto diamo l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ &c. die 12. Decembris 1708. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ, Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ, Hungariæ, & Bohemiæ Reginæ Illuſtri, in Romanorum Imperatricem Electæ Viduæ.

CLEMENS P.P. XI.


CHariſſima in Chriſtò Filia Noſtra, ſalutem &c. Nel colmo delle noſtre ineſplicabili afflizioni abbiamo riſoluto di ſpedire l'Arciveſcovo di Nazaret noſtro Prelato Domeſtico alla Maeſtà dell'Imperatore, ſperando di ritrovare nel ſuo religioſiſſimo cuore quella pietà, che non troviamo in altri, da quali non ſperimentiamo, che eſtremi rigori. Bramiamo, che queſto Prelato, à cui non manca prudenza, nè ſaviezza, nè integrità, abbia campo di ſincerare candidamente preſſo Sua Maeſtà Ceſarea le noſtre intenzioni, che ſiniſtramente appreſe, hanno tirati ſopra di Noi, e ſopra tanti poveri innocenti noſtri Sudditi mali sì deplorabili; avendo piena fiducia, che ſcoperta una volta la verità, ſia non ſolo per concederſi à Noi la ſoſpirata pace, mà anco reſtituirciſi intieramente l'antico, e da Noi ſommamente pregiato filiale amore della Maeſtà Sua. Per conſeguire più facilmente un sì felice fine, che non può eſſer di noſtra maggior premura, ricorriamo all'efficace mediazione di Voſtra Maeſtà, raccommandando quanto mai poſſiamo all'amorevole ſuo patrocinio le coſe noſtre, anzi della Santa Chieſa, e di Dio medeſimo. La ſingolar prudenza di Voſtra Maeſtà ben comprende in quali contingenze ſtia di preſente la noſtra Santa Cattolica Religione, e di quanto diſcredito, e depreſſione rieſca alla medeſima il vederſi il ſupremo Capo di eſſa (già che il demerito della noſtra Perſona non può avvilire la Santità del noſtro Grado) ſoffrire quello, che ſoffre dell'armi iſteſſe di chi ſi pregia del titolo di Primo Difenſore della medeſima Religione; come anco di quanta eſultazione ciò ſia alli nemici di eſſa, e quanto ardire ne concepiſcano, con pericolo pur troppo grande di vederne anco à giorni noſtri (che Dio non voglia) funeſtiſſime conſeguenze. Confeſſiamo alla Maeſtà Voſtra, che queſta conſiderazione ci feriſce talmente il cuore, che in paragone

ne di eſſa ci par leggiero il dolore, che per altro ſentiamo graviſſimo, in vedere lo Stato noſtro, anzi il Patrimonio della Chieſa, e di Gesù Chriſto, deſolato, e deſtrutto in maniera, che ſaremo coſtretti à laſciarlo per infelice eredità à molti de' noſtri Succeſſori. Per adempir dunque le parti, che à Noi s'appartengono, come à Paſtore Univerſale, benche ſenza merito, di Chieſa Santa, e per non trovarci rei al Supremo Tribunale dell'eterno Giudice d'aver mancato al noſtro debito, raccommandiamo col più vivo dell'animo noſtro alla Maeſtà Voſtra, e per ſuo mezzo al ſuo, e noſtro Cariſſimo Figlio la Santa Fede Cattolica, minacciata per ogni parte dall'Ereſia, che ogni giorno creſce di forza; avendo nel rimanente ferma ſperanza, che la Maeſtà dell'Imperatore medeſimo ricordevole della pietà ereditata da ſuoi Maggiori, inclinerà volontieri il ſuo religioſo cuore verſo la Santa Romana Chieſa ſua Madre, e non ſoffrendo di vederla così oltraggiata, vorrà uſare verſo di Lei dimoſtrazioni tali, che ſiano capaci di far conoſcere al Mondo tutto, che la Maeſtà Sua, ſiccome nel pregio della Dignità Imperiale, così ancora nella Religione, e nel zelo, non è inferiore ad alcuno de' ſuoi glorioſi Antenati. In un merito così grande hà da avere una ſegnalata parte l'opera di Voſtra Maeſtà, alla quale, & al ſuo Auguſtiſſimo Figlio preghiamo coll'intimo del noſtro Paterno cuore dall'Onnipotente Iddio augumenti ſempre maggiori di gloria, e felicità, sì in queſta, come nell'altra vita. E diamo alla Maeſtà Voſtra l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ &c. die decimâ ſecundâ Decembris 1708. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

EPI-

EPISTOLÆ
ET
BREVIA
SELECTIORA
ANNI MDCCIX.

Digitized by Google



IN SUBLIME EXTULIT, ET MUNERA MULTA, ET MAGNA DEDIT.
Daniel 2. u. 48.

ARGUMENTUM

Conſules, & Senatum Coloniæ Agrippinæ vehementer hortatur, & admonet, ut petitioni Acatholici Principis, qui Domi ſui apud eos Adminiſtri exercitia damnatæ ſuæ Sectæ peragi, idque Jure publicæ Legationis fas eſſe contendebat, conſtanter obſiſtant.

Dilectis Filiis, Conſulibus, & Senatui Civitatis Coloniȩ Agrippinȩ.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, ſalutem &c. Non patitur Paterna charitas, quâ inclytam iſtam Civitatem de Romanâ Eccleſiâ, ac de Apoſtolicâ Sede jamdudum probè meritam proſequimur, ut fidem præproperè adhibeamus publico rumori ad Nos nunc maximè allato, quo fertur verſari adhuc inter Vos in deliberatione, utrùm aſſentiendum ſit petitioni Acatholici Principis præſumentis, ac contendentis fas eſſe ſuo apud Vos Adminiſtro exercitia ſaltem privata damnatæ ſuæ Sectæ intra Domum, in quâ iſthìc reſidet, habere. Nam ut nullam modò earum rationum attingamus, ex quibus facilè eſſet evincere, ut indebitè, ita falsò hìc prætexi Jura publicæ Legationis, id quod prudentiæ veſtræ ſatis, ſuperque perſpectum eſſe arbitramur, illud certum eſt nihil tam ſacrum, ac ſanctum, nihil tam commendatum Vobis eſſe debere, quàm ne ullo unquam tempore decidatis ab inſigni laude, veterique prærogativâ, quam à Majoribus veſtris in cuſtodiendo veræ Religionis cultu, veluti jure hæreditario, accepiſtis. Glo-

riæ enim Vobis, nec immeritò, hactenùs tributum fuit, quòd omnem aditum hæreſi perpetuò occluſeritis, quòdque Orthodoxa Religio ita apud Vos conſtiterit, ut ope pietatis, fidei, ac vigilantiæ veſtræ, tamquam firmiſſimo vallo, communita ſemper iſthìc illibata, atque ab omni pravi cultus, aut reprobatæ doctrinæ contagione immunis permanſerit. Et Nos quidem gratulati Vobis non ita pridem ſumus hoc ipſum illuſtre propoſitum, ubi agnovimus Vos ſimilibus conatibus invicta conſtantia, ac ſummâ virtute obſtitiſſe. Verùm ſuadet Nobis magnitudo periculi, ne zelum, aut ſolicitudinem remittamus, cum eamdem petitionem vehementiùs in præſens urgeri intelligimus. Quamobrèm pro noſtro jure, ac munere Vos monitos facimus, ut veſtri ſimiles eſſe pergatis, eodemque veſtigio conſiſtatis, ubi præſertim contigerit inſidiosè Vobis ſuggeri, ut hujus articuli definiendi, tamquam ſi de veteri controverſiâ dirimendâ ageretur, arbitrium penès eum, in quem utrinque conventum fuerit, ex parte veſtrâ conſtituatis. Ut quid enim in re certâ, cujuſmodi eſt vetus veſtrum, ac ſalutare inſtitutum excludendi iſthinc perpetuò abominationes Hæreticorum, audebitis alienum judicium, non ſinè manifeſto cauſæ veſtræ diſcrimine, ſubire? Abſit verò, ut exiſtimemus poſſe Vos, aut ullis pollicitationibus allici, aut ambitu impelli, aut minis abſterreri, quominùs priſtinam, laudabilemque conſuetudinem adversùs novum, deterrimumque exemplum, pro quo inducendo tam acriter contenditur, ſtrenuè propugnetis. Sanè ubi ſeriò conſulatis, quid Eccleſiæ, quid huic Sanctæ Sedi, quid Patriæ veſtræ debeatis, piè, ac rectè, ut decet, & id, quod maximè coram Deo expediet, conſtituturos Vos eſſe confidimus, Dilecti Filii, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ nonâ Januarii 1709. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Metropolitanæ Eccleſię Colonienſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Deſiiſſe jam arbitrabamur periculum, ne acatholicus Princeps id demùm obtineret, quod non ſine incommodo, & detrimento veri cultus, ac Catholicæ Religionis aſſequi paulò ante contendebat, ut ſcilicet Adminiſtro, quem ille retinet in iſta Civitate, liceret exercitia ritu ſuo, hoc eſt Hæreticorum more, intra privatas ædes, in quibus actu reſidet, habere, quod ſanè aliud nihil erat, quàm velle, ut hæreſis, animarum peſtis, hoſpitio tandem reciperetur, ac perfugium aliquod haberet in ea Civitate, ad quam ei nunquam patuit acceſſus, ſedulò excubante ad cuſtodiam veræ Fidei pietate, ac zelo Eccleſiaſtici Ordinis, & ſtrenuè ſemper obſiſtente hujuſmodi conatibus Secularium Magiſtratuum authoritate. Verùm fert rumor nuper excitatus eamdem petitionem acriùs urgeri in præſens, ac illud ſaltem, ut æquam conditionem requiri, nimirùm, ut de conſenſu Partium Arbitri deligantur, qui conſtituant quid maximè congruat, quaſi cuicumque fas ſit in rebus ad ſtatum Religionis pertinentibus pro lubitu pronunciare, aut quaſi ejuſdem periculi ſit veterem, ac inconcuſſam laudabilis inſtituti veſtri obſervantiam cum novo, ac inaudito exemplo, quod in medium

profertur, placito alicujus committere. Sanè negotium eſt hujuſmodi, ut opem, ac operam veſtram, & quidem ſedulam, ac diligentem requirat, cum graviſſima mala in perniciem veræ Fidei procul dubio conſecutura ſint, ſi ſemel hæreſis, velut deliteſcens, inducatur in Civitatem iſtam, cujus præcipua laus ſemper fuit ſummum ſtudium in cuſtodiendâ integritate Catholicæ Religionis. Quamobrèm oportet Vos in officio eſſe, nullumque medium, quod muneri veſtro congruat, intermittere, quatenùs hujuſmodi conatus in irritum cadant. Quâ in re obſequium Deo, & Eccleſiæ tum debitum, tum ſanè gratum præſtabitis, Dilecti Filii, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 19. Januarii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Epiſcopi Monaſterienſis officia, & authoritatem implorat, ut conatibus Acatholici Principis Domi ſui in Colonienſi Civitate Adminiſtri hæreſis exercitia fieri peroptantis omni ope, ac ſtudio adverſetur.

Venerabili Fratri, Franciſco Arnoldo Epiſcopo Monaſterienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Innitimur libenter præſtanti pietati, ac zelo Fraternitatis Tuæ in his, quæ pertinent ad bonum Catholicæ Religionis, certi Te occaſiones hujuſmodi alacriter amplecti, ac omnia tua ſtudia in eum ſcopum liberaliter conferre. Cum itaque Acatholicus Princeps contendat vehementer obtinere à Magiſtratu Civitatis Colonienſis, ut liberum ſit Adminiſtro, quem ille retinet in eâ Civitate, exercitia ritu, ac more Hæreticorum intra ſuas ædes habere, ac poſtulat, ut quatenùs id ſibi denegetur, arbiter utrinque conſtituatur, qui rem totam, ut ei viſum fuerit, definiat; Nos, qui probè intelligimus ſine injuriâ, ac periculo Catholicæ Fidei, cujus unicus, & illibatus cultus in eâ Civitate ſemper viguit, fieri non poſſe, ut de alieno, & damnato ritu illùc inducendo agatur, multòque minùs, ut in graviſſimâ Religionis causâ arbiter congruâ authoritate deſtitutus adhibeatur, etiam, atque etiam à Te petimus, ut tuâ authoritate, & quibus poteris officiis intervenias, quatenùs compeſcantur hujuſmodi conatus, nec quicquam contra vetus, ac laudabile inſtitutum excludendi perpetuò ab eâ Civitate omnem labem hæreticæ pravitatis attentetur. Quanti momenti res ſit, quæ agitur, pro ſua ſpectatâ prudentiâ probè intelliget Fraternitas Tua, cui propterea commendatiſſimam eam eſſe cupimus, dum eidem Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 19. Januarii 1709. &c.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Vuilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Urget adhuc, & quidem acriùs in præſens petitionem ſuam ille Acatholicus Princeps, qui apud Magiſtratum Civitatis Colonienſis paulò ante contendit fas eſſe ſuo in eadem Civitate degenti Adminiſtro exercitia ritu, ac more Hæreticorum intra ædes, quas incolit, habere, & poſtulat hanc controverſiam, ſi modò controverſia dicenda eſt petitio, quæ nuſquam audita in medium nunc primùm profertur, per unum, vel plures arbitros utrinque deligendos dirimi. Nos itaque, qui eâ in re agi manifeſtè de injuriâ, ac periculo Catholicæ Religionis, quæ ſola, ac prorsùs illibata in ea Civitate ſemper viguit, advertimus: Nobilitatem Tuam, quam in his præſertim, quæ ad bonum, & commodum veræ Fidei pertinent, libenter ſemper adimus, plurimùm de præſtantiâ tuæ pietatis, ac zeli Nobis polliciti, magnoperè requirimus, ut ope, & authoritate ſuâ, & quibus maximè expedire duxeris mediis, occurras hujuſmodi conatibus, intuitu etiam relevandi animum noſtrum ab hac graviſſimâ curâ inter tot, ac tantas, quas perferimus, & officium Deo, Eccleſiæ, ac Nobis unicè gratum impendas. Nos interim Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die 19. Januarii 1709. &c.

ARGUMENTUM

Controverſiam de Eccleſia S. Georgii Græcorum Venetiis magno partium ſtudio agitatam Veneti Senatus Decreto publicæ pietati, & æquitati conſono fuiſſe diremptam gratulatur, ejuſdemque Senatus zelum magnoperè commendat.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Reipublicæ Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Quod ab eximiâ Nobilitatum Veſtrarum virtute, perſpectâque prudentiâ omni jure ſperandum videbatur, ut in dirimendâ controverſiâ, quæ circa Eccleſiam Sancti Georgii Græcorum inclytæ iſtius Civitatis magnâ animorum contentione agebatur, is demùm futurus eſſet exitus Judicii veſtri, qui publicæ pietati, & æquitati veſtræ quàm maximè congrueret, id prorsùs eveniſſe audito Decreto, quod ſummo, ut fertur, veſtrum omnium conſenſu in eâ cauſa nuper prodiit, libentiſſimè cognovimus. Neque verò ſine peculiari erga Nos Dei munere factum eſſe intelligimus, ut quo tempore cor noſtrum juſto dolore afficitur propter Eccleſiæ Catholicæ detrimenta, quæ undique ingruunt, & in dies magis cumulantur, accederet ope veſtrâ Pontificiæ noſtræ ſolicitu-

dini

dini ſolatium aliquod eò quidem gratiùs, quòd illud perenne fore confidimus. Non enim ambigendum eſt, quin ea, quæ hac occaſione providè, ac ſalubriter à Vobis favore ipſius Orthodoxæ Religionis conſtituta fuerunt, authoritate veſtrâ perpetuò communiantur. Charitatis itaque noſtræ eſſe duximus zelum veſtrum publico hoc teſtimonio à Vobis præclarè explicatum plurimùm in Domino commendare, ac teſtari Vobis ingens gaudium, quod inde hauſimus, parati uberiora, ubi res feret, Paternæ noſtræ erga Vos benevolentiæ documenta præbere: atque interim à Deo expetentes, ut tribuat Vobis ſecundùm cor veſtrum, & omne conſilium veſtrum dirigat, atque confirmet, Apoſtolicam Benedictionem Nobilitatibus Veſtris peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die nonâ Februarii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Poteſtatem Archiepiſcopo Mechlinienſi, ejuſque Suffraganeis Epiſcopis aliàs factam præcipiendi Superioribus tum Secularibus, tum Regularibus Eccleſiarum, aliorumque locorum immunium, ne inibi deſertionis, vel alterius criminis reos Milites recipiant, ad alium annum prorogat.

Venerabili Fratri, Humberto Guilielmo Archiepiſcopo Mechlinienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Plurimùm tribuentes præſtanti zelo Fraternitatis Tuæ, ac innixi tuo teſtimonio, quo admonemur vigere adhuc in iſtis partibus illas ipſas cauſas, ob quas, Te expetente, Tibi, tuiſque Epiſcopis Suffraganeis ſub die decimâ nonâ Februarii Anni milleſimi ſeptingenteſimi ſeptimi poteſtatem fecimus præcipiendi ſub pœnis ibi expreſſis Superioribus tum Secularibus, tum Regularibus Eccleſiarum, & ſacrorum locorum quorumcumque, etiam Conventuum, & Monaſteriorum, ne per annum ſubinde decurrendum auderent recipere, aut in iis locis immunibus retinere Milites, ſive deſertionis, ſive alterius cujuſcumque criminis reos, adjectâ etiam Tibi, eiſdemque Epiſcopis facultate procedendi adversùs contumaces, atque inobedientes juxta formam, & modum expreſſum tum in eiſdem literis, tum in aliis die tertiâ Decembris ejuſdem anni ad Te pariter in ſimili formâ Brevis datis, quibus eamdem facultatem ad alium annum prorogavimus: Nos, ut pergamus occurrere ſcandalis, quæ per hujuſmodi receptiones, ac retentiones Militum in locis immunibus timeri poſſent, facultatem, ut præfertur, Tibi, & eiſdem Epiſcopis indultam iterum ad annum ab ultimo die præfatæ prorogationis incipiendum extendimus, iterumque prorogamus, ita tamen ut Immunitas localis quoad ceteras Perſonas ad hujuſmodi ſacra loca confugientes ad præſcriptum Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum omninò ſervetur, in quo oneramus tuam pariter, & Epiſcoporum Suffraganeorum conſcientiam, qui cum participes ſint noſtræ ſolicitudinis, Nobiſcum ſedulò cavere debent, ne quid de jure, ac Immunitate Eccleſiæ depereat. Quod ſupereſt, in pignus Pontificiæ noſtræ charitatis Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 9. Februarii 1709. &c.

ARGUMENTUM

Approbat, & Apoſtolicâ authoritate confirmat Archiepiſcopi Tarſenſis ad Tractum Rheni Nuncii Apoſtolici declarationem, quâ Tractatum â Magiſtratu Colonienſi cum Acatholico Principe initum quoad damnatæ Sectæ exercitia, quæ ille domi Adminiſtri ſui in eâ Civitate reſidentis permitti contendebat, nullum, ac irritum denunciaverat.

Venerabili Fratri, Joanni Baptiſtę Archiepiſcopo Tarſenſi, Noſtro, & Apoſtolicę Sedis ad Tractum Rheni Nuncio.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Sperandum omninò Nobis eſſe videbatur Magiſtratum iſtius Civitatis Colonienſis veteris pietatis memorem, & noſtris etiam Paternis officiis, ac Fraternitatis Tuæ vocibus admonitum, ac confirmatum nihil unquam remiſſurum eſſe de eâ conſtantiâ, quâ primùm obſtiterat petitionibus Acatholici Principis magno ſtudio contendentis novum, ac inauditum exemplum favore ſuæ Sectæ iſthuc inducere. Verùm non ſine multâ animi noſtri moleſtiâ audivimus eumdem Magiſtratum, inito demum Tractatu, delectiſque arbitris exiſtimaſſe ſatis conſultum eſſe incolumitati orthodoxæ Fidei, ſi damnata Hæreticorum exercitia ab ipſa Civitate in præſens excluderentur: cæterum conſenſiſſe in aliquam conditionem, per quam differri potiùs, quàm adimi Catholicæ Religionis periculum videatur. Quamobrèm æquum omninò fuit, ut Fraternitas Tua pro demandato ſibi à Nobis munere ſtatim inſurgeret, ac palàm declararet non licuiſſe Magiſtratui Seculari cauſam Fidei cultum, & integritatem directè reſpicientem attingere, nec in concordiâ, quæ dicitur inter Partes inita, præſervare aſſerta jura Acatholici Principis. Ut autem omnibus perſpectum ſit, nedum grata Nobis extitiſſe, ſed rata à Nobis haberi ea, quæ pro indemnitate catholici cultus, inhærendo facultatibus Tibi à Nobis traditis, opportunè, ac neceſſariò hac occaſione præſtitiſti: Nos declarationem à Te editam, in quâ omnia, & ſingula obtentu ineundæ concordiæ in eo Tractatu contenta cum omnibus indè ſecutis, ac ſecuturis, quatenùs directè, vel indirectè Catholicæ Religioni præjudicium inferant, aut inferre aliquando poſſint, ſub ampliſſima formâ nulla, ac irrita denunciaſti, ac pro revocatis, caſſatis, nullis, invalidis, abolitis, viribuſque, executione, & effectu penitùs, ac omninò vacuis haberi voluiſti, per omnia approbamus, & Apoſtolicâ noſtrâ authoritate confirmamus; Tibi inſuper injungentes, ut ejuſmodi approbationem, & confirmationem noſtram notam omnibus reddi cures, & facias. Interim verò, ut pergas in officio eſſe, & vigilantiam tuam Nobis ſemper magis comprobare, Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ ſextâ Februarii 1709. &c.

ARGUMENTUM

Imperatoris zelum, & authoritatem enixè requirit, ut orthodoxæ Fidei incolumitatem ſtrenuè propugnet, quatenùs nullum ex Tractatu, de quo proximè, à Magiſtratu Colonienſi cum Acatholico Principe geſto præjudicium, aut detrimentum patiatur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Singularem prærogativam, quâ meritò gloriari poteſt Colonienſis Civitas, quòd ſcilicet Catholicæ Religionis cultum ita ſemper illibatum in ſe cuſtodierit, ut hæretica pravitas abominationes ſuas eò nunquam invexerit, ſartam tectam eſſe ſub auſpiciis Majeſtatis Tuæ magnoperè cupimus, ac fore omninò ſperamus. Nam quòd Acatholicus Princeps ſuâ potentiâ fretus vehementer contendat fas eſſe ſuo degenti in ea Civitate Adminiſtro intra privatas ſaltem ædes damnatos ſuæ Sectæ ritus exercere, id cum ibi prorsùs novum ſit, & hactenus inauditum, nullâ prorsùs æquitate inniti poteſt. Et quamvis Magiſtratus illius Civitatis, qui zelo ſervandæ puritatis Fidei incenſus, noſtriſque paternis monitis, & Nuncii noſtri vocibus confirmatus indebitæ petitioni eâ, quâ par erat, conſtantiâ ab initio obſtiterat, ſubindè ad Tractatum concordiæ deveniſſe dicatur, in quo ea ipſa aſſerta Acatholici Principis jura, quæ nullo modo admittenda eſſe intellexerat, præſervari conſenſit: quia tamen ei nullo modo licuit in causâ ſtatum Religionis directè reſpiciente paciſci, aditumque relinquere, ut idem propoſitum ab ipſo Acatholico Principe, ejuſue Adminiſtro vehementiùs aliquando urgeatur: Nos præter improbationem, ac irritationem præfati Actus concordiæ in eo, in quo lædit Religionem, à Nuncio noſtro, ut ſui muneris erat, palàm factam, atque à Nobis authoritate noſtrâ confirmatam, magnoperè à Te petimus, ut indemnitatem, atque integritatem Fidei, quatenus nullum ex ipſo Tractatu præjudicium, aut detrimentum perſentiat, validiſſimè tuearis; & Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ ſextâ Februarii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Arguit Epiſcopum Monaſterienſem, quòd ſuis monitis Magiſtratum Colonienſem adduxerit ad ineundum cum Acatholico Principe Tractatum, de quo ſupra, ac ipſum vehementer hortatur, ut Eccleſiæ, & Religionis indemnitati conſulere quamprimùm curet.

Venerabili Fratri, Franciſco Arnoldo Epiſcopo Monaſterienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Æquiùs nemo, quàm Fraternitas Tua, exiſtimare poteſt de magnitudine noſtræ ſolicitudinis, pro ſervandâ puritate Catholici cultus in Civitate Colonienſi, eo prorsùs modo, quo ibi ſemper viguit, hoc eſt præcluſo quocumque aditu hæreticæ pravitati, cum pro loco, in quo conſtitutus es, profectò non ignores, cuſtodiam, atque ſalutem Dominici Gregis præcipuam eſſe curam Eccleſiæ Paſtoris. Quod quidem noſtrum propoſitum multò magis perſpectum Tibi fuiſſe credimus tum, cum opem tuam omni ſtudio requiſivimus, ubi ſcilicet Nobis innotuit agi acriter, ac vehementer in eâ Civitate de perturbando pacifico orthodoxæ Religionis ſtatu, eo quòd Acatholicus Princeps præſumeret jus, ac fas eſſe ſuo ibi reſidenti Adminiſtro damnatos Hæreticorum ritus intra privatas ſaltem ædes exercere, ac prætereà contenderet, quòd ad removendos graviſſimos obices, quos offenderat, hæc controverſia per Arbitros utrinque deligendos dirimeretur. Et ſanè ſpes erat irritos demum fore hujuſmodi conatus, cum Magiſtratus Colonienſis per ſe probè animatus, noſtriſque literis, ac vivâ voce Venerabilis Fratris Joannis Baptiſtæ Archiepiſcopi Tarſenſis Nuncii noſtri feriò, ac graviter præmonitus indebitæ petitioni ab initio conſtanter obſtitiſſet, meritas propterea laudes à Nobis ſubinde conſecutus, quòd retento Majorum ſuorum more, ac exemplo nihil ſibi attingendum eſſe intellexiſſet, quod ad Religionis ſtatum pertineret. Verùm, dum propter alias multas hac occaſione excitatas difficultates, atque querelas totum negotium in deliberatione adhùc verſaretur, aut certè protraheretur, eò allatæ ſunt tuæ ad Magiſtratum literæ magnoperè improbantes omnem moram, ac cunctationem in ſedandâ hac controverſiâ, ac vehementer urgentes neceſſitatem conciliandi Civitati gratiam Acatholici illius Principis, ne fortè deteriora, ut dicebatur, contingerent. Porrò eventus ipſe docuit tui nominis abuſum, tuorumque officiorum authoritatem ad rem celeriùs conficiendam momenti plurimùm attuliſſe, quâ in re illud valdè Nobis dolendum eſt, quòd Magiſtratus ita properaverit ad exitum ejus Tractatus, ut paſsus ſit in eo adiici conditionem, per quam præſervari dicuntur aſſerta ejuſdem Acatholici Principis jura, quæ tamen nulla eſse, ac nulla eidem competere omninò ſcire debebat, ac per hoc reliquerit quodammodò ipſi Principi, ejuſve Adminiſtro locum perturbandi perpetuò illibatum hactenùs Catholicæ Religionis ſtatum in præfatâ Civitate Colonienſi. Et licet idem Nuncius noſter Tractatum, & Actum hujuſmodi concordiæ in eâ parte, in qua reſpicit, ac lædit Religionem, pro ſuo munere palàm improbaverit, ac irritaverit, Noſque hujuſmodi declarationem, utpotè opportunam, ac neceſsariam Apoſtolicâ noſtrâ authoritate

con-

confirmaverimus, & approbaverimus; nihilominus facere non poſsumus, quin Te iterum, iterumque hortemur, atque obteſtemur, ut ſatagas iis remediis, quæ tuæ authoritati, ac zelo deeſse non poſsunt, tuoque honori, ac conſcientiæ ſummoperè conveniunt, conſulere indemnitati ejus Ecleſiæ, & occurrere periculo, quod facilè ei imminere poſset, ſi ex vi adjectæ in eo Tractatu præſervationis jurium illud Ipſum, quod nuper attentatum eſt de invehendis illuc exercitiis Hæreticorum, iterùm, multòque vehementiùs, ut timere eſt, promoveretur. Quod dum eo, quo oportet, fervore à Fraternitate Tua factum iri confidimus, Apoſtolicam ei Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ ſextâ Februarii 1709. &c.

ARGUMENTUM

Academiæ Lovanienſis pro ſanâ doctrinâ zelum, quem & datis ad Suam Sanctitatem literis, & miſſo Formulario Alexandri VII. propriâ cujuſque Doctoris ejuſdem Academiæ manu ſubſignato, luculenter teſtata fuerat, meritis in Domino laudibus ornat.

Dilectis Filiis, Doctoribus, & Regentibus Collegii ſtricti Facultatum utriuſque Juris in Academiâ Lovanienſi.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, ſalutem &c. Æqua, ac præclara opinio, quam gerimus de ſingulari pietate veſtra, ac conſtanti in Nos, & in Apoſtolicam Sedem reverentiâ, tum etiam de eximiâ, quâ præſtatis, ſacrarum, humanarumque rerum peritiâ, facilè Nobis perſuaſit Vos nedum obſequenti animo amplexuros eſse ea, quæ pro cuſtodienda ſana doctrinâ, evellendiſque prorsùs Janſeniani erroris radicibus à Nobis dudum conſtituta fuerunt, ſed præclarum aliquod, cum res expoſceret, zeli veſtri ſpecimen edituros, per quod veritatem, ut oportet, palàm profiteri, ſeque noſtræ, & Eccleſiæ authoritati ſubiicere ceteri omnes exemplo veſtro condiſcerent. Quod cum ex literis veſtris, & ex adjecto eiſdem Formulario fel: record: Alexandri Papæ Septimi veſtrâ manu obſignato factum à Vobis eſse intelligamus, poſt debitas in Domino laudes, teſtimonium hoc Paternæ noſtræ charitatis deferimus, ampliora ejuſdem documenta, ubi facultas erit, ac ſuppetet occaſio, daturi Vobis, Dilecti Filii, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 16. Februarii 1709. &c.

ARGUMENTUM

Cum aliquot ante annos ad Regem Perſarum literas dediſſet, quibus Catholicorum in ejus ditione verſantium rationes, & quemdam Iſraelem Ory earum latorem magnoperè commendaverat: ipſe verò Iſrael, ſtatim ac ad illas partes pervenit, Catholicos omnes acerbè exagitandos ſuſcepiſſet; eidem Regi fraudem ſignificat à præfato Iſraele adhibitam, quem nullâ honoris ſignificatione dignum eſſe oſtendit, & ab iniquis contra Catholicos attentatis Regiâ authoritate revocari, & cohiberi poſtulat.

Illuſtri, ac Potentiſſimo Regi Perſarum.

CLEMENS P.P. XI.

Illuſtris, ac Potentiſſime Rex, ſalutem, & lumen Divinæ Gratiæ. Cum noſtri muneris ſit, omnibus Pontificiæ, ac Paternæ noſtræ charitatis officiis adeſſe Chriſtianis Catholicis Romanæ Eccleſiæ adhærentibus, atque unitis, qui in diverſis, etſi remotis, Terrarum partibus commorantur, quatenùs ipſis ope noſtrâ concilietur favor, & gratia eorum Principum, quorum illi Ditiones continenter incolunt, aut frequenter adeunt: hoc ipſum inprimis curandum, atque agendum Nobis eſſe duximus apud Celſitudinem Tuam tum propter perſpectam Nobis tuæ Dignitatis, atque potentiæ amplitudinem, tum quia Te æquo in omnes, ſed in Chriſtifideles peculiariter, propenſo animo eſſe arbitramur, tum demum quia de egregia tuâ, & ſyncerâ in Nos voluntate plurimùm Nobis pollicemur. Complexi itaque libenter oblatam Nobis ante aliquot annos occaſionem advenientis in iſtas partes Iſraelis Ory plurimorum teſtimonio Nobis commendati, literas eidem noſtras datas ſub die quintâdecimâ Julii Anni milleſimi ſeptingenteſimi quinti ad Te perferendas tradere voluimus, in quibus præter officioſam, & quidem ſedulam, atque accuratam commendationem ipſius Iſraelis, quem Catholicorum rebus omni ſtudio, ac zelo, eaque fide, quâ ſe obſtringebat, affuturum eſſe confidebamus, illud expreſsè, tanquam præcipuum earum literarum argumentum, ac votorum noſtrorum ſummam à Te expetebamus, ut Catholicos addictos Romanæ Eccleſiæ in tuis Regnis degentes, vel in partes iſtas, quandoque commigrantes, ab Adminiſtris tuis humaniter haberi, ac pertractari mandares, nec ullo modo ſineres eos ullum, vel in perſonis, vel in facultatibus ſuis detrimentum injurioſè perpeti, neque vexari ab inſidiis, atque calumniis quorumdam hominum, qui, cum noſtræ Fidei deſertores ſint, nihil antiquius habent, quàm veros Catholicos acerrimè inſequi, ac in extremas quaſque calamitates, atque anguſtias coniicere. Hac itaque mente, atque propoſito ad Te, arreptâ eâ opportunitate, perſcripſimus, ſed non ſine ingenti animi noſtri dolore ſubIndè intelleximus memoratum Iſraelem Ory eodem officio noſtro temerè abuſum viam prorsùs oppoſitam voluntati noſtræ iſthìc iniiſſe, & præſidium Catholicis, quod ſe allaturum disertè affirmaverat, adeò nullum præſtitiſſe, ut imò ipſos magnoperè perturbaverit, atque contriſtaverit, &, quod iniquiſſimum eſt, Deſertores noſtræ Fidei ſupra ipſos Catholicos, atque ita errorem ſupra veritatem, extulerit; ità demùm ſe geſſerit, tanquàm ſi iſthùc à Nobis immiſsus fuiſſet ad opprimendos veros filios Romanæ Eccleſiæ, quorum ſalutem, libertatem, atque indemnitatem, ſi Deum juſtum judicem reſpexiſset, aut Nobis ob-

ſequi

ſequi voluiſset, promovere inprimis debebat. Quamobrèm operæ pretium eſse duximus, ut à Nobis ſcires, neque ullâ fide, neque tuis auſpiciis, neque ullâ honoris ſignificatione dignum eſse Iſraelem Ory, ſed imò authoritate tuâ deterrendum eſse ab iniquis attentatis contra Catholicos, qui cum Romanâ Eccleſiâ in Fidei unitate conſentiunt, quibus quidem optamus, ut Te propitium in omnibus exhibeas, & vices à Nobis, ubi facultas erit, in his, quæ grata Tibi eſse exiſtimabimus, uberrimè referes. Datum Romæ &c. die ſecundâ Martii 1709. &c.

ARGUMENTUM

Cardinali de Tournon reſcribit maximam ſuſcepiſſe lætitiam ex ejus literis, quibus ſalvum ſuum ad Sinarum Imperium adventum, & honoris ſignificationes ſibi ab Imperatore delatas nunciaverat. Auditâ poſtmodùm rerum converſione, quòd ſcilicet Imperator eidem Cardinali ſuccenſuiſſet, ſubdit Pontifex ſe ſummo dolore fuiſſe affectum, quem tamen ex eo leniri oſtendit, quòd præter ipſius Cardinalis culpam id eveniſſe compertum habeat. Certiorem deindè illum facit de officio apud Imperatorem interpoſito, ut eum in priſtinum honoris, & gratiæ locum reſtituat, ipſique Europam repetendi libertatem largiatur. Poſtremò Cardinalem ad tolerandas ſtrenuo, conſtantique animo pro Dei causâ quaſcumque ærumnas paternè adhortatur.

Dilecto Filio Noſtro, Carolo Thomæ, S. R. E. Presbytero Cardinali de Tournon.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Acceptis jampridem literis tuis, quibus diligenter edocti fuimus, quantoperè gratus, atque jucundus acciderit potentiſſimo Sinarum Imperatori tuus in iſtas Regiones adventus, quàm amplis, & luculentis honoris ſignificationibus Ipſe ſubinde Te exceperit, quàmque illuſtria benignitatis, & munificentiæ argumenta Tibi indeſinenter exhibuerit: ingenti ſanè lætitiâ, ut par erat, repleti fuimus, ſuperabundavimus gaudio, & levantes manus noſtras ad Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis humiles Illi gratias egimus, quòd in maximis, graviſſimiſque curis, quas pro ſuſcepto Officio aſſiduè ſuſtinere cogimur, lætioribus nunciis è longinquioribus ſaltem Orbis Terrarum partibus opportunè prodeuntibus reficere Nos, & conſolari dignatus eſſet. Brevis tamen extitit lætitia noſtra, & extrema gaudii citò luctus occupavit, cum paulò poſt allatum ad Nos fuerit Imperatoris erga Te benevolentiam, & gratiam uſque adeò imminutam eſſe, ut dubitare ſe declaraverit, num verè noſter, & hujus Sanctæ Sedis Adminiſter eſſes, offenſumque, ac ſubiratum Tibi animum aliis etiam non obſcuris indiciis patefecerit. Gravem profectò ex ejuſmodi rerum converſione dolorem hauſimus, quoniam ſpem illam brevi areſcere perſpeximus, quam ex felicibus adeò initiis meritò ſuſceperamus, uberiores iſthic animarum fructus in horrea Domini congregandi. Verumtamen mœrorem hunc noſtrum haud mediocriter ea conſolatio levavit, quòd infortunium tuum tuæ culpæ aſſignari non poſſe certò credimus; nulla enim pacto

adduci poſſumus, ut arbitremur Te umquam debitis maximo, præſtantiſſimoque Principi obſequiis defuiſſe, cujus præclaras animi dotes ſummis ipſe apud Nos laudibus extuliſti, & à quo plurimis etiam, ac inſignibus cumulatum Te fuiſſe beneficiis palàm profeſſus es. Minùs etiam vereri poſſe videmur Te apud illum propterea offendiſſe, quòd Ipſe moleſto tulerit animo à Te iſtis Evangelicis Operariis ſignificatos fuiſſe noſtros, & Apoſtolicæ Sedis ſenſus à Nobis die vigeſimâ Novembris Anni milleſimi ſeptingenteſimi quinti explicatos quoad ritus quoſdam, & cæremonias Sinenſium. Cum enim benigniſſimè jamdudum permiſerit in ampliſſimo ſuo, ac florentiſſimo Imperio Chriſtianam Religionem liberè ſuſcipi, & exerceri, conſequens omninò eſt, ut pari benignitate patiatur ab ejuſdem Religionis Sectatoribus eos dumtaxat obſervari ritus, & mores, qui Chriſtianis legibus conſonant, illoſque ex oppoſito devitari, qui earumdem legum præſcripto adverſantur. Hæc porrò regula uſque adeò rationi conſentiens, & juſta eſt, ut ab æquiſſimo Principe, qualem eſſe accepimus Sinarum Imperatorem, nullo modo rejicienda videatur. Quapropter datis noſtris ad Ipſum literis, quarum exemplar præſentibus adjunctum ad Te mittimus, noſtrum eâ de re ſenſum Illi diſertè explicavimus; nec ſanè perſpecta Principis Juſtitia, & humanitas dubitare Nos patitur, quin, rei veritate ex Nobis intellectâ, deſiderio, votiſque noſtris obſecundaturus libenter ſit. Magnam inſuper in ſpem adducimur fore ut, quod ab Ipſo inprimis impenſiſſimè flagitamus, Te in priſtinum honoris, & gratiæ locum benignè reſtituat, libertatemque Tibi largiatur Europam repetendi, adeòque calamitatem, in quâ poſitus es, brevi ceſſaturam eſſe confidimus. Intereà verò, Dilecte Fili Noſter, etſi mala, quæ pateris, quæque præcipua, ac verè Paterna noſtra erga Te charitas Tecum Nobis communia facit, gravia quidem, & aſpera ſint, æquo tamen, conſtantique animo illa perferre perge, pro comperto habens maximam apud Omnipotentem Deum retributionem Tibi paratam eſſe; dum Nos Divinam bonitatem in humilitate cordis noſtri aſſiduis precibus rogantes, ut ſuâ cœleſti ope Tibi jugiter adeſſe dignetur, Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noſter, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum &c. die ſecundâ Martii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono,

ARGUMENTUM

Sinarum Imperatorem impensè laudat; quòd Cardinalem de Tournon Viſitatorem Apoſtolicum à Sanctitate Suâ in illas partes allegatum honorificè primùm exceperit. Deindè acerbè dolet, quòd non obſcura indignationis in eum argumenta prodiderit, & quæ ipſe de ritibus, & cæremoniis Sinicis decreverat, Pontificio mandato egiſſe profitetur. Petit poſtmodùm, ut Chriſtianis in illo Imperio degentibus humanitatis officia Progenitoribus, Magiſtriſque ſuis eo modo perſolvere liceat, qui puritati, & ſanctitati Chriſtianæ Religionis non adverſetur; ac demum, ut prædictum Cardinalem in priſtinum gratiæ, honoriſque locum reſtituat, & Chriſtianos, ac præſertim Evangelicos Operarios benignè fovere velit, ab eodem Imperatore enixè flagitat.

Illuſtri, ac Potentiſſimo Utriuſque Tartariæ, ac Sinarum Imperatori.

CLEMENS P.P. XI.

Illuſtris, ac Potentiſſime Imperator, ſalutem, & lumen Divinæ gratiæ. Quemadmodùm majori nunquam gaudio perfuſum eſt cor noſtrum, quàm cum audivimus excelſum, ac longè clariſſimum Principem, qualem Te eſſe nemo ignorat, ipſaque Imperii, cui præes, amplitudo, & ſingularis, quâ præditus es, ſapientia, tuique nominis, ac potentiæ celeberrima, nedum per Europam, ſed per Orbem univerſum fama teſtatur, præcipuis honoris ſignificationibus excepiſſe Dilectum Filium Noſtrum Carolum Thomam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem de Tournon, tunc temporis Patriarcham Antiochenum à Nobis allegatum in tuum iſtud ampliſſimum Sinarum Imperium, tum ut partes Superioris, ac Viſitatoris iſtarum Miſſionum ſuſciperet, & obiret, tum ut debitas gratias, eaſque uberrimas noſtro nomine Tibi ageret, quòd Operarios Evangelicos iſthùc anteà profectos multis, ac magnis beneficiis cumulaſſes, ita profectò inexplicabili dolore correpti fuimus tunc, cum percepimus felicem illam tui favoris, ac gratiæ, quam idem Cardinalis aſſequutus fuerat, auram non multò poſt defeciſſe, animumque tuum, quem ille uſque adeò propitium expertus fuerat, ita ſubindè ab eo alienum factum fuiſſe, ut Tibi ambigendum eſſe videretur, num ille verè inſignitus eſſet munere Adminiſtri noſtri, ac fidem promereretur, demùm non obſcura tuæ in eum indignationis ſigna à Te prodiiſſe. In hac porrò graviſſimâ curâ, ac moleſtiâ, quæ his auditis à Nobis contracta nunquam profectò Nos deſerit, illud ſaltem aliquâ ex parte Nos recreat, quòd certi ſumus nihil tam contrarium fuiſſe menti, ac propoſito ejuſdem Cardinalis, quàm velle Te lædere, aut ullo modo Tibi diſplicere. Ut quid enim ſuſpicabimur eum defuiſſe debito obſequio erga Te tantæ Dignitatis Principem, quem plurimis, & quidem effuſis laudibus ob ſumma decora, ac ſublimes dotes, quas in Te ſuſpexit, in ſuis ad Nos literis extulit, non ſemel profeſſus ſe verbis explicare non poſſe, quàm multa, & quàm præclara à Te inſignis clementiæ, ac incomparabilis munificentiæ argumenta retuliſſet. Multò minùs ſuadere Nobis ipſis poſſumus Te ægrè, aut acerbè tuliſſe, quòd ille circa ritus quoſdam, ac cæremonias Sinenſium Evangelicis Adminiſtris denunciaverit noſtros, & Apoſtolicæ

hujus Sedis ſibi notos ſenſus, quos antehac explicavimus; Cùm enim Tu ipſe eximio tuæ benignitatis exemplo, cujus memoria Chriſtianorum Annalibus jam inſcripta nunquam interibit, jampridem indulſeris, ac edixeris fas fore in poſterùm in tuis Ditionibus Chriſtianam Religionem profiteri, arbitrari profectò debuit Cardinalis Te eadem clementiâ annuere debere, quòd illis, qui in tuo Imperio hanc ipſam legem amplexi fuerunt, ſicuti permiſſum eſt conformare ſe moribus huic Inſtituto congruis, ita ab iis liceat è contra abſtinere, quæ ab ejuſdem legis præſcripto diſſentiunt. Id porrò diſertiùs explicare poſſe ſperamus, poſtquam ea accuratè luſtraverimus documenta, quæ ab illis allata ſunt, qui iſthinc in has noſtras partes miſſi Romam nuperrimè advenerunt, quos benignè jam, ac libenter exceptos benigniùs in poſterum, ac libentiùs audire parati ſumus, eo potiſſimùm nomine, quia proſperam ſalutem tuam Nobis nunciarunt. Interim plurimùm refert, ut Tibi omninò compertum ſit nullo modo à Nobis improbari, quòd inclyta Sinenſium Natio grato, ac memori ſit animo erga Progenitores, ac Magiſtros ſuos, quibus ſe multum debere intelligit; ſed id unum, quod æquitati eſſe conſonum pro tua ſpectatâ prudentiâ agnoſces, id unum expetimus, ut liceat Chriſtianis hujuſmodi humanitatis officia iis modis perſolvere, qui non repugnant puritati, ac ſanctitati noſtræ Religionis, diſtrictè vetantis ulli creaturæ, utcumque excellenti, cultum illum adhiberi, qui uni, ac vero Deo, Cœli, & Terræ Creatori, ac Domino debetur. Sed æqui jam, bonique conſulas, Illuſtris, ac Potentiſſime Imperator, quòd precibus tecum agamus, & enixè à Te expetamus, ut ipſum Cardinalem in priſtinam gratiam recipere velis, & ad plenam libertatem redire facias, & quòd ad magnanimitatem tuam inprimis ſpectat, in eos etiam honores reſtituas, quos illi, cum Te primùm adiit, cumulatè à Te delatos Nos ipſi Tibi acceptos ferimus. Quod eò fidentiùs à Te requirimus, ac ſperamus, quòd Nos eumdem Patriarchali munere in ſuo iſthùc adventu inſignitum, ubi tam ſplendidè à Te habitum fuiſſe audivimus, ad Cardinalatus Dignitatem eveximus, quæ ſummæ amplitudinis eſt in Eccleſiâ, & poſt Pontificalem, præcipua; rati profectò eſſe ſummoperè decorandum, qui tam honorificè à Te excipi meruit, illumque digniori, quo poteramus, gradu à Nobis exornandum, qui noſtro nomine in florentiſſimo tuo Imperio reſideret. Admonet interea Nos Apoſtolica charitas, quâ impellente hæc omnia ad Te perſcribimus, ut non omittamus Tibi impensè commendare incolumitatem Chriſtianæ legis in iſtis partibus, & ejuſdem legis Profeſſores, quotquot in tuis feliciſſimis Ditionibus, hoc nomine cenſentur, ac peculiari modo Operarios Evangelicos, qui freti tuâ benignitate iſthùc perrexerunt, homines tuis auſpiciis planè dignos, quorum, inter cetera pietatis ſtudia, illud eſt Inſtitutum non tam verbis, quàm exemplo aliis Fidelibus annunciandi, nemini dare ullam offenſionem, pacem quærere, viam manſuetudinis inſiſtere, debitam publicæ authoritati, ſummiſque Principibus, eorumque Adminiſtris reverentiam, fidem, ac obedientiam, ſalvâ eâ, quæ Deo inprimis debetur, præſtare: à quibus ſtudiis, eos tum ſpontè, tum monitu noſtro, tum ad Præcepta Chriſtianæ Religionis implenda, nunquam receſſuros eſſe ſperamus. His itaque Operariis ne patiaris ullas moleſtias inferri, ullos obices opponi, quominùs officio ſuo vacent, etiam, atque à Te petimus. Quod ſi fortè aliquid gravius in eos noviſſimè conſtitutum fuit, erit tuæ ſummæ clementiæ id ipſum abrogare, quatenùs tuæ ſupremæ authoritatis præſidio communiti, optatâ, ut priùs, tranquillitate perfruantur. Atque hæc ſunt, quæ in levamen ſolicitudinis noſtræ à Te ex-

po-

poſcenda Nobis in præſens occurrunt, in quibus Te votis noſtris libenter, atque alacriter aſſenſurum Nobis eſſe pollicemur, tum quia par eſt de æquitate, ac præſtantiâ tuæ voluntatis egregiè ſentire, tum quia ſpem noſtram metimur ex ingenti deſiderio, quod gerimus demerendi animum tuum. Si quid enim unquam à Nobis præſtari poterit, quod Tibi gratum futurum eſſe intelligemus, illud à Nobis, quantùm itinerum difficultas, & locorum intervalla patientur, paratiſſimum Tibi erit. Quod ſupereſt, ſalutem Tibi, Illuſtris, ac Potentiſſime Imperator, & ſupernæ gratiæ lumen ex animo apprecamur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 2. Martii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Cardinali de Tournon in Sinico Imperio vexati rationes, & cauſam Regi Portugalliæ enixè commendat, à quo inſuper expetit, ut ſtrenuam dare operam velit, quatenùs ii, ad quos pertinet, Apoſtolicæ Sedis Reſponſis quoad Ritus Sinenſes obtemperent.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joanni Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Ex iis, quæ Dilectus Filius Andreas de Mello de Caſtro Majeſtatis Tuæ Ablegatus diſertè Nobis retulit, jampridem Tibi innotuiſſe cognovimus graviſſimas moleſtias, & ærumnas, quibus nunc Evangelici Operarii in Sinarum Imperio vexantur, nec planè dubitamus, quin ex illorum calamitate eum hauſeris dolorem, quo affici par eſt piiſſimum Regem, qui à clariſſimis Majoribus ſuis non tam ampliſſimæ, florentiſſimæque Ditionis, quàm eximii pro Orthodoxa Religione zeli hæreditatem accepit. Porrò ex eo, quo Majeſtas Tua premitur, animi mœrore facilè metiri, ac deprehendere poterit noſtrum; quandoquidem Paſtoralis Muneris noſtri ratio à Nobis exigit, ut ſicuti nedum iis etiam, qui longè ſunt, debitores ſumus, ita ſanè paſcendi, dirigendique Chriſtiani Gregis ad viam ſalutis æternæ in remotioribus quoque Terræ plagis ſolicitudinem quàm maximam ſuſcipiamus. Animi autem noſtri ægritudinem, quamvis acerbiſsimam, illud aliquâ ex parte lenivit, quòd Sinicas perturbationes potiſsimùm manaſſe percepimus ex Mandato quodam, quod Dilectus Filius Noſter Cardinalis de Tournon Commiſſarius, & Viſitator à Nobis in illis partibus ſpecialiter delegatus inibi promulgavit quoad Ritus quoſdam, & Cæremonias Sinenſes. Imperatori ſiquidem Sinarum ſuggeſtum fuiſſe audivimus ipſum Cardinalem ſuâ ſpontè, ac voluntate ad ejuſmodi Mandati promulgationem deveniſſe. Confidimus autem omninò fore, ut poſtquam ipſi Imperatori innotuerit Cardinalem hac in re ultrò nihil egiſſe, quinimò in illius Mandato contenta iis, quæ eadem in re, prævio diuturno, maturo, ac diligentiſsimo examine à Nobis jamdudum, nempè die vigeſimâ Novembris milleſimi ſeptingenteſimi quarti, decreta fuerunt, conſonare: idem Imperator, eâ ipsâ ſuadente æquitate, qua illum præditum eſſe intelleximus, facilè deponat, abiiciatque ex animo, quam in prædictum Cardinalem ſuſcepit, in-

dignationem, & ſicuti benignè dudum indulſit, edixitque in ampliſsimo Imperio ſuo, ut quicumque vellent, liberè amplecti, ac profiteri poſſent Chriſtianam Religionem, ita eam profitentibus pari benignitate permittat, ut eos ſequantur mores, qui Chriſtianæ Legi conſentanei ſunt, & ab iis contra abſtineant, qui ejuſdem Legis præſcripto repugnare noſcuntur. Hac ducti fiduciâ ad ipſum Imperatorem literas dedimus, quarum exemplar Majeſtati Tuæ mittimus præſentibus adnectendum. Potiorem tamen ſpem noſtram in valido, benignoque Majeſtatis Tuæ patrocinio reponimus, & collocamus, eamque, quanto maximo poſſumus, animi ſtudio rogamus, ut iis adhibitis mediis, quæ ad id magis opportuna, ac utilia fore judicaverit, felicem rei ſucceſſum, qui tum à Majeſtate Tua, tum etiam à Nobis communibus votis expetitur, juvare, ac urgere vehementer velit, ſimulque ſtrenuam navet operam, ut ii, ad quos pertinet, Apoſtolicæ Sedis Reſponſis, ut par eſt, morem gerant, & obſequantur; præſertim cum illos, qui è Sinarum Imperio Romam noviſſimè advenerunt, benignè audire, ac nova, quæ ipſi quoad controverſias Sinacas indè attulerunt, documenta maturè, ac diligenter perpendere parati ſimus. Ceterum quod ex eodem Majeſtatis Tuæ Ablegato percepimus, memoratum ſcilicet Cardinalem de Tournon aliqua in re apud Majeſtatem Tuam offendiſſe, id certè Nobis perindè moleſtum accidit, ac inopinatum; cum verò conjicere nequeamus cauſas, ob quas id evenerit, de totâ re diligenter edoceri curabimus, ut quod uſquequaque æquum fuerit, decernere valeamus. Intereà pro explorato habemus id minimè impedimento futurum, quominùs Majeſtas Tua inſitum ſibi eximium, avitumque Divini honoris, & Orthodoxæ Religionis zelum hac etiam occaſione luculenter explicet, teſtatumque omnibus palàm faciat Fidei cauſam reliquis humanis rationibus quibuſcumque ſibi longè potiorem eſſe, & antiquiorem. Quod ſi feceris, quemadmodùm egregiè Te facturum eſſe non ambigimus, glorioſum tuum Nomen glorioſius profectò reddes, Tibique, ac Regiæ Domui tuæ cœleſtium Benedictionum copiam uberrimam conciliabis. Pluribus Tecum ſuper his aget Dilectus Filius Noſter Cardinalis de Comitibus noſter, & hujus Sanctæ Sedis apud Majeſtatem Tuam Nuncius, quem ut libenter audire velis, magnoperè à Te petimus, dum Nos, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, prçcipuç, qua Te in Domino amplectimur, charitatis indicem, Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 2. Martii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

AR-

ARGUMENTUM

Graviſſimè conqueritur cum Rege Portugalliæ de multiplicibus, atrocibuſque injuriis, & contumeliis, quibus Cardinalis de Tournon, ejuſque Socii à Regiis Officialibus in Machaonenſi Civitate affecti fuerant, & à Majeſtate Suâ, ut in ipſos Officiales ſeverè animadvertat, & Cardinali, ac Sociis Europam repetendi libertatem largiri velit, vehementer expoſcit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joanni Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Scriptis ante duos dies ad Majeſtatem Tuam aliis literis noſtris eximiam, & Orthodoxo Rege verè dignam pietatem tuam vehementer excitavimus, ut Evangelicos Operarios in Sinarum Imperio laborantes benignè tueri vellet, & commotam in ipſos gravem ſanè procellam opportunis interpoſitis officiis componi ſatageret, ſtrenuamque præterea navaret operam, ut ii, ad quos pertinet, Apoſtolicæ Sedis Reſponſis circa Ritus quoſdam, & Cæremonias Sinenſes, ut par eſt, morem gerant, ac obtemperent. Nec planè dubitamus, quin Majeſtas Tua ad omnia præclara opera ſuâ ſponte ſatis incitata, deſiderio noſtro obſecundatura ſit eo ipſo præſtanti zelo, ac ſtudio, quo eam, ubi Divini honoris, & Catholicæ Religionis negotium agitur, inflammari, ac incendi probè novimus. Intereà verò ex pluribus Dilecti Filii Noſtri Cardinalis de Tournon heſternâ die ad Nos allatis literis inaudivimus Ipſum juſſu Sinarum Imperatoris menſe Junio anni milleſimi ſeptingenteſimi ſeptimi ad Machaonenſem Civitatem fuiſſe devectum, ut ibi conquieſceret, uſque quò antedicta procella ſedaretur. Porrò longè ſæviorem procellam in ipſo ad illius quietem delecto loco ſubire coactus fuit, nam Didacus de Pinho Tereyra Capitaneus Generalis nuncupatus, & ceteri, quotquot inibi ſunt, Majeſtatis Tuæ Officiales, & Adminiſtri, quin & ipſe Epiſcopus Machaonenſis, qui etiam Conſiliarii tui honore gloriatur, nullâ ſacri caracteris, nullâ præſtantiſſimæ Dignitatis, nullâ Eccleſiaſticarum ſanctionum, nullâ denique Juris gentium, quod apud barbaras quoque Nationes ſacroſanctum, ac inviolabile eſt, habita ratione, eumdem Cardinalem, ejuſque Familiares injuriis, & contumeliis acerbiſſimis, ac penè incredibilibus affecerunt, adeò ut ipſi non ſinè lachrymis uſurpandum multoties fuerit illud Canticorum: *Filii Matris meæ pugnaverunt contra me.* Primùm enim Officiales, & Adminiſtri tui Domum ab eo in prædictâ Civitate conductam multorum Militum diurnâ, nocturnâque cuſtodiâ, qui ipſum, ut captivum detinent, muniverunt; deindè illi exercitium Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, & facultatum Legationis Apoſtolicæ, quas ei ampliſsimas attribuimus, interdixerunt; poſtmodùm univerſis Machaonenſibus Civibus, propoſito Edicto, inhibere auſi ſunt, ne cum eodem Cardinali ullum commercii genus haberent; demùm ex illius Familiaribus, & Sociis alterum, & quidem Sacerdotali gradu inſignitum, in cuſtodiam tradiderunt, alios verberibus cæciderunt, omnes (uno verbo) ipſis exhorreſcentibus Ethnicis, miſerandum in modum, ac hoſtili prorsùs animo afflixerunt, adeòut Cardinalis, ejuſque comites Martyrii coronam, quam in Sinarum Imperio à Paganis recipere

nequiverunt, à Chriſtianis jam expectare poſſe videantur. Quantoperè ex hujuſmodi factorum atrocitate commoti ſimus, quàmque intimum, & planè acerbum dolorem indè ſuſceperimus, ſatis verbis explicare non poſſumus; certi autem ſumus haud leviori moleſtiâ piiſſimum Majeſtati Tuæ animum, cum hæc audiverit, affectum iri, eaque Regiæ deteſtationis ſuæ argumenta daturum, quæ rei indignitas à perſpecta Majeſtatis Tuæ juſtitiâ, & conſuetâ erga Sanctam hanc Sedem, & Eccleſiaſticum Ordinem reverentiâ poſtulat. Nos intereà Te de his omnibus per celerem Tabellarium edocere conſentaneum duximus, ut inde certiùs graviſſimam animi noſtri ſolicitudinem deprehendas, qua impellente Majeſtatem Tuam hortamur, & enixè etiam rogamus, ut memorato Cardinali, ejuſque Sociis, libertatem repetendi primo quoque tempore Europam largiaris. Reliquum eſt, Chariſſime Fili Noſter, ut Officiales tuos, qui non modò ab omni humanitatis, & Juſtitiæ lege, ſed ab ipsâ etiam Majeſtatis Tuæ rectiſſimâ mente, ac voluntate adeò turpiter diſceſſerunt, gravioribus jam Eccleſiæ cenſuris, & pœnis mulctatos, iis inſuper, quæ à poteſtate tua pendent, animadverſionibus ita coerceas, ut intelligant omnes, & præcipuè Sinenſes, qui Legato Apoſtolico omnes planè honoris, & reverentiæ ſignificationes perpetuò exhibuerunt, Te & injurias ipſi illatas moleſto accepiſſe animo, & eas impunitas minimè reliquiſſe. Quod ubi feceris, gravem profectò dedecoris notam inclytæ Luſitanæ Nationi irrogatam abſterſeris, quæ non tam ampliſſimis, remotiſſimiſque Dominiis ſuo ſanguine partis, quàm ſingulari, perpetuoque ſuo in hanc Sedem, & illius Adminiſtros obſequio meritò gloriatur. Omnipotens Deus, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, det Majeſtati Tuæ in ſuo timore ſemper proficere, eamque ad Nominis ſui gloriam, univerſæque Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem diù, ſicuti cupit, ſoſpitem, incolumemque conſervet, dum Nos ipſi præcipuæ, ac verè Paternæ charitatis noſtræ teſtem, Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die quartâ Martii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Venetæ Reipublicæ ſignificat comprobatos fuiſſe ab Imperatore Articulos, de quibus inter Pontificium, & Cæſareum Plenipotentiarios Romæ conventum fuerat, gratumque erga ipſam Rempublicam ob multa, atque præclara ab eâ in hunc ſcopum impenſa officia animum profitetur.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Reipublicę Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Certiores non priùs, quàm biduo ante facti Majeſtatem Cæſaream comprobaſſe Articulos, de quibus inter noſtrum, & ejuſdem Majeſtatis Plenipotentiarios hic conventum fuerat, pro dirimendis notis controverſiis inter utramque Aulam vertentibus, nullâ interpoſitâ morâ ſignificandum id eſſe duximus Nobilitatibus Veſtris, certi gratum fore eximio zelo, quo pro publicâ tranquillitate fla-

gratis, hunc eventum, & quem Nos quidem præſtanti operæ veſtræ magnâ ex parte tribuendum eſſe intelligimus; Non enim Nos latet multa, ac præclara à Vobis officia tum intuitu deſiderii noſtri, ac petitionis, per Venerabilem Fratrem Julium Archiepiſcopum Nazarenum noſtro nomine Vobis factæ, quam idem alacri, ac libenti animo à Vobis exceptam fuiſſe accuratè Nobis nunciavit, tum anteà ſponte veſtrâ, & quidem multo ſtudio, ac fervore in hunc ſcopum impenſa fuiſſe. Quamobrèm perſpectum Vobis eſſe volumus egregiam hanc veſtram in Nos voluntatem hac occaſione peculiari modo declaratam tanti, quanti par erat, à Nobis factam fuiſſe, Noſque proindè curaturos eſſe gratum animum, quem propterea in Vos viciſſim gerimus, ac perpetuò ſervabimus, re ipſa, ac congruis argumentis teſtari Nobilitatibus Veſtris. quibus interim Apoſtolicam Benedictionem in pignus Pontificiæ noſtræ benevolentiæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die nona Martii 1709. &c.

ARGUMENTUM

Vicarium Leodienſem jure à Divinis fuiſſe ſuſpenſum à Nuncio Pontificio Colonienſi ob impeditam executionem Decretorum, quæ idem Nuncius, ut Viſitator Apoſtolicus à Sanctitate Suâ delegatus ediderat, Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Leodienſis denunciat, ac ſimul Acta omnia ejuſdem Viſitatoris Apoſtolici approbaſſe declarat.

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſię Leodienſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Fili, ſalutem &c. Cum ad tollendos perplures abuſus ac corruptelas, quæ in quibuſdam Diœceſibus authoritati noſtri ad tractum Rheni Nuncii ſubjectis, atque inter ceteras in iſtâ Leodienſi invaluerant, in magnum Eccleſiæ detrimentum, & in perniciem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac Divini cultus, tum quoad Regularem, ac Secularem Clerum, decretum à Nobis fuiſſet, ut in eiſdem locis haberetur Viſitatio Apoſtolica ad præſcriptum Sacrorum Canonum, prout aliàs, ac nequidem tum abſentibus Locorum Ordinariis, ſervatum fuiſſe conſtat; Cumque ad illud munus obeundum Venerabilis Frater Joannes Baptiſta Archiepiſcopus Tarſenſis à Nobis deſignatus fuiſſet, illeque Viſitationem Apoſtolicam, quam in quibuſdam Monaſteriis, ac Eccleſiis aggreſſus fuerat, proſequeretur, auſus fuit Vicarius Leodienſis publicè denunciare, ac edicere ſuſpenſionem Decretorum, quæ ab Apoſtolico Viſitatore manaverant, interdictâ eorum obſervantiâ, ac executione, idque quæſitis, ac prætextis nonnullis vanis, ac inſubſiſtentibus rationibus, & cauſis, ſuper quibus tamen ſicut facilè ipſi fuiſſet, habito ad Nos recurſu, audiri, ita nullo modo ei licebat executionem præcipiendo prohibere, quod profectò perindè erat, ac velle Poteſtatem Ordinariam ſuper Delegatam ab Apoſtolicâ Sede, ingenti, ac omnimodâ Ordinis, ac Juris Eccleſiaſtici everſione, elevare. Quæ ubi Apoſtolicus Viſitator facta eſſe intellexit, Actum hujuſmodi nullum, atque irritum declaravit, ac eumdem Vicarium ad comparendum, ac debitè ſatisfacendum ſub pœnâ Eccleſiaſticarum Cenſurarum interpellavit. Verùm quia Vicarius nihilominùs pertinaciter eiſ-

dem Mandatis reſtitit, neque animum induxit, ut debitis modis ſatisfaceret, adductus eſt demum idem Nuncius in neceſſitatem procedendi ad infligendas Eccleſiaſticas pœnas, quas tamen mitiores, ac remiſſiores eſſe voluit, ratus ſatis eſſe talem, ac tantam contumaciam per ejuſdem Vicarii ſuſpenſionem à Divinis coercere, quod Decretum pro loco Cantoris, quem ille idem in iſtâ Cathedrali Eccleſia obtinet, Vobis denunciandum eſſe intellexit. Nos interim operæ pretium eſſe duximus, ut Vobis pariter innoteſceret his omnibus quæ ab eodem Venerabili Fratre Archiepiſcopo Tarſenſi hac occaſione peracta ſunt, utpotè omni Jure, ac æquitate nixis comprobationem noſtram acceſſiſſe, dum Vobis, Dilecti Filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 13. Aprilis 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Subſidium Decimarum Eccleſiaſticarum Venetæ Reipublicæ aliàs conceſſum ad aliud tempus ultrò prorogat, ut eidem Reipublicæ uſui ſit ad media paranda, quibus Turcarum conatus, ubi in Chriſtianas Ditiones irrumpere meditentur, ſtrenuè repellere poſſit.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris Duci, & Reipublicę Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Cum pręſentem Chriſtianę Reipublicæ ſtatum intentis in eum noſtræ mentis oculis intuemur, ita multa ubique miſerabilia, & luctuoſa Nobis obiiciuntur, ut ſuſpiria inter, & lacrhymas cum Elia Propheta ſæpè exclamare cogamur: *Sufficit mihi Domine: tolle animam meam: neque enim melior ſum, quam Patres mei*. Illud autem animi noſtri dolorem ob tot, tantaſque Populi Chriſtiani ærumnas, calamitateſque ſuſceptum majorem in modum auget, quòd ſuperiorum temporum exemplis admoniti maximè formidamus, ne perpetuus Chriſtiani nominis hoſtis Turcarum Tyrannus ab ipſo diuturno nimis, feralique bello, quo Catholici Principes conficiuntur, allectus, & excitatus, ubi vires noſtræ magis attritæ fuerint, in Chriſtianas Ditiones irrumpere meditetur, cladeſque præteritis annis ab invictâ Chriſti Pugilum virtute, ac præcipuè ab inclytæ Reipublicæ veſtræ victricibus armis terrâ, marique cum immortali veſtri nominis gloriâ acceptas ulciſci ſtudeat. Hæc cum ita ſint, minimè dubitamus, quin Nobilitates Veſtræ pro ſpectatâ, eximiâque, qua præditæ ſunt, prudentiâ, de eludendis, ſtrenuèque repellendis teterrimi hoſtis conatibus maturè, ac ſedulò cogitent, & quæ in eum finem neceſſaria fuerint, quâ opus eſt, ſolicitudine, & curâ præcaveant. Verùm cum inter ejuſmodi cogitationes animadverterimus elapſum jam eſſe tempus, ad quod fel. record. Innocentius XII. Prædeceſſor noſter impoſuit, veſtræque Reipublicæ benignè aſſignavit Decimas quorumcumque Eccleſiaſticorum proventuum in univerſo Dominio veſtro exiſtentium, ut iis pro ejuſdem Reipublicæ defenſione adversùs Fidei hoſtes uteremini, conſentaneum, veſtriſque rationibus admodùm opportunum duximus hoc idem Decimarum ſubſidium ad aliud conſimile tempus ultrò, veſtriſque non expectatis precibus, prorogare, eâque de re literas Apoſtolicas in

for-

formâ conſuetâ quàm primùm expediri mandavimus. Erit id Nobilitatibus Veſtris, ut confidimus, non obſcurum indicium præcipuæ, ac veræ Paternæ, quâ Vos, veſtramque Rempublicam in Domino complectimur, charitatis, cujus illuſtriora uſque argumenta daturi ſumus, quotieſcumque idonea Nobis offeratur occaſio de Nobilitatibus Veſtris uberiùs benemerendi, & Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, Nobiles Viri, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ nonâ Aprilis 1709. &c.

ARGUMENTUM

Catholicos in Hiberniâ ab eterodoxis Magiſtratibus admodum afflictos Imperatori quàm enixè commendat, eumque ut Limbricenſes, & Galvienſes Pactiones obſervari curet, paternè adhortatur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Tuendæ in Hiberniâ orthodoxæ Fidei zelo incenſus Dilectus Filius Bonaventura de Burgo Hibernus, Lector, ut vocant, jubilatus, & Chronologus generalis ordinis ſtrictioris obſervantiæ Sancti Franciſci ad Solium Majeſtatis Tuæ cum hiſce literis noſtris humiliter accedet, explicaturus Tibi graves nimiùm, atque multiplices calamitates, quibus Catholici in eâ Inſula ab eterodoxis Magiſtratibus miſerandum in modum affliguntur, & ab eximiâ, ſpectatâque pietate tuâ Religioni inibi ſummum jam in diſcrimen adductæ opem quæſiturus. Eum ut benignè audire dignetur, ſuorumque officiorum authoritate id efficere inprimis ſtudeat, ut miſeris illis Catholicis Limbricenſes, & Galvienſes Pactiones omninò ſerventur, & adverſantia iis Edicta prorsùs aboleantur, Majeſtatem Tuam enixè rogamus, ac obteſtamur. Supervacaneum verò ducimus Te ad eorundem Hibernorum patrocinium ſuſcipiendum pluribus adhortari, ad quod juſtitia cauſæ, munus, quod geris, præcipui Eccleſiæ, & Fidei Advocati, ac ipſa demum inſignis, & avita animi tui religio Te certè plurimùm incitabunt. Et Majeſtati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſimâ quartâ Aprilis 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Noſtræ Amaliæ, Hungariæ, & Bohemiæ Reginæ Illuſtri, in Romanorum Imperatricem Electæ.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſima in Chriſto Filia Noſtra, ſalutem &c. Cumulum addit ingentibus curis, quas in tanta Chriſtianæ Reipublicæ perturbatione perferimus, præſens luctuoſus ſtatus Catholicorum in Hiberniâ propter diram perſequutionem adversùs eos dudum quidem excitatam, ſed acriùs modò commotam ab Hæreticis, qui ut plurimi contra paucos, ita publicâ authoritate communiti, adversùs homines omni præſidio deſtitutos nihil hoc tempore intentatum relinquunt, ut omne Catholicæ Religionis veſtigium, & vel ipſum Eccleſiæ Romanæ nomen in ea, quæ Sanctorum Inſulâ jampridem dicebatur, nunc demum prorsùs aboleatur. Auget dolorem noſtrum ineluctabilis difficultas occurrendi noſtrâ ope eorum periculo, ac proinde rogamus, & obteſtamur Majeſtatem Tuam pro ſuâ ingenitâ, & eximiâ pietate, ut audito libenter Dilecto Filio Bonaventura de Burgo Hiberno Lectore, ut vocant, jubilato, & Chronologo Generali Ordinis Sancti Franciſci ſtrictioris obſervantiæ hæc ipſa fuſiùs explicaturo, officia, & authoritatem ſuam interponere, & diligentiſſimè impendere velit pro eximendis eiſdem Fidelibus à tantâ calamitate, imò etiam à diſcrimine amittendæ cum Catholica Fide æternæ ſalutis. Qua in re quantùm meriti apud Deum poſitum ſit pro eximiâ tuâ virtute, animique religione intelliget Majeſtas Tua, cui iterum, iterumque hanc graviſſimam cauſam commendamus, dum eidem Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſimâ quartâ Aprilis 1709. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Joanni Philippo, Tituli Sancti Silveſtri in Capite Presbytero, S. R. E. Cardinali de Lambergh nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Ex iis, quę Dilectus Filius Bonaventura de Burgo Hibernus Lector, ut vocant, jubilatus, & Generalis Chronologus Ordinis ſtrictioris obſervantiæ S. Franciſci lator præſentium Circumſpectioni tuę coram explicabit, abundè cognoſces quo loco nunc ſit Orthodoxa Religio in Hiberniæ Inſula, quàmque grave immineat periculum, ne brevi tempore illic penitùs extinguatur. Quocirca Nos, & ejus periculi magnitudine commoti, & Paſtoralis Officii noſtri ratione adducti Te, cujus pietatem, ac zelum ſatis compertum habemus, vehementer hortamur, ut quidquid, vel ad tutandam, retinendamque in ea Inſulâ Catholicæ Fidei libertatem, vel

ad ærumnas, quibus illi Catholici ab hæreticis Magiſtratibus exagitantur, levandas conferre poſſe putaveris, id à Te deſiderari minimè patiaris. Quod à Te tam enixè petimus, ut majori animi noſtri ſtudio petere non poſſimus. Et Tibi Dilecte Fili Noſter, Paternæ noſtræ charitatis pignus, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 24. Aprilis 1709. &c. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Coſmo Etrurię ſibi ſubjectę Magno Duci.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Commiſſi Nobis Officii curâ, divinique honoris zelo compellimur Nobilitatem Tuam in partem ſolicitudinis noſtræ vocare, & excitare ad ea, quæ cum ad Catholicæ Fidei tutelam, & conſervationem pertineant, Tibi etiam magnoperè cordi futura pro veteri, atque perſpectâ, & planè eximiâ pietate tuâ minimè dubitamus. Ex Dilecto Filio Bonaventura de Burgo Hiberno, Lectore, ut vocant, jubilato, & Chronologo generali Ordinis ſtrictioris obſervantiæ Sancti Franciſci, qui has literas noſtras Tibi reddet, diſertè cognoſces, quo in ſtatu ipſamet Orthodoxa Religio in Hiberniæ Inſulâ modò ſit, quantoque ſtudio, & conatu Acatholici Magiſtratus ad eam ibidem penitùs evertendam incumbant. Quamobrèm vehementer à Te petimus, ut eidem Lectori ea omnia officia, & auxilia libenter exhibere velis, quæ tum ad miſeros illos, & in veteri erga hanc Sanctam Sedem fide, ac obſequio conſtantes Populos à multiplicibus, quibus premuntur, calamitatibus ſublevandos, tum etiam ad Religionem in ea Terrâ, quæ Sanctorum Inſula meruit appellari, ſartam, tectamque ſervandam pro ſpectatâ prudentiâ tuâ conducere poſſe exiſtimaveris. Id autem tametſi Te pro ſingulari, accenſoque tuo in ipſam Religionem, Divinumque cultum zelo ſpontæ tuâ facturum eſſe minimè verebamur, nihilominùs Paternam hanc noſtram cohortationem Nobilitati Tuæ adjungendam putavimus, ut eâ re nihil optatius, neque jucundius Te Nobis unquam præſtiturum intelligas. Tibique, Dilecte Fili, Nobilis Vir, Paternæ charitatis noſtræ teſtem, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 24. Aprilis 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Explicatis eleganter, & graviter tum malis, quæ à Paſtorum abſentiâ, tum etiam bonis, quæ ab illorum præſentiâ in Oves promanant, Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Poloniæ, ut apud Eccleſias ſibi commiſſas reſideant, paternè admonet, ac hortatur.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Poloniȩ.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabiles Fratres, ſalutem &c. Accepimus, nec ſine ingenti cordis noſtri moleſtiâ, nonnullos Regni Poloniæ Epiſcopos ita ſe ipſos inpræſens ſeculi negotiis, ac curis, imò etiam illis diſſenſionum fluctibus, ac turbarum, bellorumque procellis, quibus modò Reſpublica iſta fœdè jactatur, atque concutitur, ſuis ſtudiis abreptos, immiſcuiſſe, ut arctiſſimi debiti, per quod in Eccleſiis ſibi commiſſis reſidere,& Divino Præcepto Oves, quibus præſunt, paſcere tenentur, propè immemores videantur. Quàm autem turpȩ,& abſonum ſit Eccleſiȩ Prȩſules ad ſacra ſui Ordinis Munia obeunda delectos, & ad gerendum animarum regimen vocatos à ſuis Diœceſibus, extra ſummam neceſſitatem, diutius abeſſe; ac in alias, ac diverſas partes ſe cedere, atque Curias potius, ac Aulas, vel etiam Caſtra frequentare, quàm intra terminos ſibi conſtitutos contineri, & in officio eſſe, cum per ſe ſatis liqueat, illud etiam evincit, quòd Epiſcoporum abſentia eſt certa nimis Populorum calamitas propter inſidias, atque pericula, quæ in perniciem ſpiritualis ſalutis, & in detrimentum pacis, ac tranquillitatis, Cuſtode procul agente, Ovili parari ſolent, ac inferri. Solicitudinis propterea noſtræ eſſe duximus Fraternitates Veſtras admonere, ne ullo modo fas Vobis eſſe putetis pro libito deſerere oves Vobis creditas, quarum ſanguis de veſtris manibus aliquandò eſt requirendus à Supremo Judice, apud quem Paſtor fruſtrà contenderet ſe tum quidem eâ excuſatione tueri, quod Lupus oves, ſe abſente, ac inſcio, abductas interemerit; nam ſi res propiùs inſpiciatur, conſtat nullum propè malum, aut ſcandalum in Diœceſi ſic deſtitutâ contingere, quod non ſit ei præcipuè adſcribendum, cujus erat ſubditos à rectâ ſemitâ deflectentes revocare monitis, allicere præſentiâ, voce confirmare, authoritate, & charitate continere, ac demum in verbis ſuis monſtra placare. Huic proindè, ſi abſit, Divini cultus neglectus, huic Eccleſiaſticæ diſciplinæ corruptio, huic Jurium Eccleſiæ direptio, tanquam authori, non injuriâ tribuitur. Quòd ſi non ſunt fraudandi Fideles ſui Ducis, atque Rectoris præſidio tum, cum ſummâ tranquillitate perfruuntur, quantò minùs deſerendi ſunt publicis rebus, ut ſunt in præſens, uſque adeò convulſis, ac perturbatis, atque adversùs eos æſtuantibus undique Acatholicorum inſidiis: niſi verò minùs deliquiſſe videatur Speculator, qui hoſte in conſpectu poſito excubias agere neglexit, quàm ſi ſtationem ſuam in ſummâ pace deſeruiſſet. Quamobrèm cum munus, ac debitum paſcendi Oves, ac proindè reſidendi in Eccleſiis, in quo ſpiritualis Populorum ſalus, & Catholicæ Religionis integritas maximè repoſita videtur, graviſſimè injungatur Epiſcopis tum Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum authoritate, tum Sanctorum Patrum, & ipſorum Apoſtolorum concor-

di

di ſententiâ, tum demum Divino Principis Paſtorum oraculo, confidimus Fraternitates Veſtras non tam noſtræ vocis officio, quàm ſuo zelo excitatas, ac conſultâ ſuâ conſcientiâ, feriò perpenſuras eſſe, Veſtrum unicuique illud diſtrictè denunciari: *Attendite Vobis, & univerſo Gregi, in quo Vos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*; dum Nos eiſdem Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſimâ quintâ Maii 1709. &c. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Cardinali Otthobono, quod ſoſpes ad Florentinam Civitatem pervenerit, gratulatur, Magni Etruriæ Ducis pietatem, atque prudentiam laudat, ejuſque conſilia plurimi æſtimare oſtendit. Illius deindè Fratris Cardinalitiam Dignitatem proximè dimiſſuri pios in Eccleſiam ſenſus commendat.

Dilecto Filio Noſtro, Petro Sancti Laurentii in Damaſo Diacono Cardinali Otthobono nuncupato, S. R. E. Vice-Cancellario.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Gratiſſima ci è ſtata la notizia, da V. S. recataci del ſuo felice arrivo in coteſta Città, e della maniera, con cui è ſtata accolta da coteſti gentiliſſimi Principi, benchè queſta, à dir'il vero, non ci ſia punto arrivata nuova, nè inaſpettata. Nè pure nuovi, nè inaſpettati ci ſono giunti li ſavii ſentimenti à Lei eſpreſſi dal Sereniſs. Gran Duca ſopra li correnti affari del Mondo nel lungo diſcorſo tenutone ſeco, eſſendo tutti egualmente degni della ſua gran prudenza, che della ſua gran pietà. Speriamo, che V. S. ce ne farà più ampia relazione in voce, accompagnata da conſigli dell'A. S., che Noi ſommamente bramiamo per ben condurci in sì ardue, e gravi emergenze, nelle quali pur troppo l'intereſſe è commune. Ci hà poi egualmente conſolati, che inteneriti la degna proteſta fattale da Chi in brieve ſarà per cambiare Abito, cioè che non per queſto Egli cambiarà mai il cuore già una volta conſacrato alla Chieſa. Preghiamo Iddio, che rimuneri sì bel ſentimento con quella retribuzione, che tutti gli deſideriamo, e che ſola è ſtata, & è l'oggetto della riſoluzione, che ſtà per prendere. E con tutta la pienezza del noſtro Paterno affetto diamo à V. S. l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ &c. die 25. Maii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Epiſcopum Culmenſem graviter arguit, quòd propter ejus abſentiam Lutherani quædam templa in illius Diœceſi ad uſum ſuæ damnatæ Sectæ excitaverint, illique diſtrictè injungit, ut ad Eccleſiam ſibi commiſſam abſque mora revertatur, ac ejuſmodi abominationem indè quamprimùm auferre curet.

Venerabili Fratri, Epiſcopo Culmenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Summo animi dolore, & ingenti ſupra quàm dici poſſit, correpti fuimus cordis anguſtiâ vel ex ipſo rumore hic pervulgato magnæ abominationis in Diœceſim Culmenſem, cui præeſt Fraternitas Tua, non ita pridem inductæ; Fertur enim quoſdam Lutheranæ hæreſeos Profeſſores inauditâ temeritate auſos fuiſſe, nemine prohibente, Templa inibi ad uſum damnatæ, ac execrabilis ſuæ Sectæ excitare. Gravis certè, ac ſummoperè moleſta accidere debebat iis omnibus, qui rectè, ac catholicè ſentiunt, tanta Dei, & Servatoris noſtri contumelia: Tibi verò uſque adeò intolerabilis, ut mirum videri poſſit, quòd eodem tempore, quo Nobis innotuit admiſſum fuiſſe hujuſmodi ſcandalum, non contigerit Nobis audire Te juſto zelo incenſum eò loci ſtatim proruiſſe, impiorum Cathedras evertiſſe, Templa dejeciſſe, ut injuriam Divino nomini, & Eccleſiaſticæ Dignitati, tuoque juri, ac authoritati enormiter illatam ulciſcereris. Neque tamen Nos ullam fidem adhiberemus relatis hoc præſertim nomine, quod à vero abſimile videtur, neminem tum fuiſſe ex illis Fidelibns, qui exurgeret, & ſtaret exadverſo, niſi ſolicitudo noſtra Nos admoneret nihil non timendum eſſe Gregi Paſtoris ſui præſentia diutiùs deſtituto. Verùm ubi ita contigerit, tuum eſt in primis coram Deo expendere, utrum culpæ Tibi verti poſſit, quòd cum à tua Eccleſiâ, nil tale cogitans, abeſſes, ſed fortè aliena à tuo inſtituto pertractans, ac quærens, quæ tua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, hoſtes Catholici nominis in ovile Tibi creditum irruperint, aditumque ſibi ad majora molienda patefecerint. Cogitandum Tibi eſt, utrum ne Supremus Judex ſit aliquando à Te exacturus rationem earum ovium, quas tuæ cuſtodiæ creditas, à Te verò, extra conſpectum tuum, relictas paſſus es in tam manifeſtum contrahendæ mortiferæ labis diſcrimen adduci. Quæ non ita dicimus, quaſi omninò perſuaſum habeamus vera, ac certa eſſe, quæ ad Nos perlata ſunt; ſed quia pro ſingulari charitate, qua Te proſequimur, angimur vehementer de tuo ſpirituali periculo, ſi quod fortè hac occaſione incurriſti, imò ex hac cogitatione in aliam prolapſi, & privatis noxis publica mala referentes, in eam tandem ſententiam venimus, magnas calamitates, & manifeſta Divinæ iracundiæ flagella, quibus Regnum iſtud in præſens affligitur, ob id præſertim deſuper immitti, quia ardens ille zelus aſſerendæ Catholicæ Religionis, qui iſthic olim in ferè omnium animis flagrabat, hoc tempore nedùm in Populis, ſed etiam in Præſulum, ac Rectorum animarum pectore (quod non ſine lachrymis dicimus) deferbuit. Quapropter eâ in re, ſi quid eſt, de quo Te redarguat cor tuum, ne cuncteris ea conſilia inire, quæ muneri tuo magis congruant, ac in primis id perfice, ut Eccleſiam, quam adminiſtrandam ſuſcepiſti, adeas, ne pergas obnoxius eſſe graviſſimis pœnis Sacrorum Canonum autho-

rita-

-ritate conſtitutis adversùs eos, qui à reſidendi debito abſque graviſſimâ causâ ſe eximunt. Quo facto non ambigimus, quin tuo aſpectu deterriti, ac ope tuæ vigilantiæ compulſi hoſtes veræ Fidei diffugiant, & caſtra intra fines Eccleſiæ tuæ invecta deſerant: Tu verò his ſtudiis gratiam, atque opem Divinam Tibi conciliabis,& perpetuam laudem aſſequeris. Nos interim Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſimâ quintâ Maii 1709. &c.

ARGUMENTUM

Monaſterienſem Epiſcopum hortatur, ut fortiter obſiſtat conatibus Preciſtæ Imperialis, qui Decanatum Collegiatæ Eccleſiæ S. Mauritii illius Civitatis aſſequi contendebat.

Venerabili Fratri, Franciſco Arnoldo Epiſcopo Monaſterienſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Tametſi ex Venerabili Fratre Joanne Baptiſta Archiepiſcopo Tarſenſi noſtro ad tractum Rheni Nuncio abundè perceperimus Fraternitatem Tuam officii ſui partes accuratè, ac diligenter obire, ut in Eccleſia fidei ſuæ credita ſacrarum electionum libertas nullo pacto violetur, ac nemini aditus pateſiat ad aſſequenda Eccleſiaſtica Sacerdotia Primariarum Precum Imperialium obtentu, quæ Apoſtolici Indulti præſidio deſtitutæ, nullæ prorsùs, ut optimè noſti, ac irritæ ſunt; nihilominùs cum ex nuperis ejuſdem Nuncii Apoſtolici literis certiores facti fuerimus quemdam Preciſtam, ut vocant, magno nunc ſtudio contendere, ut Decanatus Collegiatæ Eccleſiæ Sancti Mauritii iſtius Civitatis ipſi aſſignetur, prætermittendum Nobis non eſſe duximus, quin Fraternitatem Tuam vehementer, ut agimus, excitaremus ad ea gerenda, ac decernenda, quæ pro eximiâ prudentiâ ſuâ magis expedire cenſuerit, ut memorati Preciſtę petitio penitùs reiiciatur, ac cum dicti Decanatus vacatio in menſe Apoſtolicæ Sedi reſervato contigerit, noſtra etiam, ejuſdemque Sanctæ Sedis jura inviolata ſerventur. Id autem dum cumulatè præſtiturum Te fore ſatis, ſuperque Nobis pollicetur ſpectata religio, zeluſque tuus, cum ſingulari, ac planè filiali in Apoſtolicam Sedem devotione conjunctus, Tibi, Venerabilis Frater, Pontificiæ charitatis argumentum, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę &c. die 25. Maii 1709. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Capitulum, & Canonicos Eccleſiæ Poſnanienſis graviter increpat, quòd in eâ Diœceſi Lutheranis publica Templa ad abominationes ſuas exercendas aperire permiſerint, & ad ejuſmodi ſcandalum quantò citiùs ſubmovendum eos vehementer hortatur.

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Eccleſię Poſnanienſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Oculis propè noſtris inſpicere, auribuſque noſtris viſi ſumus audire Sponſum pro Sponsâ, Chriſtum ſcilicet pro Eccleſiâ illachrymantem, & effusè dolentem, quòd ſupra dorſum ſuum fabricaverint Peccatores, ubi percepimus Lutheranæ Sectæ homines id demum obtinuiſſe, ut in iſtâ Diœceſi conſiſterent, hoſpitio reciperentur, Templa ad exercendas ſuas abominationes publicè aperirent, neminemque interim Catholicorum, & nequidem de cætu Sacerdotum fuiſſe, qui debito zelo accinctus iniquis eorum conatibus eâ, quâ par erat, animi fortitudine obſiſteret, aut ſi quis fortè tam pio, & æquo animo fuit, ut Dei cauſam tuendam ſuſceperit, prævaluiſſe tamen malè ſana eorum conſilia, qui hæreſis Profeſſores non repellendos, imò amplexandos eſſe exiſtimarunt. Quæ ſi ita verè contigerunt, prout contigiſſe fertur, non eſt jam cur quiſquam miretur, aut diligentiùs inquirat, quamobrèm tantis in præſens calamitatibus Poloniæ Regnum opprimatur, cum cauſa ſatis liqueat, nimirum quia priſtinæ in Deum pietatis mutatus eſt iſthic color optimus, & vetus fervor pro Catholicâ Religione ita deferbuit, ut qui priùs, vel ipſum Hæreticorum nomen oderant, nunc neque eorum aſpectum vitent, neque conſortium exhorreant. Non patitur autem ſolicitudo noſtra, ut læsâ tam enormiter Divinâ Majeſtate conticeamus; monita verò noſtra ad Vos præſertim dirigimus, non quia Vos aut omninò ſolos, aut certè præcipuos ejus ſcandali Authores extitiſſe arbitremur (abhorret enim à paternâ noſtrâ erga Vos charitate, ut de Vobis, qui ſacris rebus curandis, & Religioni ſartæ, tectæque ſervandæ potiſſimùm deputati eſtis, tam malè ſentiamus) ſed quia æquius ſuccenſeri Vobis poteſt non prohibuiſſe, quàm cæteris admiſiſſe ea, quæ veræ Fidei integritatem labefactarent. Si itaque ſalus Vobis veſtra cordi eſt, ſi Eccleſiæ, cui addicti eſtis, dignitatem, ſi commune bonum, & incolumitatem Patriæ diligitis, omni ſtudio contendite, ut Hæretici, quò pedem temerè intulerunt, indè celerrimè referant. Quòd Vobis magnoperè proderit ad declinandam Divinam iram, quemadmodum certè oportet his perturbatiſſimis temporibus, dum Nos Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die prima Junii 1709. &c.

ARGUMENTUM

Cardinalem de Comitibus, quem ob illius virtutum præſtantiam Auximanæ Eccleſiæ præfecerat Epiſcopum, hortatur, ut ex Portugalliæ Regno, ubi Nuncium Apoſtolicum agebat, ſuum in Italiam reditum properet, quò celeriùs prædictæ Eccleſiæ Paſtoris ſolatio, atque præſidio diù orbatæ adeſſe poſſit.

Dilecto Filio Noſtro, Michaeli Angelo, S.R.E. Presbytero Cardinali de Comitibus.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Ut intelligeres Nos gratam, ac benevolam erga Te gerere voluntatem, eamdemque memorem diuturnæ, ac diligentis operæ, quam Nobis, & Apoſtolicæ Sedi pergis impendere, Te Eccleſiæ Auximanæ animo perlibenti præfecimus: quod ipſum argumento Tibi eſſe debet, quanti faciamus præſtantiam tuarum virtutum, quarum æquâ opinione ducti Tibi id muneris probè committi poſſe exiſtimavimus. Verùm, cum ea Eccleſia Paſtoris ſolatio diutiùs deſtituta præſidium tum ſedulum, tum quidem præſens, atque paratum omninò requirat, magnoperè cupimus, & ſummâ ſolicitudine à Te petimus, ut quò ipſi adeſſe quamprimùm valeas, diligenter cures, & omni ſtudio enitaris removere obices, qui tuum in has partes reditum remorantur. Ceterum in auſpicium bonorum omnium, & in certum pignus Pontificiæ charitatis, quâ Te ex animo proſequimur, Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noſter, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 15. Junii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Appropinquante ſecularis anni celebratione, ex quo Ordo Monialium Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis à S. Franciſco Saleſio inſtitutus fuerat, Sua Sanctitas felicem Inſtituti propagationem eiſdem Monialibus gratulatur, ac ipſas ad ſaluberrimas Conſtitutiones, & monita à Fundatore relicta, diligenter cuſtodienda, ac uberiorem in dies Chriſtianarum virtutum acceſſionem procurandam, adhortatur.

Dilectis in Chriſto Filiabus Monialibus Monaſteriorum Ordinis Viſitationis B. Mariȩ Virginis Immaculatȩ à S. Franciſco Saleſio inſtituti ubivis exiſtentium.

CLEMENS P.P. XI.

DIlectæ in Chriſto Filiæ, ſalutem &c. Paſtoralis Officii Divinâ diſpenſatione humilitati noſtræ crediti ſolicitudo Nos admonet, ut Sanctimonialium, quæ ſpretis hujus Seculi vanitatibus Divinis obſequiis, ſub ſuavi Religionis jugo, ſeſe manciparunt, Paternam curam gerentes, earum ſpirituales profectus, quo majori poſſumus ſtudio, juvare, atque provehere ſatagamus, ut vota ſua Domino reddant abundanter in ſanctitate,

&Ju-

& Juſtitiâ coram ipſo omnibus diebus ſuis. Ipſæ ſiquidem filiæ ſunt, quæ oblitæ Populum ſuum, & domum Patris ſui, provido conſilio optimam partem elegerunt. Ipſæ ſunt Evangelicæ Virgines, quæ Lampades ſuas prudenter aptantes Cœleſti Sponſo obviam prodierunt. Ipſæ demùm ſunt, ut Beatus Cyprianus ait, flos Eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratię ſpiritalis, laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum, illuſtrior portio Gregis Chriſti. Has porrò inter Sacras Virgines, ſicuti Vos, Dilectæ in Chriſto Filiæ, ſingulari quodam Paternæ charitatis affectu proſequimur, ita ſedulò curandum Nobis eſſe intelligimus, ut ſuſceptam probatiſſimæ vitæ rationem conſtanter retineatis, & in eâ magis, magiſque procedatis uſque ad perfectam diem. Vos itaque modò alloquimur, Vos adhortamur affectione potiùs, quàm poteſtate, electa germina ſanctitatis: non quòd adverſi aliquid ſuſpicemur de Vobis, ſed quia, quò ſublimior gloria veſtra eſt, eò etiam major eſſe debet noſtra, & de perſeverantiâ veſtrâ ſolicitudo, & de nequiſſimi Tentatoris infeſtatione formido. Centeſimus jam appropinquat annus, ex quo Ordo veſter à Sanctiſſimo Præſule Franciſco Saleſio inſtitutus, & Conſtitutionibus, ſapientiâ, diſcretione, ac ſuavitate mirabilibus inſtructus fuit; Intereà temporis illius ſplendor in Eccleſiâ Dei tantùm illuxit, ut ad centum ſupra quadraginta ſeptem Monaſteria, ſicut accepimus, propagatus jam ſit, undè manifeſtè deprehenditur & ſanctitas Inſtituti, quod profitemini, dum ipſi Divina bonitas felicia adeò contulit incrementa, & Chriſtianarum virtutum odor tum ex Vobis, tum ex iis, quæ Vos præceſſerunt, circumquaque diffuſus, dum tam multę per Catholicum Orbem Nationes ad illud fovendum, ac ſuſcipiendum, benedicente Domino, illectæ ſunt. Ceterùm hęc ipſa Ordinis veſtri felix propagatio, hæc ipſa virtutum veſtrarum fama longè, latèque celebrata magnoperè à Vobis exigit, ut tanti nominis dignitatem, & laudem tueri ad majorem Dei gloriam, omni adhibito ſtudio, contendatis; quod non aliàs certiùs aſſequi poteſtis, quàm ſi ſaluberrimas Conſtitutiones, & monita Vobis à Sancto Inſtitutore relicta,. quibus ad Chriſtianam perfectionem iter tutum, expeditum, & planum ſternitur, diligentiſſimè cuſtodiatis, & quàm maximè caveatis, ne quid unquam novi in Vos, Ordinemque veſtrum irrepat, quod vel eiſdem Conſtitutionibus, & monitis adverſari, vel etiam pias conſuetudines, & obſervatam hactenùs diſciplinam ullâ ex parte labefactare poſſe videatur. Quâ in re ubi oportuerit, Ordinariorum localium, quorum Juriſdictioni ſubeſtis, opem implorare nequaquam prætermittetis; futurum enim omninò confidimus, ut quod ipſis per has noſtras literas enixè injungimus, neceſſitatibus veſtris prompto, alacrique animo ſemper adſint, & ne quid ullo ſeculorum decurſu, ullâ temporum varietate, in Vobis immutetur, diligenter, ac ſtrenuè curent. Jam verò ipſa Secularis anni celebratio, quæ in Regularibus Ordinibus inſignis in primis habetur, religioſoque, ac ſolemni cultu peragi conſuevit, à Vobis vehementer expoſcit, ut collata hactenùs Ordini Veſtro à Deo Optimo Maximo ingentia beneficia devoto, gratoque animo recolentes, humiles illi, ac uberrimas agatis gratias, & enixis, accuratiſque precibus, ineffabilem ejus Clementiam obſecretis, ut hoc maximè tempore Fundatoris veſtri ſpiritum in Vobis inſtauret, atque vivificet, dictumque illud, Chriſtianæ Sapientiæ compendium, quod Ipſe ore ſemper, ac mente repetebat, ſcilicet: *quidquid pro æternitate non eſt, vanitas eſt*: altiſſimè cordibus veſtris inſigat. Uberem inſuper Chriſtianarum virtutum acceſsionem, verum temporalium bonorum contemptum, Divinarum rerum perfectum,

& effi-

& efficax deſiderium Vobis miſericorditer largiatur; Intellectum præterea veſtrum magis, magiſque illuminet, voluntatem inflammet, corpus emundet, animam ſanctificet, quatenùs ea tantùm, quæ Domini ſunt, perpetuò cogitantes, Sanctæ ſitis corpore, & ſpiritu, & poſt præclaros, quos hic agitis, de carne in carne triumphos, coronam juſtitiæ, quæ legitimè certantibus repoſita in Cœlis eſt, à Divino Sponſo recipere mereamini. Hanc planè ex animo Vobis optamus, atque precamur, ac in ejuſmodi felicitatis auſpicium Vobis, Dilectæ in Chriſto Filiæ, Apoſtolicam Benedictionèm peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem &c. die 23. Junii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Epiſcopum Novarienſem, à quo Cæſarei Adminiſtri ingentem pecuniæ ſummam titulo contributionis pro Feudo Ripariæ, S. Julii, & Hortæ petebant, Imperatori diligenter commendat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Fraudare non debemus Pontificiæ noſtræ charitatis ope juſtam eorum ſpem, qui cum jura ſua adversùs quodcumque indebitum gravamen tueri poſſe meritò exiſtiment, ubi ea expendenda ſit recto, ac æquo Majeſtatis Tuæ Judicio, aditum ſibi apud Te officiis noſtris parari depoſcunt. Congruum propterea eſſe duximus communire hâc noſtrâ ſuffragatione petitionem Venerabilis Fratris Joannis Baptiſtæ Epiſcopi Novarienſis, qui ab Adminiſtris tuis in illis Partibus conſtitutis nuper interpellatus ad pendendam Tibi titulo contributionis ingentem ſummam pro Feudo Ripariæ, Sancti Julii, & Hortæ ejuſdem Diœceſis Novarienſis, antiquiſſimo Jure ad ipſam Eccleſiam, ejuſque pro tempore Epiſcopos, etiam quoad temporalia, pertinente, ſicut confidit certis documentis, Majorumque tuorum claræ memoriæ Regum, atque Imperatorum reſponſis comprobare poſſe, Feudum illud hujuſmodi oneribus nunquàm obnoxium fuiſſe, ita modò tuis ſub auſpiciis eximendum eſſe ab omni moleſtiâ certò ſibi pollicetur. Ubi itaque ipſius poſtulatis juſtitia tam manifeſtè adſtipuletur, credimus non modò non grave, ſed prorsùs gratum Tibi fore, quòd idem Præſul non vulgaribus certè generis, ac virtutum prærogativis ornatus, Tibique ſummoperè addictus, fructum ſuarum precum, noſtræque commendationis aſſequatur ab æquitate, ac pietate Majeſtatis Tuæ, cui Nos Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 29. Junii 1709. &c.

ARGUMENTUM

Cardinalitiæ dignitatis dimiſſionem à Principe Franciſco Maria Mediceo per Procuratorem Romæ factam ob juſtas propoſitas cauſas admiſiſſe eidem Principi ſignificat, & inclytæ Familiæ propagationem ex animo auſpicatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Franciſco Mariæ Principi Mediceo.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Ea eſt vis, ac præſtantia Paterni noſtri amoris erga Nobilitatem Tuam, inclytamque Mediceam Domum, ut quamvis probè intelligeremus quantùm decoris, ac ornamenti Sacro huic Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegio, ipſique Apoſtolicæ Sedi accederet Te conſidente in ampliſſimo hoc Senatu, ubi tamen audivimus Te ad alia capeſſanda conſilia Populorum votis, ac publicis etiam cauſis, atque rationibus magnoperè urgeri, non gravati ſimus precibus tuo nomine Nobis oblatis pro obtinendâ facultate dimittendi Cardinalitiam Dignitatem annuere, & dimiſsionem ipſam per tuum Procuratorem coram Nobis in nupero Conſiſtorio noſtro ſecreto ritè, ac decenter factam admittere. Charitate autem in Te noſtrâ ulteriùs progreſſi cœpimus, ac proſequimur Deum Optimum Maximum precari, ut ſpem, ac deſiderium commune optatâ ejuſdem tuæ Domus propagatione ſolari velit: conſili validum indè præſidium huic Sanctæ Sedi, & Eccleſiæ allatum iri, in cujus eventus bonum auſpicium, Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 29. Junii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Solidis, luculentiſque rationibus Regem Poloniæ ſummoperè urget, ut Principem ejus Natum catholicè educare curet, ac Orthodoxam Religionem benigno, ſtrenuoque animo tueatur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

Chariſsime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Le ſicurezze, che dalla M. V. con ſua Real Carta delli 11. Febraro proſsimo paſſato ci furono date, di voler' incontrare con piena ſua ſodisfazione tutte quelle occaſioni, che ſe le foſſero preſentate tanto di dar mano à progreſsi della noſtra Santa Religione, quanto d'impiegare ogni ſua opera in ogni altra coſa, che foſſe di convenienza della Santa Sede, eſſendoci ſtate più volte, e in più occaſioni replicate dal Baron Schenck ſuo Miniſtro, ci obligano altresì à replicarle dal canto noſtro, come ora facciamo con la preſente lettera ſcritta di noſtro pugno, le più ſincere proteſte altre volte fattele

d'una perfetta riconoſcenza. Adempita però queſta parte, non poſsiamo ommetterne un'altra, qual è di pregarla, come facciamo con tutta l'efficacia maggiore del noſtro ſpirito, à contentarſi di ridurre ad effetto ſenza maggiore indugio sì degni, e giuſti proponimenti, non ſolo per obligar Noi à intereſſarci ſempre più in tutto ciò, che riguarda la Maeſtà Voſtra, come ne ſiamo intieramente diſpoſti, mà quel che più importa, per ſempre più conciliarſi la Divina aſsiſtenza, e obligar Dio à proſperare le ſue intenzioni. Iddio hà fatto alla Maeſtà Voſtra una grazia aſſai grande, quale è ſtata quella di richiamarla dalle tenebre dell'Ereſia al lume della vera Religione, di cui ſono ſtati privi tanti de' ſuoi Antenati; richiede perciò anco da Lei coſe grandi in ricompenſa, e tutto il Mondo Cattolico le aſpetta. A Noi principalmente ſtà ſu'l cuore il debito ſtrettiſſimo, che Ella hà, di educare cattolicamente il Principe ſuo Figliuolo, nè poſſiamo mai penſare alla Maeſtà Voſtra, che ſubito non ci venga alla mente queſta ſua indiſpenſabile obligazione. Ogni ritardo è pericoloſo, e all'incontro ogni pericolo, che poſſa accaderne, è ſempre inferiore à quello della ſalute eterna. Si fidi dunque la Maeſtà Voſtra di Dio, rigetti li dettami della prudenza umana, ove ſiano contrarii à quelli della ſcienza de' Santi, e creda che Dio le aſſiſterà. Non ſperi mai la Maeſtà Voſtra di facilitarſi alcun vantaggio temporale con mezzi, che le foſſero conſigliati non intieramente retti avanti gli occhi di Dio, perche tutto infallibilmente riuſcirebbe male. Altre volte le abbiamo ſcritto, che la Maeſtà Voſtra abbia fede à ſuoi Conſiglieri Cattolici, e ne accreſca il numero; replichiamo ora l'iſteſſo. Protegga ſempre più la Maeſtà Voſtra, promuova, e difenda quella Religione, che con tanta ſua gloria hà abbracciata, e che nelle preſenti contingenze dell'Europa hà tanto biſogno di eſſere validamente protetta, promoſſa, e difeſa. Nel rimanente ſi aſſicuri la Maeſtà Voſtra, che Noi l'amiamo con amore veramente paterno, e teneriſsimo; e benche crediamo di avergliene dati per il paſſato aſſai chiari argomenti, ſiamo nondimeno preparati à dargliene altri aſſai maggiori in avvenire, come più pienamente ci ſiamo ſpiegati col Baron Schenck', quale abbiamo riconoſciuto di tanto onore, e di tanta probità, e ſopra tutto di tanto zelo, di tanta fede, e di tanto amore per il vero, e buon ſervigio della Maeſtà Voſtra, che ben'abbiamo creduto di poter practicar ſeco ogni confidenza. E con tutta la pienezza del noſtro affetto diamo alla Maeſtà Voſtra l'Apoſtolica Benedizione per pegno di quelle più abondanti, e copioſe, che inceſſantemente le preghiamo da Dio. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 17. Julii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Principis Regii Poloniæ in Catholicâ Fide inſtitutionem Principi Egoni de Furſtemberg enixè commendat. Ipſi deindè gaudium explicat, quod ſuſceperat ex felici Apoſtolicarum Miſſionum in Saxoniâ progreſſu, utque illas ſuaviter non minùs, quàm conſtanter promovere ſtudeat, ab eodem Principe expoſcit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Principi Egoni de Furſtemberg.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Tribuenda eſt Paternæ noſtræ charitati, ac debito injuncti Nobis Muneris ſolicitudo illa, quâ indeſinentèr urgere cogimur graviſſimum negotium piè, catholicèque educandi Regium Poloniæ Principem. Videmus enim quanti interſit, ut Is demùm in eâ, in quâ conſtitutus eſt, ætate ineat viam ſalutis, quam quidem tum ipſe perpetuò inſiſtat, tum alii multi ejus exemplo, ſupernique luminis ductu aliquandò ingrediantur. Confidimus autem hoc bonum ſtudio præſertim, ac operâ Nobilitatis Tuæ eſſe quamprimùm perficiendum, augentque mirificè deſiderium, ac expectationem noſtram, ea, quæ congeſtis in hoc propoſitum pluribus cauſis, atque rationibus ad Dilectum Filium Theodorum Baronem de Schenk nuperrimè perſcripſiſti, ex quibus intelleximus minimè metuendum eſſe, ne zelus tuus in curandâ ejuſdem Principis Catholicâ inſtitutione ullo modo deferbuerit, quinimò ſpem indubiam hauſimus eſſe Te noſtris votis cumulatè ſatisfacturum. Interim verò ſcire Te volumus præcipuum cordi noſtro gaudium obtigiſſe, cùm percepimus non illibentibus auribus iſthìc modo excipi, quæ Apoſtolici Miſsionarii ſummo Dei beneficio, nec ſinè præſidio iſthùc pridem inducti pergunt in iſtis partibus enunciare, qui tamen omninò cavere debent, ne forìè acrioribus aliquandò verbis laceſſant potiùs, quàm alliciant auditorum animos, quos præſtat ſpiritu lenitatis, ac manſuetudinis ad agnitionem veritatis, ac ad ſinum amantiſsimæ Matris Eccleſiæ deducere. Quoniam verò Tibi magnâ ex parte vertendum eſt meritò quidquid ſpiritualis lucri tam piis conatibus Deus indulſerit, id effice, ut pro ſingulari illâ, quâ præſtas, pietate, ac prudentiâ, difficultates, atque obices, qui opponi poſſunt propagationi Catholici cultus non minori ſuavitate, quàm conſtantiâ ſubmoveas, & veterem tuorum erga Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem devotionem omni ſtudio æmuleris, ac vincas; dum Nos in auſpicium Cœleſtis, quam Tibi ex animo precamur, Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuę peramanter impertimur. Dat. Romę &c. ſub Annulo Piſcatoris die 13. Julii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Prætoriam, & alteram præſidiariam Tripolitanas Naves à Claſſe Melitenſi fortiter expugnatas Hieroſolymitanorum Equitum Magno Magiſtro impensè gratulatur.

Dilecto Filio, Raymundo de Perellos, Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani Magno Magiſtro.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, ſalutem &c. Tam familiare eſt inclyto iſti Ordini audaciam Barbarorum armis obtundere, eorumque vires pugnando conterere, ut aliud nihil propè ſit oblata tuis Militibus occaſio congrediendi cum hoſte, quàm certum quoddam futuræ victoriæ præſagium. Mirùm propterea videri non debet, ſi poſtquàm Claſſi Melitenſi Hydruntum inter, & Aulon excurrenti non ita pridem contigit Prætoriam Tripolis, alteramque prçſidiariam Navem eidem conjunctam à longè proſpicere, ac ſubindè inſequi, ac demùm propiùs aggredi eidem etiam datum fuerit eas poſt acre bellum expugnare, quas quidem Naves tui Milites in prædam iſthùc abduxiſſent, niſi illas ipſas inopinatum incendium (caſu ne, an perfidiâ excitatum) ſtatim abſumpſiſſet, tuorumque manibus eripuiſſet. Verùm ingens ille Infidelium numerus, qui ut flammas evaderet, aquis ſe dederat, à tuis in catenas conjectus, & non exigua Chriſtianorum manus hac ipsâ occaſione à Barbarorum ſervitute exempta ſatis teſtari poterunt, quàm ſtrenuè res à tuis acta fuerit. Lætum hunc eventum Tibi ex animo gratulamur, dum Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili, eidemque Ordini in auſpicium amplioris felicitatis peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ Julii 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

A Principe Franciſco Maria Mediceo petit, ut ad eximendam quamprimùm Civitatem Piſaurenſem à gravi infortunio, quo premebatur, Pontificiam ſolicitudinem juvare, ſuaque ſtudia, & opem promptè conferre velit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Principi Franciſco Mariæ Mediceo.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Dal foglio, che verrà traſmeſſo all'A.V. dal Conte Fede, e di cui le accludiamo un dupplicato, vedrà Ella il motivo di carità, che ci ſprona ad accorrere ſenza indugio al grave infortunio d'una Città noſtra ſuddita, e inſieme vedrà il biſogno, che teniamo, che Ella ſi uniſca con Noi à porgerle un pronto, ed efficace rimedio. Siamo certi, che così ſeguirà, così pro-

met-

mettendoci la pietà dell'A. V., quando anche alle conſiderazioni della publica ſalvezza non ſi uniſſero, come realmente ſi uniſcono, quelle del ſuo privato commodo. Servirà perciò non ad altro la preſente, che per accertarla della ſpeciale riconoſcenza, che le ne dovremo, e delle inceſſanti preghiere, che porgiamo à Dio per ogni ſuo più bramato contento; e con tutta la pienezza del noſtro Paterno affetto diamo all'A. V. l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 3. Auguſti 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

Copia del foglio incluſo nella ſudetta Lettera.

SUA Santità havendo ſentito con ſommo ſuo ramarico, che in Peſaro corra un' influenza di febri maligne, e perciò vi ſieno continuamente cinque in ſeicento ammalati con mortalità eziamdio di Nobili, & inoltre eſſendo ſtato rappreſentato alla medeſima Santità Sua, che la vera cagione di queſta influenza ſia il corſo trattenuto delle acque del Fiume Foglia dentro i Vallati, che paſſano in mezzo della Città, e la purgano da tutte le immondezze, le quali ora per mancanza delle ſuddette acque ne' medeſimi Vallati, marciſcono in compagnia di quel umido paduloſo, che vi rimane; hà commandato ſubito, che ſi tenga un congreſſo di Medici, e d'Ingegneri coll'intervento anche di alcuni Gentiluomini Peſareſi, come prattici delle coſe di quella Città, ad oggetto di ritrovare la più ſollecita maniera per ricondurre le predette acque in quei Vallati.

Mà perche Sua Beatitudine hà udito, che queſto difetto deriva dalla rottura delle Chiuſe poſte fuori di Peſaro, e nell'alto del Fiume, per mezzo delle quali S. A. il Signor Principe Franceſco Maria de Medici deriva l'acqua per far girare alcuni Molini di ſua pertinenza; quindi compaſſionando il miſero ſtato di quei ſuoi poveri Sudditi, e ſtimando che ſia di ſua preciſa obligazione il prender ſollecitamente quei provedimenti, che à tal'effetto ſi giudicano neceſſarii; hà ordinato, che ſi notifichi tutto ciò al Signor Principe, e che ſi preghi l'A. S. à voler ſubito commandare à i ſuoi Miniſtri in Peſaro di unirſi con il famoſo Ingegner Bordoni, che Sua Santità intende ſenza indugio di traſmettere colà da Roma, affinche ſi poſſa con tutta ſollecitudine portare à buon fine un'opera non meno utile alla Città, che agl'intereſſi di S. A., la quale avendo tentato ſenza buon eſito altre volte il riattamento di queſte Chiuſe, non può non deſiderare di vederle condotte à perfezzione per mezzo d'un Ingegniere, che ſi ſtima in materia di corſo d'acque uno de' migliori, e che perciò ſaprà trovare la ſtrada più facile, meno diſpendioſa, e più durevole per far caminare le ſudette acque à benefizio non meno de' Molini dell'A.S., che della publica ſalute di quella Città.

AR-

ARGUMENTUM

Cardinalis N. N. zelum, & Paſtoralem vigilantiam excitat, ut quibuſdam ſcandalis in Civitate, cui Ille Archiepiſcopus præerat, obortis, & ad Sanctitatem Suam delatis opportunè conſulere ſtudeat.

Dilecto Filio Noſtro N., S. R. E. Cardinali N. nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. L'anneſſo Memoriale, ancorche ſenza nome, ci viene da tal'mano, che abbiamo grand'occaſione di pur troppo creder veri li diſordini, che in quello ſi eſpongono. La materia, di cui ſi tratta, è troppo importante; la ſollecitudine, che ſiamo tenuti di avere per la cuſtodia delle Spoſe di Giesù Chriſto, e per il riſpetto dovuto à luoghi Sacri, non può eſſer mai troppa. Rimettiamo perciò à V. S. l'iſteſſo Memoriale con fiducia, ch'Ella ſia per adoperare tutto il ſuo zelo, tutta la ſua vigilanza, e tutta la ſua autorità, come vivamente la preghiamo, e come ſtrettamente le incarichiamo, e per applicare al male quei rimedii, che potranno eſſere più efficaci, e più opportuni à ſanarlo. Non laſci altresì di ſuggerire quel', che dal canto noſtro poteſſe contribuirviſi, eſſendo diſpoſti di appoggiarla con tutta quella aſſiſtenza, che da Noi ſe le deve, mentre in fine raccomandandoci alle ſue Orazioni, e à quelle di tutto il ſuo gregge per il gran biſogno, che ne teniamo in tempi sì calamitoſi, le diamo con tutta la pienezza del noſtro Paterno affetto l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 17. Auguſti 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Inquiſitorem Generalem Hiſpaniarum excitat ad graviſſimum illi commiſſum munus ſedulò, ac fortiter obeundum.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Cæſarauguſtano, Inquiſitori Generali Hiſpaniarum.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Eo præſertim nomine libenter excepimus grati animi ſignificationes à Fraternitate Tuâ ad Nos delatas ob demandatum Tibi à Nobis, atque ab Apoſtolicâ Sede graviſſimum munus Inquiſitoris Generalis in Regnis Hiſpaniarum, & ob facultates eâ occaſione per aliud Diploma Tibi à Nobis indultas, quia eodem tuarum literarum officio Nobis pollicebaris Te operam tuam in explendis tanti muneris partibus diligentiſſimè poſiturum. Sanè cum locus, in quo conſiſtis, Te, tamquam in ſummâ ſpeculâ, conſtituat, ex quâ nedùm gregis Tibi crediti, ſed multorum præterea Populorum ſpirituali bono, & ſaluti proſpicere, & non tam authoritate, quàm exemplo ceteris omnibus præeſſe debeas, ſatis intelliges, quo ſtudio, ac vigilantiâ tam arduum regimen in hoc præſertim ca-

lami-

lamitoſo rerum ſtatu ſit Tibi obeundum; Ipſa enim temporum difficultas, ac propè iniquitas Te pericula aliquandò expertum admonere poteſt zelo, ac conſtantiâ tanto in præſens majori opus eſſe his, quibus Sacræ, Divinæque res curandæ committuntur, quanto magis liquet ex his, quæ non ſine publico ſcandalo, nec ſine ingenti Jurium, ac Dignitatis hujus Sanctæ Sedis, noſtræque authoritatis contemptu, & injuriâ in iſtis Partibus nuper contigerunt, quàm oporteat opponere murum pro Domo Iſrael, & avertere ſalutaribus monitis prava eorum conſilia, qui dilexerunt verba præcipitationis. Quamobrèm memor charitatis illius, quâ Tibi non ita pridem peculiari modo aſſuimus ſoliciti, ne humanis ſtudiis à tuo Inſtituto prorsùs alienis plus nimio tribueres, & ne Regno potiùs, quàm Sacerdotio, favere videreris, id nunc tandem age, ac perfice, ut nihil Tibi priùs ſit, quàm libertatem, Juriſdictionem, & Immunitatem Eccleſiæ cum Catholicæ Fidei integritate, ac hujus Sanctæ Sedis authoritate, & Juribus tueri, quatenùs gratulari poſſimus curam aſſerendæ Religionis in Regnis cultui in Deum, & obedientiæ in Petri Cathedram ultrò addictis Tibi probè demandatam fuiſſe, Noſque non immeritò plurimùm confidiſſe de pietate, ac zelo Fraternitatis Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die decimâ ſeptimâ Auguſti 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Pontificio explicato mærore ob miſeram Regni Hungarici conditionem, omnibus Eccleſiaſticis tam Secularibus, quàm Regularibus ejuſdem Regni ſub graviſſimis pœnis inhibet, & injungit, ne turbas, ſeditiones, atque tumultus ibidem excitatos ullo modo confovere audeant; ac ejuſmodi pœnarum executorem deputat Cardinalem de Saxoniâ Archiepiſcopum Strigonienſem, præfatique Regni Primatem, cui peramplas ad id facultates attribuit.

Dilecto Filio Noſtro Chriſtiano Auguſto, S. R. E. Presbytero Cardinali de Saxonia.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Neminem eſſe arbitramur, qui Chriſtianæ pietatis oculis ſpectet incendia feralis illius belli, quo florentiſſimum quondam Hungariæ Regnum tot jam annos flagrat, & non intimè commoveatur, ac doleat eorum animos, qui hujuſmodi malorum Authores ſunt, aut participes eſſe dignoſcuntur, uſque adeò obcæcatos eſſe, ut ſpem, ac propè deſiderium priſtinæ tranquillitatis, & debitam erga legitimum Regem, hoc eſt Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Joſephum Romanorum Regem in Imperatorem electum obedientiam, imò etiam magnâ ex parte ſtudium, ac cultum Religionis abjeciſſe videantur. Acerbum ſanè Paternæ noſtræ charitatis ſpectaculum ſunt luctuoſæ illorum Populorum calamitates: ſed illud longè graviſſimum, ac moleſtiſſimum Nobis accidit, quòd ibi non deſint, ut audivimus, ex Ordine Eccleſiaſtico quamplures, qui ſuæ conditionis immemores tumultuantium, ac perduellium numero accedere, turbaſque excitare, vel confovere, non exhorreant. Quorum Nos Eccleſiaſticorum homi-

num audaciam, ac temeritatem in attentandis rebus Inſtituto, quod profitentur, prorsùs oppoſitis iis, quibus par eſt, remediis ope Circumſpectionis Tuæ, de cujus ſpectato zelo, ac eximiâ prudentiâ plurimùm in Domino confidimus, coercere volentes, authoritate noſtrâ in primis indicimus, & ſub præcepto obedientiæ mandamus omnibus Clericis tàm Secularibus, quàm Regularibus illarum Partium, cujuſcumque ſtatus, gradus, ac conditionis ſint, etiamſi vigore cujuſcumque privilegii,& prærogativę ſpeciali mentione digni habeantur, ut ſtatim ceſſent, & in poſterum omninò abſtineant à quocumque actu, per quem directè, vel indirectè ſuſcitari, augeri, aut quoquo modo confoveri poſſint hujuſmodi motus, tumultus, ſeditiones, ac bella, neque audeant cauſam, vel occaſionem, ſive opem, conſilium, aut favorem præbere rerum novarum authoribus, ac perduellibus, ſub pœnâ privationis Dignitatum, Canonicatuum, Abbatiarum, Commendarum, Penſionum Eccleſiaſticarum, nec non omnium, & quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum, etiamſi ea ſint de Jurepatronatus Laicorum etiam Nobilium, & Illuſtrium, ac ſub pęnâ perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia ſimilia, vel diſſimilia quæcumque in poſterum quomodolibet obtinenda,& ſi Regulares ſint,ſub pœnâ privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac Officiorum, ac Dignitatum, etiam majorum, ac principalium, pariterque inhabilitatis ad illas, vel illa aſſequenda in futurum; quæ pęnæ actu,ac ipſo facto incurrantur poſt menſem à die publicationis præſentium. Ad quarum quidem omnium, & ſingularum pęnarum declaratoriam, ſeù declaratorias ſententias volumus, & mandamus, ut procedi poſſit, juris ordine ſervato, per Te Dilectum Filium Noſtrum Chriſtianum Auguſtum S. R. E. Cardinalem de Saxonia, Metropolitanæ Eccleſiæ Strigonienſis, ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica Præſulem, ac Primatem totius Regni Hungariæ. Tibi proinde noſtrâ, & Apoſtolicæ Sedis authoritate impartimur facultatem deveniendi ad omnimodam hujuſmodi pœnarum executionem, & eos, qui in præfatis deliquerint, & rei comperti fuerint, deſtituendi, & privandi, alia etiam quæcumque neceſſaria, & opportuna faciendi, ac demum ea omnia, quæ de jure fieri ſolent, ac poſſunt ab his, quibus pari authoritate demandata eſt executio pœnarum in Conſtitutionibus Romanorum Pontificum indictarum. Quamobrèm tuæ perſpectæ vigilantiæ, ac virtutis erit Eccleſiaſticas Perſonas, quæ in dedecus Sacerdotalis Ordinis à ſimilibus attentatis non deſtiterint, vel ſimilia in poſterum attentare præſumpſerint, inflictione pœnarum juxtà facultates Tibi hiſce noſtris attributas ab hujuſmodi ſcandalis deterrere, dum Nos Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem &c. die decimâ ſeptimâ Auguſti 1709. &c.

ARGUMENTUM

Epiſcopum Monaſterienſem laudat, quòd Pontificiam authoritatem in collatione Beneficiorum adverſùs Imperiales Preces ſtrenuè defenderit, utque eâdem animi fortitudine, atque conſtantiâ attentatis obſiſtat cujuſdam Preciſtæ Proviſum Apoſtolicum expellere conantis ab eo poſtulat.

Venerabili Fratri, Franciſco Arnoldo Epiſcopo Monaſterienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Cumplurimum interſit, ut Eccleſiaſtica libertas, & Pontificia noſtra authoritas integra permaneat, & illæſa prorsùs ſervetur, præſertim in collatione Beneficiorum adversùs eos omnes, qui Laicâ poteſtate freti, & ſignanter obtentu Imperialium Precum in hujuſmodi Beneficia ſe intrudere, eademque temerè occupare conantur; Nos, qui de præſtanti Fraternitatis Tuæ zelo, & ſingulari in Nos, & in Apoſtolicam Sedem devotione admodùm confiſi, Te aliàs hortati magnoperè fuimus, ut præfatam libertatem, & authoritatem omni ſtudio, & conſtantiâ tuereris, à Venerabili Fratre Joanne Baptiſta Archiepiſcopo Tarſenſi non ſemel admoniti Te ſimilibus auſibus in tua Diœceſi aliquandò attentatis, eâ, qua par erat, animi fortitudine obſtitiſſe, poſt debitas in Domino laudes, quas pro tuâ egregiâ voluntate in aſſerendis Eccleſiæ juribus Tibi meritò tribuimus, novos etiam ſtimulos Tibi ceteroquin parato, & ut dicitur, currenti addere decrevimus, quatenùs in ea etiam, quæ in præſens emergit, occaſione, nullo modo patiaris Preciſtam, ut vocant, Imperialem violenter attentantem expellere Proviſum Apoſtolicum Reſignatarium Canonicatus Eccleſiæ Collegiatæ Verdenſis iſtius tuæ Diœceſis, voti ſui compotem fieri, ſivè potiùs violenti, ac injuſti ſui propoſiti finem aſſequi. Sanè hujuſmodi conatus tuâ authoritate in irritum caſuros confidimus, cumulatumque iri hoc etiam nomine tuum meritum, non ſine incremento in Nobis ejus benevolentiæ, qua proſequimur Fraternitatem Tuam, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die decimâ ſeptimâ Auguſti 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Univerſos Chriſtifideles in Regnis Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ degentes ad Fidei candorem omni ſtudio cuſtodiendum, occludendas aures doctrinis peregrinis, obſervandam Apoſtolicam Conſtitutionem- Vineam Domini Sabaoth-*adverſùs ejuſmodi doctrinas nuper editam, ac demum accuratè vitandam nedum conſuetudinem, ſed etiam lectionem librorum prædictis novis doctrinis quoquo modo ſuffragantium, Paſtoralibus monitis excitat, ac hortatur.*

Dilectis Filiis, univerſis Chriſtifidelibus in Regnis Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ exiſtentibus.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecti Filii, ſalutem &c. Magnitudinem Paternæ noſtræ ergà Vos charitatis, & Paſtoralis zeli, quo pro ſpirituali veſtrâ ſalute intimè flagramus, ex eo præſertim perſpectam Vobis eſſe cupimus, quòd ſoliciti prætermodum ſumus, ut puritas Catholicæ Fidei ita in cordibus veſtris perſeveret, quemadmodùm eam Majorum veſtrorum exemplo inter tribulationum, ac perſecutionum æſtus magnâ veſtri nominis laude, majori verò apud Deum meriti incremento, illibatam hactenùs ſervaſtis, ut bonus odor Chriſti à Vobis in univerſam Eccleſiam ad ædificationem Fidelium uſque magis effundatur. Quia verò ad ſervandum in mentibus veſtris verbum veritatis, & ad retinendum candorem Fidei, maximè pertinet omnem aditum occludere doctrinis variis, ac peregrinis, quarum nimium ferax hæc ætas eſſe dignoſcitur; Muneris noſtri eſſe duximus Vos commonere, ut caveatis à novis illis opinionibus, quas, veluti zizania quædam in Agrum Dominicum clam immittere inimicus homo non deſinit; Cujus Nos quidem graviſſimi periculi pridem admoniti, ac juſto timore perciti, ne qui rectè, ac catholicè ſentiunt, hujuſmodi inſidiis omni arte, ac dolo paratis fallerentur, edidimus paulò ante Conſtitutionem noſtram incipientem: *Vineam Domini Sabaoth*, qua detectis erroribus, quibus hujuſmodi opiniones ſcatent, certam, abſolutam, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, noſtroque, atque Apoſtolicæ Sedis judicio conformem ſentiendi in his quæſtionibus normam Fidelibus indiximus. Hujus autem regulæ magiſterio facilè Vobis erit, propitiante Deo, declinare tenſa ubique à Novatoribus offendicula, ne in ea unquàm impingatis, ubi præſertim abſtineatis ab inveſtigandis, perlegendiſque libris eâdem pravæ doctrinæ labe infectis, aut certè erroris quoquomodò ſuſpectis, quos conſtat à Nobis, atque à Prædeceſſoribus noſtris fuiſſe Fidelibus interdictos. Proderit prætereà Vobis ad ſalutem devitare omni ſtudio eorum conſuetudinem, potiſſimùm in rebus regimen conſcientiæ veſtræ reſpicientibus, qui cum impensè faveant hujuſmodi ſcriptis, ſatis oſtendunt, quàm exiguam Judicii de eis à Nobis lati, ac proinde Pontificiæ authoritatis rationem habeant: ac ſanè dolendum Nobis eſt non deeſſe in Regionibus, quæ Regnis iſtis finitimæ ſunt, quoſdam, qui quamvis Catholicum nomen præferant, & Clericali militiæ ſint adſcripti, imò etiam rigidioris Moralis Profeſſores haberi velint, ſupremam tamen Cathedræ Sancti Petri authoritatem palàm impetere, eique debitam obedientiam denegare, quæſito interim apud Laicos, & Acatholicos Magiſtratus ſuæ contumaciæ præſidio, non vereantur. Atque hæc Vobis ſignificanda eſſe duximus, ut in-

telligatis quomodò oporteat Vos ambulare, ut abundetis magis, & aſſequamini fructum Fidei veſtræ, ſalutem animarum, quod ut Vobis, dante Domino, contingat, Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ ſeptimâ Auguſti 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Cum Archiepiſcopis, & Epiſcopis Hiſpaniarum ejectionem Nuncii Pontificii ab Aula Matritenſi, interdictum cum Romana Curia commercium, plureſque alias Sedi Apoſtolicæ illatas inſignes injurias graviſſimè expoſtulat. Deindè eos ut Regem Catholicum ad ſalubriora conſilia revocare omni ope ſatagant, proprioque muneri in tanta rerum perturbatione nequaquam deſint, enixè hortatur. Poſtremò ipſis, ne ſub quovis prætextu ea attentare audeant, quæ vel ad juriſdictionem Nuncii Apoſtolici pertinent, vel Summo Pontifici, & Apoſtolicæ Sedi reſervata ſunt, ſub nullitatis, aliiſque gravioribus pœnis diſtrictè vetat, ac inhibet.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis Hiſpaniarum.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabiles Fratres, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Niſi eò jam deveniſſent res in conſpectu totius Chriſtiani Populi nuper in iſtis Partibus actæ, ut æquo animo, ac ſine onere conſcientiæ noſtræ præteriri ſilentio, aut ferri diutius à Nobis non poſſet gravis adeò, ac publicus non tam Dignitatis, quàm Pontificiæ noſtræ authoritatis contemptus, & injuria: ſuſtineremus utique, ac dum maledicimur, benedicentes, charitati noſtræ indulgere pergeremus, confiſi ſanè quod, quæ prævalentibus pravis conſiliis adversùs noſtra, & Apoſtolicæ Sedis, ipſiuſque Eccleſiæ jura, ac majeſtatem iſthic admiſſa fuerunt, debitâ tandem actorum reſciſſione, & congruâ tantorum gravaminum reparatione eſſent ſarcienda. Atque ità ſanè Nos ſperare faciebant tum ſingularis illa, ac nedum Nobis, ſed univerſo propè terrarum Orbi perſpecta inclytæ Nationis Hiſpanicæ pietas, tum conſtans, ac perpetua illius, ejuſque Regum in Sanctam Romanam Eccleſiam obſervantia, ſtudio potiſſimum, ac vigilantiâ Fraternitatum Veſtrarum ſolerter exculta. Verùm cum non modò, quæ perperàm acta ſunt, minimè, ut par erat, hactenùs emendari, ſed potiùs novorum acceſſione facinorum magis, magiſque in dies confirmari acceperimus, Vobiſcum injuriam hanc noſtram, itidem, atque veſtram, graviter expoſtulare decrevimus. Et ſanè poſt publicum ſcandalum expulſionis ab iſtis Regnis (quod Nos pudet, ac piget commemorare) Venerabilis Fratris Antonii Felicis Archiepiſcopi Damaſceni noſtri, & Apoſtolicæ Sedis Nuncii, poſt cuſtodiam ipſi ita in itinere adhibitam, ut à Fraternitatum Veſtrarum colloquio, nedum obſequiis, quæ certè pro pietate veſtrâ, ac veteri in hanc S. Sedem, & Pontificium nomen cultu, ei minimè defuiſſent, penitùs arceretur, poſt ejectos ejus Curiæ Miniſtros, Tribunal abolitum, occupata Tabularia, quid tandem iniquius excogitari potuit Mandato illo Regii nominis authoritate, ſeu potiùs abuſu, ad ſingulos Epiſcopalis Ordinis veſtri directo, quo perinde ac ſi viſibile Caput Eccleſię, quod Nos, licèt

immerentes, ſumus, & quamdiù Deus tulerit, conſtanter erimus, deſiiſſet, aut quaſi munus ipſum Apoſtolici Nuncii, eique à Nobis attributæ facultates non aliâ ratione, niſi quia Seculi poteſtas ſic juſſit, ceſſaſſent, quodcunque cum Romanâ Curiâ, hoc eſt cum ipsâ veræ Religionis Arce commercium interdicitur, atque interim in rebus Sacris, & Eccleſiaſticis ad Apoſtolicam Sedem, ejuſque Nuncium unicè pertinentibus, injuſtè non minùs, quàm nulliter, Vobis, qui Chriſti Domini eſtis, agendi forma præſcribitur. Quis audivit unquam à Seculo talia! præſertim apud Hiſpanos, qui Catholico non tam nomine, quàm fervore gloriantur? Quis unquam credet hæc Ejus nomine prodiiſſe, quem paterno ſemper amore proſequi, præcipuiſque officiis, ac beneficiis demereri non prætermiſimus? Quid porrò ad Nos, ſi inter Chariſſimos Filios Noſtros Reges Orthodoxos, invitis, ac mœrentibus Nobis, de Regnis, & Principatibus diuturno nimis, ac pertinaci bello certatur? Numquid ut Pacem inter eos aliquandò conciliaremus, quemadmodùm communem decebat omnium Parentem, defuimus, fuſis primùm cum privatis, tum publicis ad Deum precibus, deinde officiis, operâ, Legationibus? Numquid ſtudia Partium fovimus? aut alicujus juribus, aut dignitati invidimus? Quid tandem pro univerſi Populi Chriſtiani quiete, ſalute, felicitate potuimus facere, & non fecimus? Nihil certè hac in re Nobis (Apoſtolica verba uſurpare liceat) conſcii ſumus, neminem læſimus, neminem circumvenimus, omnibus æquâ ſemper paternæ charitatis operâ præſtò fuimus. Unde verò gratiam ſperabamus, injurias reportavimus, & dolentes clamare compellimur: *Principes perſecuti ſunt me gratis, & retribuebant mihi mala pro bonis.* Quamobrèm cum jam attingi ſumma jura Eccleſiæ à ſeculari poteſtate, & profanas manus ad Arcam Dei videamus ferè admoveri, è ſupremâ Beati Petri Cathedrâ inſurgimus, & præſenti periculo denunciato, admonemus officii ſui Fraternitates Veſtras; Ac primùm quidem enixè Vos hortamur, ut non minus Paſtorali zelo, quàm humilitate Sacerdotali Sanctæ Dei Eccleſiæ cauſam viriliter agentes revocare ſtudeatis Regium animum ab audiendis, admittendiſque eorum conſiliis, qui (ut Magni Auguſtini verbis utamur) *iniquè, inordinatè, perversè volunt levare aquam ſuper oleum: Demergetur quippè aqua, oleum ſupereminebit; ponere volunt ſub tenebris lucem: fugabuntur verò tenebræ, lux manebit: ſuper Cœlum Terram volunt collocare: pondere autem ſuo cadet Terra in locum ſuum.* Oſtendite conſilia hujuſmodi, ut minimè conſona Ejus, qui illis utitur, famæ, ac ſaluti, ità prorſùs aliena eſſe à propoſito confovendi ſtudium Religionis, ac tranquillitatis apud Populos, à quibus, utpotè ſyncerâ, ac perpetuâ reverentiâ Romanæ Eccleſiæ ſemper addictis, credere eſt nova hæc, & inaudita exempla ſine interno quodam horrore exaudiri non poſſe. Revocate in memoriam, quæ olim conterraneus ille veſter Oſius Epiſcopus Cordubenſis, Conſtantium Imperatorem admonens, præclarè ſcripta reliquit: *Deſine quæſo te, & memento te mortalem hominem eſſe: time Judicii diem, teque ipſe innoxium ad eam diem cuſtodias: Ne te rebus miſceas Eccleſiaſticis, nec Nobis his de rebus præcepta mandes, ſed à Nobis potiùs hæc ediſcas.* Agite ergo, Venerabiles Fratres, arguite, obſecrate, increpate in omni patientiâ, & doctrinâ, ut fidentiùs in poſterum dicere poſſitis ad Deum: *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar.* Dabit Vobis Dominus in illâ horâ quid loquamini: Dabit voci veſtræ vocem virtutis: Dabit Regi cor docile, quò veſtris conſiliis acquieſcat, ac celeri malè geſtorum retractatione ſuæ non minus famæ, quàm conſcientiæ conſulat. Agite potiſſimùm, ut Ille ope veſtrâ intelligat, quanti ſua interſit eſſe grato,

obſe-

obſequentique animo in Apoſtolicam Sedem, cujus (ut de reliquis modò titulis ſileamus) beneficio, ac liberalitate, indultis ſibi ad tempus ex proventu Eccleſiæ ſubſidiis pro tuendâ adversùs Barbaros, ac Infideles re Chriſtianâ, & ampliſſimâ iſtâ Ditione perfruitur. Quo quidem fructu Apoſtolicæ conceſſionis profectò non expedit, ut per quemcunque receſſum à Filiali ergà candem Sedem obſervantia Eum caruiſſe aliquandò dici contingat. Ceterùm quod ad Vos attinet, ſcitis quantoperè ad Officium Epiſcopale pertineat Eccleſiaſtica Jura, & Apoſtolicæ Sedis dignitatem, authoritatemque tueri; quæ ſicuti violari abſque ingenti nominis veſtri dedecore, atque injuriâ non poteſt, ità veſtrum quoque eſt, ut à quocunque incommodo, & periculis vindicetur. Porrò deploranda res eſſet, univerſæque Catholicæ Eccleſiæ planè acerbiſſima, ſi tot, ac tanti nominis, & virtutis Antiſtites, quales Vos eſſe novimus, & gaudemus, quaſi neglectâ fide, atque obedientia, poſthabitoque jura, honores, privilegia, & authoritatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & noſtram conſervandi, defendendi, augendi, promovendique onere, quod ſpontè, atque alacriter in ſolemni veſtrà ad Epiſcopalem Ordinem inauguratione jurejurando aſſumpſiſtis, in tam apertâ Eccleſiaſticæ libertatis, ac juriſdictionis oppugnatione, abjectis juſtitiæ armis, & gladio Spiritus, quod eſt verbum Dei, turpiter fugeretis, vel præſentes calamitates, majoraque Vobis, ac dignitati veſtræ imminentiâ mala non ſatis æſtimantes, inerti quodam veluti ſomno torpeſcere videremini. Videte Filios hujus Seculi quomodò non dormiunt, ſed arreptâ perturbatæ Reipublicæ occaſione, prudentia carnis, quæ ſtultitia eſt apud Deum, innixi, Principis menti pravis, doloſiſque conſiliis illudere, atque ità per manifeſtam Sacrorum Canonum infractionem in hæreditatem Domini palàm irrumpere non verentur. Nolite ergo Vos, qui Paſtores eſtis in Iſrael, muneri veſtro deeſſe: nolite Nobis pudori, puſillis ſcandalo, domeſticis fidei offenſioni, iis verò, qui foris ſunt, exultationi eſſe, ne fortè Vobis, ut parùm de Eccleſiis, ac Dignitate veſtrâ, deque commiſſi Vobis Gregis incolumitate ſolicitis, exprobari aliquandò poſſit propheticum illud: *Non aſcendiſtis exadverſo, neque oppoſuiſtis murum pro Domo Iſrael*; aut terribilius illud: *quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum eſt, non reduxiſtis; Diſperſi ſunt Greges mei, & non erat qui requireret.* Ceterum illud in primis officii noſtri eſſe duximus, ut Fraternitatibus Veſtris indiceremus, ac denunciaremus, quemadmodùm per præſentes literas traditâ Nobis ab Omnipotenti Deo authoritate indicimus, ac denunciamus, abſtinendum Vobis prorsùs eſſe ab attrectandis iis rebus, quæ ſupremæ noſtræ authoritati reſervata, aut Apoſtolico Noſtro Nuncio tantùm à Nobis commiſſa, ac ſpecialiter demandata eſſe non ignoratis. Ne verò abſentiæ illius obtentu, aut alio quovis titulo, ac quæſito colore difficultatis temporum, ſivè intervalli locorum contingat dubitari pro eventu occaſionum, quid factu opus ſit, ſcire Vos volumus, ipſum Antonium Felicem Archiepiſcopum, ac Nuncium in Civitate Noſtrâ Avenionenſi, mandantibus Nobis, conſtitiſſe, ibique actu degere, ac paratum fore, utpotè eiſdem, quibus antea, facultatibus inſtructum, Spiritualibus iſtorum fidelium neceſſitatibus, ac commodis, quemadmodùm res expoſcet, adeſſe. Etſi autem pro certo habeamus Vos probè conſcios quibus finibus poteſtas veſtra contineatur (ſcientibus enim legem loquimur) ultra quàm Vobis fas ſit, non eſſe prætergreſſuros; abs re tamen non eſſe ducimus, quò id ipſum magis ceteris omnibus innoteſcat, Vobis injungere, ne illis Beneficiorum collationibus, diſpenſationibus etiam

Ma-

Matrimonialibus, recurſibus, appellationibus, aliiſque ſimilibus, quæ ab Apoſtolico tantùm Nuncio cognoſci, expediri, atque agi conſueverunt, manum ullo modo apponatis; nullam enim in hujuſmodi rebus facultatem Vobis, utcunque Epiſcopis, ſivè Archiepiſcopis, ſivè Primatibus, ſivè etiam Cardinalitiâ Dignitate præfulgentibus, competere, aut per hujuſmodi abſentiam Nuncii Noſtri devolutam fuiſſe, aut accreviſſe declaramus; & nihilominus, ne ullus ſuperſit dubitandi, aut interpretandi locus, & ad uberiorem cautelam, omnem Vobis circà præmiſſa poteſtatem prorsùs adimimus, irritum, ac inane declarantes quidquid ſecus ſuper his à quoquam quâvis authoritate ſcientèr, vel ignorantèr attentati contigerit; Atque ita diſtrictè præcipimus, & mandamus in virtute Sanctæ obedientiæ, ac ſub obteſtatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, necnon quoad Vos, Venerabiles Fratres, ceteroſque Pontificali Dignitate inſignitos ſub Suſpenſionis ab exercitio Pontificalium, & Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ: quoad alios verò ſub Excommunicationis majoris, & quoad omnes ſub privationis fructuum Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcumque per eos reſpectivè obtentorum, aliorumque quorumvis redditiuum Eccleſiaſticorum ipſo facto abſque aliâ declaratione incurrendis pœnis: præter omnium actorum, & agendorum nullitatem ſuperiùs enunciatam. Nullæ itaque erunt diſpenſationes etiam matrimoniales, nullæ præfatorum Beneficiorum collationes, nullæ ſententiæ, nulla itidem, ac nullius roboris cetera omnia, quæ ſimili modo peragi contigerit, cum omnibus, & ſingulis indè ſecutis, ac quomodolibet ſecuturis; itaut matrimonia ſic contracta nulla, & invalida, ac ſic contrahentes, tanquam in concubinatu viventes, haberi, proles etiam illorum illegitimæ, & ſucceſſioni inhabiles cenſeri debeant. Eos verò, qui ſimiles Beneficiorum collationes auſi fuerint acceptare, occupatores, invaſores, ac intruſos eſſe, & fore declaramus, qui proptereà nunquam facient fructus ſuos. Quod ſi aliqui Pœnitentiarii, aut Parochi munus pari modo conſecuti fuerint, ſciant Fideles (de quorum æternâ ſalute ſoliciti eſſe debemus) eos ligandi, atque ſolvendi poteſtatem exercere minimè poſſe. Ad hæc nemo earumdem Collationum vigore legitimè conſidere, aut vocem habere poterit in Capitulo, imò eodem nullitatis vitio laborabunt Electiones horum interventu factæ, abſque eo quod ipſis ſuffragari valeat bona fides, titulus putativus, aut coloratus, regula poſſeſſionis triennalis, vel decennalis, ſive etiam majoris, diuturnioris, aut cujuſcunque demùm temporis lapſus; quos proindè omnes ex nunc, prout ex tunc, in verâ, ac reali malâ fide conſtituimus, ac conſtitutos eſſe denunciamus. Sciant igitur Præſules, ſi qui fortè (quod Deus avertat) Apoſtolici Nuncii, aut noſtram, & hujus Sanctæ Sedis juriſdictionem uſurpare præſumpſerint, ſe Deo debitores fore cujuſcunque damni, ſcandali, ac ſpiritualis detrimenti, quod indè emerſerit. Quin etiam ſub eiſdem pœnis caveant, ne manus apponant ad ſpolia Prælatorum, ad fructus vacantium Eccleſiarum, ad exactionem Quindenniorum, neque ad alia occupanda jura Apoſtolicæ Sedi pro tuendâ Pontificiâ Dignitate, rebuſque ſacris adminiſtrandis, aliiſque multiplicibus Chriſtianæ Reipublicæ, & Catholicæ Religionis negotiis expediendis, vel neceſſitatibus reparandis debita, etiamſi id facere intenderent ad effectum ea deponendi, quinimò nedum ab his abſtineant, ſed quoſcunque ſive Laicos, ſive etiam Eccleſiaſticos, qui ea uſurpare, occupare, ſive etiam adminiſtrare ſine noſtrâ, atque hujus Sanctæ Sedis facultate, quoque modo præſumpſerint, Cenſuris Eccleſiaſticis coerceant, innodatoſque eſſe denuncient pœnâ majoris Excommuni-

ca-

cationis per Apoſtolicas Conſtitutiones, ut notum eſt, adversùs talia perpetrantes inflictâ. Quod ſupereſt, Deum Optimum Maximum enixè precamur, ut zelum, quo pro Divini nominis honore, & Eccleſiæ libertate, ac juribus, proque Supremâ Noſtrâ, & Apoſtolicæ Sedis authoritate fervere Vos credimus, ita roboret, atque communiat, ut antiqua Vobis, ac per Vos fidelibus iſtis veræ pietatis laus conſtet, & Nos gratulari quamprimum poſſimus ab electâ iſtâ Dominici Agri Parte evulſa fuiſſe, quæ inibi non ita pridem ab inimico homine immiſſa fuerunt, zizania, ac reſtitutam fuiſſe bonæ frugis integritatem ope potiſſimùm Fraternitatum Veſtrarum, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Volumus demùm, ut earumdem præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi fuiſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 24. Auguſti 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Univerſo Clero Seculari Hiſpaniarum.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Quantum ornamenti, ac præſidii ſemper acceſſerit Romanæ Eccleſiæ ex inſigni pietate, ac filiali obedientia erga Summos Pontifices, & Apoſtolicam Sedem inclytæ Nationis Hiſpanicæ, eatenùs referre modo ſuperſedemus, quatenùs ex hac ipſa commemoratione ſolicitudinem, quâ in præſens afficimur, in immenſum augeri percipimus. Satis ſit in tanta animi noſtri perturbatione advertere hanc ipſam inſitæ pietatis laudem Univerſæ Nationi meritò attributam, partam potiſſimùm fuiſſe ſtudio, ac operâ Eccleſiaſtici Veſtri Ordinis, qui ſicut ſpectatæ virtutis exempla populis præbere nunquam prætermiſit, ita Viros vitæ ſanctimoniâ præſtantes, inſignes Sacrarum Literarum Interpretes, eximios Theologicæ facultatis Magiſtros indeſinenter protulit, quod Sacri Eccleſiæ Annales, & edita in lucem volumina, & celebres per Univerſum Orbem iſtarum Partium Academiæ, etiam reticentibus Nobis, diſertè teſtantur. Neque tamen arbitramur deferbuiſſe nunc demùm in cordibus veſtris fervorem charitatis, aut zeli, propter graviſſimum in iſtis Partibus ſcandalum nuper admiſſum, quando Vos ejus ſcandali adeò non Authores, neque participes, neque conſcios fuiſſe credimus, ut imò perſuaſum Nobis ſit indoluiſſe Vos vehementer, imò inhorruiſſe ad tam manifeſtum noſtræ Dignitatis, atque authoritatis contemptum. Quis enim piè, ac rectè in Domino ſentiens æquo animo ferre poſſit ea omnia, quæ adversùs Venerabilem Fratrem Antonium Felicem Archiepiſcopum Damaſcenum noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis Nuncium, adversùs ſanctiora quævis Eccleſiæ jura, & libertates, adversùs noſtram, & ejuſdem Sedis dignitatem, & juriſdictionem per ſeculi Poteſtatem publicè perpetrata fuerunt. Quare Nos ne muneri noſtro in tantâ Eccleſiaſticorum jurium everſione deeſſe videremur, per alias noſtras in ſimili forma Brevis ad Venerabiles Fratres Archiepiſcopos, & Epiſcopos Hiſpania-

niarum, hac ipſa die datas literas, illos commonere, eaque, ſupremâ authoritate noſtrâ, ſtatuere, atque ſancire coacti fuimus, quæ tantæ rei gravitati congruere judicavimus. Ceterum quamvis de iiſdem Vos omnes certiores abundè futuros, præſcriptaque à Nobis, quod ad Vos pertinet, exactè, ac ſtrenuè impleturos eſſe non ambigamus, ea eſt nihilominùs noſtra in Vos, veſtrumque Ordinem paterna charitas, & firma Filialis obſequii veſtri fiducia, ut graviſſimi doloris noſtri ſenſus Vobiſcum etiam communicare opportunum duxerimus, non levamen modò, ac ſolatium, ſed & opem ex orationibus veſtris, atque alacrem in tuendis Eccleſiæ juribus operam experturi. Agite igitur, Dilecti Filii, miniſterium veſtrum honorificate, Voſque dignos religioſiſſimi Hiſpanici Cleri Alumnos, à Majoribus veſtris in colendâ prçcipuè Apoſtolicâ Beati Petri Cathedrâ minimè degeneres, oſtendite, veroſque libertatis Eccleſiaſticæ zelatores. Veſtrum porrò eſſe non ignoratis, nedum ab attrectandis iis omnibus, quæ præfatis literis noſtris vetita ſunt, abſtinere, & terminos ſtationis veſtræ nullo modo prætergredi, ſed pro zelo, ac pietate veſtra aſſerere omni ſtudio Immunitatem, & Juriſdictionem Eccleſiaſticam, ac cuicumque eam invadere molienti conſtanter obſiſtere, ea demum præſtare, quæ Sacerdotalem libertatem, & veſtri Ordinis dignitatem, veſtramque virtutem, ac famam maximè deceant, nec tamen parcere officiis charitatis, quatenùs per ſalutaria veſtra monita evertantur conſilia eorum, qui Eccleſiæ tranquillitatem perturbare contendunt. Pignus interim Paternæ noſtræ benevolentiæ Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Volumus autem, ut præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſticâ Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi fuiſſent exhibitæ, vel oſtenſæ.. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 24. Auguſti 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Religioſis Viris, Univerſo Clero Regulari Hiſpaniarum.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Mirum profectò, & incredibile eſt eo planè tempore, quo Chriſtiani Principes graviſſimis curis implicantur, acerrimè inter ſe conflictantes, parumque commoti noſtris vocibus, ac monitis, quibus ea, quæ Pacis ſunt, aſſiduo, etſi irrito hactenùs labore hortari, & rogare non prætermittimus, non deeſſe, qui improbis conſiliis ipſorum Principum animos adversùs communem eorum Parentem urgere, eoſdemque ad oppugnanda Sacra Eccleſiæ jura incendere non vereantur. Quod etſi non una ex parte in hoc perturbatiſſimo Univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſtatu contra jus, ac fas omne quotidiè attentari dolentes conſpicimus, fateri tamen cogimur longè acerbiſſimum Nobis eſſe in ipſis etiam Regnis, in quibus conſtans in Deum Religio, fervens in Sanctam Matrem Eccleſiam cultus, ac indeficiens in Romanos Pontifices, & in Apoſtolicam Sedem obedientia ſemper viguit, ea modo contemni, ac par-

vipendi, quæ ſummo ibi honore, ac reverentiâ perpetuò ſunt habita. Non ignorare Vos arbitramur referri hæc ad publicum,ac graviſſimum ſcandalum in iſtis Partibus non ita pridem admiſſum, cum Venerabilis Frater Antonius Felix Archiepiſcopus Damaſcenus noſter, & Apoſtolicæ Sedis Nuncius è Regnis iſtis excedere juſſus, atque inde non tam honorificè, quàm cautè per militarem cuſtodiam deductus novum in ſe exemplum, ſivè potiùs inviſum hactenùs ſpectaculum Populis iſtis exhibuit contempti Apoſtolici Muneris, ac parùm reverenter habitæ ejus, quam gerebat, Perſonæ. Acceſſit juſtitium quoddam ejus Tribunali indictum cum expulſione Officialium, ac Tabulariorum occupatione, quaſi omnis ibi Juriſdictio, ac Eccleſiaſtici Judicii adminiſtrandi poteſtas adempta fuiſſet. Conſtat porrò hâc ipsâ occaſione, ac iiſdem pravi conſilii Authoribus impellentibus, indicatam fuiſſe Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis novam quamdam agendi methodum in cauſis Eccleſiaſticis ad Apoſtolicum Nuncium juxtà facultates ipſi tantùm à Nobis attributas privativè pertinentibus, in quibus explorati juris eſt nemini fas eſſe abſque authoritate noſtrâ quidquam conſtituere. Quin etiam ad conflandam majorem Regio nomini invidiam eò uſque progreſſum fuit, ut omne commercium cum hâc almâ Urbe, ubi Nos univerſæ Eccleſiæ regimini, nullis licèt meritis noſtris, præſidemus, & undè Catholicæ Religionis oracula in Univerſum Orbem diffunduntur, penitùs interdiceretur; prætereà inter alia multa utrique Clero nulliter, ac perperàm injuncta, quæ noſtris, & Apoſtolicæ Sedis juribus adverſantur, vetitum fuit, non minori auſu univerſo Regulari Ordini veſtro, ne Superioribus Generalibus hìc commorantibus, non ſecus ac ſi apud hoſtes degerent, ullum cultum, ullamve obedientiam hoc tempore exhibeat. Utrum hæc Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ac libertati adeò adverſa, ac injurioſa pertineant ad propitiandum Deum, atque ad ejus opem in tantis Populorum calamitatibus conciliandam, Vos, qui ſpirituales eſtis, quique ad curandam veſtram, ac proximorum ſalutem, ad explicandam veritatem, ad annunciandas Fidelibus juſtitias Dei viventis charitatis officiis incumbere propoſuiſtis, expendite. Præſtat interim, ut ſciatis Apoſtolicum Nuncium eiſdem facultatibus inſtructum in Civitate noſtrâ Avenionenſi, quo propiùs adeſſe poſſit ſpiritualibus iſtorum Fidelium neceſſitatibus, juſſu noſtro conſtitiſſe. Non itaque licere ſibi quiſquam putet adire quovis obtentu Ordinarios Judices quâcumque demùm, ſive Epiſcopali; vel Archiepiſcopali, aut Primatiali, ſive etiam Cardinalitiâ Dignitate præfulgeant, in his, quæ à Nobis, & ab Apoſtolico Nuncio tantùm vigore facultatum, quas, ut præfertur, ipſi tribuimus, cognoſci, ac expediri debent, cujuſmodi eſſe nonnullas cauſas, ac Beneficiorum collationes, itemque Matrimoniales, aliaſve diſpenſationes, abſolutiones, recurſus, atque appellationes, aliaque ſimilia ſatis vobis compertum eſſe non ambigimus; quidquid enim hoc modo fieri, ſive obtineri contigerit, cum omnibus, & ſingulis inde ſecutis, ac quomodolibet ſecuturis, id omne, tametſi nullum, ac invalidum per ſe ſit, Nos etiam authoritate noſtrâ ad tollendum omnem ambigendi, aut interpretandi locum irritum, & inane, ac nullius roboris eſſe, ac fore declaramus. Quod ſi qui fortè præſumpſerint vi eorundem ſecularium mandatorum ad Spolia Prælatorum, ad fructus vacantium Eccleſiarum, ad exactionem Quindenniorum, ſive ad alia Apoſtolicæ Sedis jura occupanda, etiam ad effectum ea deponendi, temerè manum apponere, ſciant ſe Eccleſiaſticis cenſuris, ac majoris excommunicationis pœnâ per Apoſtolicas Conſtitutiones, ut notum eſt, adversùs talia perpetrantes inflictâ

ctâ fore irretitos. Hæc omnia, licet vobis ſatis explorata, præſentibus innuiſſe ſufficiat, ut pro eo, quo in Dei cultum, Eccleſiæ diſciplinam, atque Apoſtolicæ Sedis, quæ Mater veſtra eſt, honorem zelo fervetis, quique apud præclariſſimos religioſæ vitæ per Hiſpaniam cultores quàm maximè excellere conſuevit, enixis primùm ad Deum precibus, ac gemitibus, tanta à veſtris populis arcere crimina, majoraque ab iſtiuſmodi Regnis imminentis iræ Dei pericula avertere: ſalutaribus deinde monitis, ſaniſque conſiliis deceptos inſtruere, arguere improbos, errantes in viam veritatis adducere ſtudeatis. Novimus quanta ſit, præſertim apud Hiſpanos, erga Religioſos Viros, qui terrenis omnibus abdicatis Cœleſtem quamdam vitam in terris inſtituunt, aſſiduoque orationum, ac literarum ſtudio præclaram ſibi pietatis, doctrinæque famam pariunt, exiſtimatio, ac benevolentia; ut propterea nemo vobis efficaciùs, aut fructuoſiùs ea, quæ Dei ſunt, ipſis libertate Evangelicâ edicere, Eccleſiaſticas Cenſuras, & pœnas, quibus tam iniqua perpetrantes, aut iis ſe ſe quoquomodo immiſcentes obnoxii fiunt, paternâ charitate explicare, illorum demum, quæ Nobis apprimè cordi eſt, animarum ſaluti conſulere poſſit, quemadmodum non paucos ex Vobis ſummâ cum laude id præſtitiſſe non ſine maximo intimi doloris noſtri lenimento accepimus. Quod verò ad Vos præcipuè attinet, minimè dubitamus, quin profeſſionis veſtræ memores, atque obedientiæ, quâ ſolemni voti religione Præpoſitis veſtris obſtricti eſtis, ſatis intellecturi ſitis, quo demum jure, quave authoritate niti poſſint ea omnia, quæ revocandis Vobis ab exequendo divino hoc erga Superiores Generales veſtros debito per ſeculi poteſtates promulgata fuerunt. Deus boni conſilii author religioſas mentes veſtras ſpiritu ſupernæ claritatis illuminet, ut quæcumque ſunt vera, quæcumque juſta, quæcumque ſancta, ipſi perficere, eademque alios, qui fortè nimis terrena ſapiunt, ipſomet Deo dante Vobis os, & ſapientiam, opportunè docere valeatis; Et Vobis, Dilecti Filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Volumus autem, ut præſentium Literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu, alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi fuiſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 24. Auguſti 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Inquiſitorem Generalem Hiſpaniarum admonet, ut omni adhibito ſtudio curet ab Americâ excludi Sacra Biblia, quæ Proteſtantium curâ in Idioma Americanum translata, è typis Londinenſibus prodierunt multifariam vitiata, atque corrupta, ut vera Chriſti Doctrina in illorum Fidelium mentibus contaminetur, praviſque erroribus hac arte inficiantur.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Cæſarauguſtano, Inquiſitori Generali Hiſpaniarum.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Ad Apoſtolatus noſtri notitiam pervenit, typis nuper recuſa fuiſſe in Civitate Londini Sacra Biblia in Idioma Americanum translata, juxtà tamen pravam interpretationem, corruptumque ſenſum Proteſtantium, quorum cura, & ſtudio prodierunt, eo ſanè conſilio, ut in Americâ evulgentur. Porrò, ſi id ipſis Hæreticis ex ſententiâ contingat, facilè eſt conjicere quale, quantumque inde detrimentum ſuæ ſaluti percepturi ſint illi Fideles, quibus Sacrarum Scripturarum pabulum dolo malo vitiatum, multoque veneno reſperſum, ac infectum pro ſyncerâ, ac ſpirituali alimoniâ proponetur. Urget proptereà Nos vehementer Paſtorale debitum,ut quibus poſſumus mediis graviſſimo periculo occurramus; admonet verò ſolicitudo, & charitas noſtra, ut Fraternitatis Tuæ zelum in præſidium noſtræ vigilantiæ in primis advocemus. Quamobrèm quo majori poſſumus ſtudio à Te petimus, ut ſi quid operæ, atque authoritatis in ſcopum obviandi huic malo jam gliſcenti, mox verò palàm erupturo, conferre poteris, id omne adhibeas, ne vera Chriſti doctrina hac arte in illorum Fidelium mentibus contaminetur. Nihil itaque prætermittendum Tibi eſſe puta, quod pertineat ad præcidendum curſum depravatis hujuſmodi libris in Americâ, ubi etiam omnis illis aditus eſt occludendus, ne inter Fideles diffundantur. Quâ in re decet publicam authoritatem adeſſe his, qui regimini animarum præſunt, quatenùs hæc earundem animarum pernicies omninò excludatur, ac eliminetur, quæ eò ſanè nocentior eſſet, quo ſpecie propagandi Divina oracula errores multò altiùs inſinuaret. Perpenſo rei momento Fraternitatem Tuam ſtrenuè, ac ſedulò acturam eſſe non ambigimus, dum eidem Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 31. Auguſti 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri Noſtro, Ludovico Epiſcopo Prænestino, S.R.E. Cardinali de Portocarrero nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater Noſter, ſalutem &c. Qui novas in dies inſidias Catholicæ Religioni moliuntur, Hæretici Proteſtantes rati modò non parùm profuturam eſſe ſuî erroris dilatationi in partes Americæ editionem Sacræ Scripturę juxtà tamen ſuę pravitatis ſenſum corruptæ, eam ſic deformatam, atque in Idioma Americanum tranſlatam typis Londinenſibus, ut accepimus, nuper imprimi curarunt; daturi procul dubio ſubindè operam, ut eò tranſmiſſa in illis partibus evulgetur. Ex gravitate periculi inde imminentis magnitudinem ſolicitudinis, qua afficimur, facilè agnoſces, ſimulque Nobiſcum expendes, quàm expediat, ac oporteat eorum hominum audaciam valido, ac celeri remedio reſfringere. Advocatâ itaque in conſilium ſpectatâ tuâ prudentiâ Tecum delibera, quâ viâ tam iniquis auſibus ſit occurrendum, & ubi opportuna media delegeris, profer nullâ morâ ferventem illum zelum, quo pro Divini nominis honore, ac pro tutelâ, ac integritate veræ Religionis adversùs impios utriuſque oppugnatores Te intimè uri non ſemel, nec obſcurè oſtendiſti: conſule omni ſtudio, & eâ authoritate, quâ polles, ſpirituali tot Populorum ſaluti, ac ubi arduum Tibi eſſe videatur (quod tamen in rem unicè proficuum eſſet) obtinere, ne ulla exemplaria Sacri Codicis ita, ut præfertur, vitiati eò deſerantur, illud ſaltem tuis graviſſimis monitis effice, ut in illis partibus publicè denuncietur, quantum periculi lateat in corruptâ hujuſmodi ſacrorum voluminum interpretatione, ac ut ſub interminatione Canonicarum pœnarum eorum lectio, atque retentio diſtrictè interdicatur. Confidere autem debes Te reſpondentem momento hujus cauſæ mercedem à Deo eſſe relaturum, dum Nos Tibi, Venerabilis Frater Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 31. Auguſti 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Regem Æthiopiæ, ut Genitoris ſui prædefuncti pio, & ſalutari propoſito inhærens, Catholicam Religionem profiteri, ſynceramque cum Romanâ Eccleſiâ unionem inire velit, & Religioſum Virum Joſephum à Jeruſalem ad ipſum à Sanctitate Sua allegatum benignè audiat, enixè adhortatur.

Illuſtri, ac Potentiſſimo Dodemanut Regi Æthiopiæ.

CLEMENS P.P. XI.

ILluſtris, ac Potentiſſime Rex, ſalutem, & lumen Divinæ gratiæ. Reverſum iſthinc Romam elapſis annis cum literis, quas Rex Æthiopiæ Genitor Celſitudinis Tuæ ad Nos dederat, Dilectum Filium Religioſum Virum Joſephum à Jeruſalem Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci

ſtri-

ſtrictioris obſervantiæ libenti animo excepimus, quandoquidem tum ex eiſdem Regiis literis, tum ex vivâ voce ejuſdem Religioſi Viri, cognovimus deſiderium, quo Rex tenebatur agnoſcendæ Catholicæ veritatis, & quærendæ æternæ ſalutis, ut propterea optaret ſe devovere Romanæ Eccleſiæ, & ſecum Populos ſibi ſubjectos ad ineundam cum eâ unitatem ſuo exemplo perducere. Quibus auditis incredibile dictu eſt, quàm exultaverit Paterna noſtra charitas, erecta in ſpem tanti boni, ad quod quidem parandum non multò poſt allegavimus eumdem Joſephum à Jeruſalem in iſtas partes, tum ut mutua officia Regi deferret, tum ut curaret expedire opportuna media, quibus ſalutare Regis propoſitum perficeretur. Inſtituta eſt itaque, mandantibus Nobis, magna alacritate ea profectio, de cujus tamen progreſſu, & exitu nihil ſubindè Nobis, vel propter locorum intervalla, & temporum, itinerumque difficultates, ſivè potiùs ob rerum iſtarum viciſſitudines, contigit audire, donec tandem affuerunt ante aliquot dies literæ ejuſdem Religioſi Viri die ſeptimâ Aprilis anni proximè elapſi datæ ex partibus Regno iſti finitimis, quibus ille literis afferebat cauſas, multiplicesque eventus, ob quos ſibi hactenùs non licuerat iſthùc pertingere, ac interim nunciabat obitum Regis Genitoris tui, quem Nos certè doluimus è vitâ exceſſiſſe, antequam voti ſui de complectendâ unitate compos efficeretur. Sed hanc moleſtiam noſtram non levi ex parte abſterſit ſubindè læta ſignificatio tuæ inaugurationis ad Regnum; ſpem enim concepimus Celſitudinem Tuam, quam æquo, præſtantique animo eſſe perſenſimus, benè intellecturam eſſe quanti tua interſit ad tuendam ampliſſimam Dignitatem, quam es aſſecutus, præſidium cœleſtis gratiæ promereri. Quod cum nemo unquam ſperare poſſit, niſi verum Deum per verum cultum adoret, ac revereatur, cumque unica veritatis Mater, ac Magiſtra ſit Romana Eccleſia, cujus Nos ſupremum regimen, nullis licèt meritis, in Terris gerimus, muneris noſtri eſſe duximus injungere eidem Religioſo Viro Joſepho à Jeruſalem, quem fide, prudentiâ, ac pietate, catholicæque Religionis zelo præſtare novimus, ut Te noſtro nomine adeat, ac poſt uberrimam gratulationem Regni per Te adepti, nec non diſertam noſtræ in Te voluntatis ſignificationem, ea Tibi denunciet, quæ Chriſtiano homini neceſſaria ſunt ad æternam ſalutem, ſine quâ ut brevia, ita vana, nulliuſque ponderis ſunt omnia, quæ habentur in terris. Nec irritam fore ſolicitudinem hanc noſtram, ejuſque laborem ſperamus, ſed imò Nobis cum Dei ope pollicemur Te ſeriò expensâ veritate Tibi propoſitâ, & arreptâ oblatâ occaſione conciliandi Tibi Divinam opem, daturum eſſe operam, ut vera Religio jamdudum à Regibus, Populiſque Æthiopiæ recepta, ac mirificè exculta, nunc tandem ab omni labe, ac ſuperſtitione longo temporum decurſu fortè inductâ, ſtudio, ac operâ præfati Religioſi Viri, tuâque authoritate expurgetur, & per debitam Romanæ Eccleſiæ obedientiam priſtino ſplendori in iſtis partibus reſtituatur. Plura ab eodem Religioſo Viro, cui cupimus, ut fidem adhibeas in his, quæ noſtro nomine Tibi ſignificabit, percipiet Celſitudo Tua, cui diuturnam incolumitatem, ſolidam felicitatem, & quod præcipuum eſt, lumen Divinæ gratiæ ad cognoſcendam viam veritatis ab Omnipotenti Deo bonorum omnium authore ex animo precamur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 7. Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Poſtulat ab Archiepiſcopo Æthiopiæ, ut Religioſum Virum Joſephum à Jeruſalem, alioſque Apoſtolicos Miſſionarios à Sanctitate Sua in illas partes allegatos humaniter excipiat, ac ipſis, quatenus Apoſtolicum Miniſterium fructuosè exequi, & illius potiſſimùm Nationis cum Romanâ Eccleſiâ unionis negotium perficere poſſint, adeſſe velit.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Æthiopiæ.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem, & lumen Divinæ gratiæ. Quoties ad celeberrimam quondàm toto Orbe Æthiopum Nationem mentis noſtræ oculos convertimus, toties æſtu quodam Paternæ charitatis abrepti dolemus amplam iſtam Dominici Gregis partem, Lupo diſpergente, à vero Paſtore aberraſſe, & æternæ ſalutis ſemitam, neglectis Majorum ſuorum veſtigiis, deſeruiſſe. Cùm autem ſolicitudo noſtra poſtulet, ut Ejus exemplo, cujus vices in terris, licèt immerentes, gerimus, deperditas oves quæramus, & revocemus, quatenùs omnes in unitatem Fidei aliquandò occurrant, itaut fiat unum Ovile, & unus Paſtor; idcircò Muneris noſtri eſſe duximus mittere iſthùc Dilectum Filium Religioſum Virum Joſephum de Jeruſalem Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci ſtrictioris obſervantiæ cum aliquot Sociis, qui pro ſuâ fide, prudentiâ, ac pietate, veræque Religionis zelo ea omnia, quę conferre poſſunt ad conſtabiliendam Nationis iſtius unitatem cum Romanâ Eccleſiâ, quæ omnium per Orbem Eccleſiarum Mater eſt, ac Magiſtra, ſalubriter diſponat. Spem interim in Deo, qui eſt Fons, & Origo ſalutis, conſtituimus, quod ubi Tu, aſpirante Deo, verba vitæ, & ſanam doctrinam docili mente exceperis, non ægrè poſſis ceteris tua authoritate præire, ut tecum ad ſinum amantiſſimę Matris confugiant, unumque Deum, unam Eccleſiam, unumque Baptiſma profiteantur. Expetimus itaque à Fraternitate Tuâ, ut præfatum Joſephum, ejuſque Socios humaniter excipias, libenter audias, eiſque adſis in omnibus, quæ pro adimplendo Apoſtolico Miniſterio ipſis expedire, & opportuna eſſe dignoveris. Nos interim Patrem miſericordiarum enixè precabimur, ut mentem tuam ſupernâ luce perfuſam donis cœleſtis ſuæ gratiæ repleat, quibus via Tibi pateat ad æternam ſalutem. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 7. Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Abbati Generali Monachorum Æthiopum Ordinis Sancti Antonii.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, ſalutem, & lumen Divinæ gratiæ. Cùm præcipuum ſit Pontificiæ ſolicitudinis munus nil intentatum relinquere, quod animarum ſalutem, & Divini Cultus amplificationem maximè reſpiciat, cogitationes noſtras in hoc unum convertimus, ut Eccleſię Vineam, quam de manu Domini, nullis licèt ſuffragantibus meritis noſtris, cuſtodiendam ſuſcepimus, non ſolùm omnium errorum vepribus expurgatam, ſed uberioris fructus maturitate redundantem eidem Domino ſervemus, qui bonos Operarios pro apportato lucro remunerat, à bono autem opere torpentes damnat. Quapropter huic propoſito dum totâ animi contentione incumbimus, Paternæ noſtræ charitati Tu, atque iſtius Inſtituti, cui præes, Profeſſores non ultimi occurrunt, à quibus ſcilicet, & quorum ope expectamus, ut eadem Vinea electa in iſtis partibus efflореat, & fructum det in tempore ſuo. Quid enim Vobis proderit ſeculi hujus illecebris aures occluſiſſe, qui vocem Domini Filios ſuos de longinquo congregantis non auditis? Ad quid in clauſtri ſepta Vos recepiſtis, qui Fidei unitatem declinantes, viam elegiſtis, cujus noviſſima ducunt ad mortem? Una profectò eſt æternæ ſalutis ſemita, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu myſticè ſignata, à quâ ſi quis, vel minimùm aberraverit, ſpem vocationis ſuæ, quæ credentibus in unitate ſpiritus data eſt, procul dubio amiſerit. Cujus veritatis ratio Majoribus veſtris utique perſpecta fuit, dum Chriſto, & ejus in hac Romanâ Sede Vicario libenti animo ſe ſubmiſerunt, rati non aliundè veræ Fidei documenta hauriri poſſe, quàm ab hac ipsâ Romanâ Eccleſiâ, omnium Orbis Eccleſiarum Matre, & Magiſtrâ. Proindè Nos ſpem maximam in Deo, qui eſt via, veritas, & vita, meritò ponentes, ac de prudentiâ, ac docilitate veſtrâ plurimùm ſperantes, iſthùc mittimus Dilectum Filium Religioſum Virum Joſephum à Jeruſalem Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci ſtrictioris obſervantiæ, pietatis, doctrinæ, ac Religionis zelo commendatum, qui ſynceram, atque inconcuſſam veritatem, quam tenet, ac docet Romana Sedes, Chriſti Redemptoris Noſtri oraculis, Sanctorum Patrum teſtimonio, Sacrorumque Conciliorum authoritati innixa, Vobis aperiat, & ad amantiſſimæ Matris ſinum Vos invitet, ac revocet. Deus interim Domini Noſtri Jeſu Chriſti Pater, Rex Gloriæ, det Vobis ſpiritum ſapientiæ, & revelationis in agnitione ejus, ac illuminet oculos cordis veſtri, ut ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die ſeptimâ Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

AR-

ARGUMENTUM

Articulos Tractatus Pacificationis in Pago Altranſtadenſi inter Commiſſarios Regis Poloniæ ex una, ac Svecos, eiſque Fæderatos, vel Adhærentes, ſeu eorum Commiſſarios ex altera Partibus initos, qui Catholicæ Fidei, divino cultui, animarum ſaluti, Eccleſiæ, ac Sedis Apoſtolicæ Juribus quibuſcumque officiunt, aut officere poſſunt, damnat, reprobat, ac irritat, neminemque ad eorum obſervantiam teneri ampliſſimè declarat, atque decernit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ex Literis Majeſtatis Tuæ è Civitate Dreſdæ die decimâ proximè elapſi menſis Auguſti ad Nos datis, Nobiſque redditis à Dilecto Filio Barone de Schenk Cubiculario tuo perlibenti animo agnovimus conſilium à Te ſuſceptum redeundi quamprimùm in Poloniam, ſimulque percepimus ea, quæ hac occaſione palàm evulgari voluiſti circa modum, quo infauſtus ille Tractatus Pacificationis (ſi modò Pacificatio dici ea poteſt, quæ quovis bello eſt deterior) Anno 1706. in Pago Altranſtadenſi inter Majeſtatis Tuæ Plenipotentiarios, vel Commiſſarios ex unâ, ac Svecos, eiſque Fæderatos, & Adhærentes, ſeu eorum Plenipotentiarios, vel Commiſſarios ex alterâ Partibus initus fuit. Fatemur equidem Majeſtati Tuæ, ſive potiùs eidem iterùm ſignificamus id ipſum, quod probè recolimus aliàs Tibi hac ipsâ de re denunciaſſe, ſummo ſcilicet, ac inexplicabili dolore, ſive potiùs horrore Nos affectos fuiſſe, ubi primùm allatum ad Nos fuit de hujuſmodi Tractatu; graviſſima ſiquidem per quoſdam illius Articulos, non ſine maximâ Nominis Tui, quod in fronte præferebant, apud Fideles notâ, non minùs Orthodoxæ Fidei, Divino Cultui, ac Animarum ſaluti, quàm Eccleſiaſticæ Libertati, ac Juriſdictioni, Noſtriſque, & Apoſtolicæ Sedis Juribus, præjudicia inferri noſcebantur. In iis enim inter cetera conventum fuiſſe legebatur, quòd quædam Beneficiorum Eccleſiaſticorum collationes noſtrâ, & dictæ Sedis authoritate validè, ac legitimè factæ ad Laicalis Poteſtatis libitum reſcindi, atque irritari valerent; Vveſtphalicæ Pacis capita aliquot dudùm ab hac Sancta Sede damnata expreſsè inſtaurabantur, & approbabantur; Omnis prætereà Catholicæ Religioni in Saxoniam, & Luſatiam aditus, perpetuò inibi vetitâ Religionis hujuſmodi cultoribus quâvis Eccleſiarum, Scholarum, Academiarum, Collegiorum, vel Monaſteriorum conſtructione, penitùs intercludebatur: & alia forsàn Eccleſiæ Legibus, Orthodoxæ Fidei integritati, noſtriſque, & Sedis præfatæ rationibus adverſantia firmabantur, ac ſtatuebantur. Hæc profectò, ſtatim ac illa, vel ipſo rumore publico nunciante, audivimus, nonniſi cum intimo, ut diximus, atque acerbiſſimo doloris ſenſu percepimus, tametsì adduci minimè potuerimus, ut crederemus verè illa ex animo, ac de mandato Majeſtatis Tuæ emanaſſe. Quomodò enim fieri poterat, ut ab Orthodoxo Rege, cui Nos tot inter ac tantas rerum, ac temporum difficultates validâ ſemper, promptâque, ac paratâ ope conſtantèr adſuimus, quique viciſsim in Nos, & hanc Sanctam Sedem gratum, obſequentemque animum ſemper oſtenderat,

tàm impia, Nobiſque, & eidem Sedi tam injurioſa prodiiſſe arbitraremur? Quomodò credere poteramus à Te Pactiones illas, Nobis prorsùs inconſultis, initas fuiſſe, in quibus pro vero, ac legitimo Rege Is in primis agnoſcebatur, & declarabatur, quem Nos anteà, ut tua jura tueremur, datis ad Venerabiles Fratres Archiepiſcopos, & Epiſcopos illius Regni Literis, nulliter, ac perperàm electum fuiſſe denunciaveramus? Cùm tamen his omnibus non obſtantibus, non obſcura ad Nos quotidiè perferrentur argumenta, ex quibus Majeſtatem Tuam contenta in præfato Tractatu ſivè rata habuiſſe, ſivè obſervari voluiſſe conſtabat, quietem, aut ſolatium invenire Nobis non dabatur. Sanè anxietatem hanc noſtram non parùm imminuit id, quod Nobis poſteà tuo nomine expoſitum fuit à præfato Barone de Schenk, qui à Te eâ de causâ tunc ad Nos allegatus certò Nobis affirmare, atque teſtari non omiſit Te ſatis, ſuperque intelligere, quàm iniquæ, quàm duræ eſſent pleræque conditiones illius Tractatus: animo propterea alieniſſimo ab iis ſemper fuiſſe: omnia demùm contigiſſe pravâ operâ, ac malâ fide, ſivè potiùs proditione tuorum Commiſſariorum, Majeſtate Tuâ vel inſciâ, vel deceptâ, vel coactâ. Huic porrò Ablegati tui aſſertioni magnum tum indè adjectum eſt pondus, cum Nobis nunciatum fuit in Saxoniâ eo ipſo tempore, quo ibi Sveci prævalido Copiarum robore inſidebant, Majeſtatis Tuæ juſſu illos ipſos Commiſſarios fuiſſe detentos, nec non Officiis, atque Dignitatibus, quibus anteà potiebantur, exutos, ac ad rationem reddendam eorum, quæ geſſerant, adactos. Ad majorem præterea animi Tui comprobationem, utque eò magis conſtaret Te potiſſimùm averſari Articulos illos propagationi Catholicæ Religionis in tuis Ditionibus repugnantes, gratiſſimus acceſſit nuncius præcipuâ animi gratulatione à Nobis exceptus de Sacrâ Æde Catholico Ritu ſub Invocatione Sanctiſſimæ Trinitatis in tuâ Civitate Dreſdenſi publicè apertâ, cujus rei nunquàm meminiſſe poſſumus, quin Deo totius conſolationis, & boni conſilii Authori uberrimas gratias agamus, quòd eam demùm diebus noſtris felicitatem indulſerit, ut verus Sancti ſui Nominis cultus, & Sacra noſtræ Religionis Myſteria in eam regionem, veluti poſtliminio revocata fuerint. Complevit demùm omnia edita à Te tuæ voluntatis declaratio, per quam Orbi univerſo teſtatam eſſe voluiſti vim Tuis Commiſſariis illatam, fraudemque ab ipſis in Tractatu Altranſtadenſi Tibi, tuæque dignitati, ac authoritati factam. Neque enim ambigimus, quin, ubi palàm denuncias non teneri Te ad ſervandas, implendaſque eas Pactiones, quæ cùm res tuæ maximè in anguſto eſſent, iiſdem tuis Commiſſariis vi, metuque præſcriptæ fuerunt; quinimò cùm aſſeris impoſſibilia prorsùs reputanda eſſe, quæ contra Deum, fidem, conſcientiam, honorem, honeſtatem, aut bonos mores quoquomodò pugnant, adeòque Te quovis illa obſervandi vinculo exſolutum eſſe, de iis potiſſimùm intellexeris, quæ non minùs Catholicæ Fidei, Divino Cultui, & Animarum ſaluti, quàm Eccleſiæ, Sediſque Apoſtolicæ rationibus, ſicuti ſuperiùs diximus, adverſantur. Verùm cùm æquum non modò, & congruum, ſed & neceſſarium eſſe exiſtimemus, ut præmiſſis etiam Apoſtolici Judicii pondus accedat, tum ut nunquàm dubitari contingat Pactiones illas Orthodoxæ Religioni, ac Eccleſiæ Juribus tam infenſas, ſimulque Orbi univerſo tam notas à quibuſvis tandem Perſonis, & quavis authoritate factæ fuerint, diſſimulari à Nobis, atque ſilentio præteriti potuiſſe; tum ut Majeſtas Tua ſolidiùs, & alacriùs in ſuſceptâ deliberatione habendi eas Conventiones, tanquàm ſi nunquàm factę fuiſſent, conſiſtere valeat: Hinc Nos, qui æqui, bonique ſupremi Aſſertores in Terris à Domino conſtitu-

ti

ti ſumus, traditâ Nobis ab Omnipotenti Deo authoritate, prænarratos dicti Tractatus Pacificationis Articulos, ceteraque in eo contenta, quæ Catholicæ Fidei, Divino Cultui, Animarum ſaluti, Eccleſiæque, ac Sedis Apoſtolicæ Juribus quibuſcumque quomodolibet officiunt, ſeu præjudicium etiam minimum afferunt, aut inferre, ſeu intuliſſe, vel aliàs nocere, ſeu nocuiſſe quoquomodò dici, cenſeri, prætendi, vel intelligi poſſent, cum omnibus, & ſingulis indè ſecutis, & quandocumque ſecuturis, ipſo jure nulla, irrita, invalida, iniqua, injuſta, damnata, reprobata, inania, viribuſque, & effectu penitùs, & omninò vacua ab ipſo initio fuiſſe, & eſſe, ac perpetuò fore: nec Majeſtatem Tuam, ſive alium quempiam ad illorum, ſeu cujuslibet eorum, etiamſi pluriès ratificata, & juramento vallata ſint, obſervantiam teneri, imò nec illa ullatenùs à quoquam obſervari potuiſſe, ac debuiſſe, aut poſſe, & debere, neque ex illis cuiquam aliquod Jus, vel actionem, aut titulum, etiam coloratum, acquiſitum fuiſse, nec eſse, minuſque ullo tempore acquiri, & competere poſse, neque illa ullum ſtatum facere, vel fecifse, ſed perindè ac ſi nunquam emanaſsent, nec facta fuiſsent, pro non extantibus, & non factis perpetuò haberi debere tenore præſentium declaramus, & decernimus. Et nihilominùs ad abundantiorem cautelam, & quatenùs opus ſit, Articulos prædictos, aliaque præmiſsa, ut præfertur, præjudicialia (citrà ullam reliquorum in Tractatu hujuſmodi contentorum approbationem) harum ſerie improbamus, reſcindimus, damnamus, caſsamus, irritamus, & annullamus, viribuſque, & effectu penitùs, ac omninò vacuamus, & contra illa, deque eorum nullitate, coram Deo proteſtamur. Age igitur, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, Eccleſiæ, Religionis, ac Dei cauſam fortiter tuere, ut tuam viciſſim Deus ipſe cauſam tueatur ſemper, & protegat; ſeriò incumbe, ut evellantur è Regno Poloniæ innovationes omnes noxiæ, & contrariæ Divino Cultui, quæ occaſione anteactarum perturbationum Acatholicorum operâ, ac violentiâ illùc inductæ fuerunt; cura demùm, ac effice, ut quæ in poſterùm pro defenſione Cauſæ Dei, Religionis, Sedis Apoſtolicæ, ac Eccleſiæ ſtatues, & ages, ea omnibus explorato undique argumento eſse poſſint Te verè iniquas illas Pactiones nunquam approbaſse. Quibus ſtudiis magis, magiſque Tibi conciliabis Cœleſtes Benedictiones, in quarum auſpicium cum perpetuo felicitatis tuæ voto conjunctam Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſimâ primâ Septembris 1709. &c.

RESPONSUM REGIUM

FORIS.

Sanctiſſimo, ac Beatiſſimo in Chriſto Patri, ac Domino, Domino CLEMENTI Divinâ Providentiâ ejus Nominis Undecimo Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontifici Maximo, Domino Clementiſſimo.

INTUS verò.

Sanctiſſime, ac Beatiſſime in Chriſto Pater, & Domine, Domine Clementiſſime.

POſt oſcula Pedum Sanctitatis Veſtræ, mei Regni, Dominiorumque meorum humillimam commendationem. Filiali, quo par erat, obſequio, ac reverentiâ excepi Apoſtolicas Literas Sanctitatis Veſtræ die 21. Septembris ſuperioris anni ad me datas, in quibus non minùs piè, quàm

juſtè Sanctitas Veſtra omnia contenta in Tractatu Pacificationis anno 1706. inter meos Plenipotentiarios, vel Commiſſarios ex unâ, & Svecos, eiſque Fœderatos, ac Adhærentes, ſeu eorum Plenipotentiarios, vel Commiſſarios ex alterâ Partibus inito, quæ Catholicæ Fidei, Divino Cultui, Animarum ſaluti, Eccleſiæque, ac Sedis Apoſtolicæ Juribus quibuſcumque quomodolibet officiunt, ſeù præjudicium etiam minimum afferunt, aut inferre, ſeu intuliſſe, vel aliàs nocere, ſeu nocuiſſe, quoquomodò dici, cenſeri, prætendi, vel intelligi poſſent, ipſo jure nulla, invalida, viribuſque vacua declarat, & quatenùs opus ſit, ea omnia reſcindit, damnat, irritat, viribuſque, & effectu penitùs, & omninò vacuat. Supremo huic, juſtiſſimoque Sanctitatis Veſtræ Judicio libenti planè animo me ſubiicio, eique conſtantèr adhæreo; quandoquidem, ut Sanctitas Veſtra ſibi perſuaſum eſſe, & jure quidem optimo affirmat, cùm ejuſmodi Pacificationis Tractatum pravâ operâ, malâque fide, ſive potiùs proditione meorum Commiſſariorum initum reprobavi, atque damnavi, ac inſupèr me meum aſſenſum illi nunquam præbuiſſe declaravi, id utique præcipuè intellexi quoad ea, quæ in dicto Tractatu non minùs Catholicæ Fidei, Divino Cultui, ac Animarum ſaluti, quàm Eccleſię, Sediſque Apoſtolicę rationibus adverſabantur. Cujus rei, ſimulque quo in pretio iniquos illos Articulos Catholicę Religioni præjudiciales jampridem habuerim, magno, atque præclaro, ut arbitror, argumento erit Sanctitati Veſtrę Eccleſia meo juſſu in meâ Dreſdenſi Civitate palàm aperta, in quâ Sacra Noſtrę Religionis Myſteria ſolemni, & Catholico Ritu publicè peragantur, quemadmodùm propriis oculis Reverendiſſimus Dominus Annibal Albanus ſuus ex Fratre Nepos ſpectavit; cujus deſiderio ut ſatisfacerem, alterius inſupèr Sacrę Ædis in uſum Catholicorum in Civitate meâ Lipſienſi aperitionem nuperrimè demandavi. Nec ſanè omittam alia deinceps edere non obſcura documenta pręfervidi mei ergà ipſam Catholicam Religionem zeli, ac ſtudii, ut Sanctitati Veſtrę magis, magiſque teſtatum ſit, quàm alieno ſemper animo fuerim ab iniquis illis, & jure meritò à Sanctitate Veſtrâ damnatis Pactionibus approbandis, ac univerſo Terrarum Orbi luculentèr conſtet Me, & probè intelligere, quàm multa Pontificię, ac verè Paternę ergà Me benignitati debeam, & nihil anxiùs expetere, quàm ut gratum, devotumque ergà Sanctitatem Veſtram animum meum profiteri poſſim, ſi nullâ aliâ in re, ſaltem in promovendis piis Sanctitatis Veſtrę votis, quę ex perpetuo, Sanctiſſimoque ejus inſtituto nonniſi Eccleſię bonum, & Orthodoxę Religionis incrementa reſpiciunt. De reliquo Sanctitati Veſtræ felix, ac diuturnum Orbis Chriſtiani Imperium ex animo apprecor, & maneo. Datum Varſavię ſecundâ Aprilis 1710.

Sanctitatis Veſtræ

Obedientiſſimus Filius

AUGUSTUS REX POLONIÆ.

ARGUMENTUM

Poloniæ Præſules ad Orthodoxæ Fidei incolumitatem, & publicam Regni tranquillitatem omni ope, ac ſtudio promovendam impenſiſſimè hortatur.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Polonię.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabiles Fratres, ſalutem &c. Ex iis, quibus florentiſſimum olim, ſubindè verò perturbatiſſimum iſtud Regnum non minùs internis motibus, quàm illatis bellis, direptionibus, cladibus, atque omnis propè generis calamitatibus tamdiù afflictum fuit, non dubitamus inclytam Nationem veſtram nimiùm jam edoctam fuiſſe, quanti ſibi conſtiterit priſtinam tranquillitatem amiſiſſe, & quanti ſua interſit ad ea tandem aliquandò redire. Et hoc quidem revocandæ Pacis deſiderium, quod nunc demum omnibus commune eſſe exiſtimamus, animis potiſſimùm Fraternitatum Veſtrarum perpetuò inſediſſe non ambigimus; neque enim incompertum eſſe poterat vigilantiæ, ac zelo veſtro, quod uno, eodemque æſtu, quo Reſpublica jactabatur, Spirituale Regimen, & ſalus Animarum curæ, ac cuſtodiæ veſtræ creditarum in dies magis periclitabatur, cum ſatis omnibus exploratum ſit pietatis ſtudium, Diuinæ Legis, & Catholicæ Religionis cultum, Chriſtianam, & Eccleſiaſticam Diſciplinam conſiſtere, atque integra eſſe non poſſe, publicis rebus perturbatis, tum ſcilicet, cum Populus, & Regni Ordines in diverſas Partes ſciſſi, & Acatholicorum furore invicem incenſi odiis inter ſe acerbiſſimis decertant. Solicitudinem ſanè noſtram hæc pericula adeò non latebant, ut nunquam Nobis contingerit mentis noſtræ oculos in iſtas partes convertere (frequenter autem convertere ipſa ſolicitudo Nos coegit) quin intimè doleremus Fideles iſtos tot ærumnis ſpiritualibus, ac temporalibus conflictari; facile autem erit Fraternitatibus Veſtris recolere Nos duo hæc potiſſimùm hortatu, monitis, conſiliis, ac precibus noſtris apud Vos continenter, ac vehementer urſiſſe, ut Religionis indemnitati, ac Regni tranquillitati omni ſtudio incumberetis; utrumque enim conjunctiſſimum eſſe, ac rationibus veſtris maximè conducere intelligebamus. Cum itaque, Deo benè propitiante, ſpes ineundæ Pacis nunc demum affulgere videatur, quandoquidèm ſubmotis gravioribus difficultatibus, ac reduce jam ad Vos Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Auguſto Poloniæ Rege, expediri via facilè poteſt, qua res iſtius Regni aliquandò componantur, & in commune bonum omnium animi conſpirent: Pontificii Muneris noſtri, ac conſtantis, Paternique in ipſum Regem veſtrum, quinimò etiam in Rempublicam veſtram amoris eſſe duximus Vos diligenter, ac impenſiſſimè, ſi umquàm aliàs, hortari, ac commonere, ut pro veſtra ergà Deum Religione, & in Patriam charitate, conſilia Pacis nedùm libenti animo, & ſyncera, alacrique voluntate ſuſcipiatis ſed, ea qua apud Populos, & unumquemque Ordinem præſtatis, authoritate ad Pacem iſtam tandem conficiendam, ac perpetuò conſtabiliendam omni animi contentione procedatis, quatenùs, publicis rebus reſtitutis, detrimenta Catholicæ Religionis, quæ nimis multa diuturnorum hujuſmodi diſſidiorum tempore non ſine maximo cordis noſtri dolore contigiſſe percepimus, ea, qua par eſt,

ſolicitudine reparetis. Nos iterim ſupremum Pacis Authorem impensè precamur, ut ſtudiis veſtris in hunc ſcopum collatis cœleſti ope propitietur, imperetque ventis, & mari, & faciat tranquillitatem. Ac Fraternitatibus Veſtris Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimaprima Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac Dilectis Filiis Nobilibus Viris Ordinis Senatorii, & Ordinis Equeſtris in Comitiis Generalibus Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ congregatis.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Quod Vobis ſignificandum in primis à Nobis eſſe hoc tempore videretur: ſummam ſcilicet eſſe charitatem illam, qua Rempublicam veſtram tot nominibus inclytam, & univerſum iſtud Regnum, amplam, ac præclaram Chriſtiani Orbis partem, & magnum Romanæ Eccleſiæ præſidium, ac ornamentum, ex animo proſequimur, hoc ſupervacaneum eſſe ducimus in præſens commemorare, quandoquidem ex aſſiduis, ac indubiis Paterni noſtri amoris documentis, quæ tum præſertim ad Vos perferri curavimus, cum res veſtræ in magna nuper perturbatione eſſent, ac in ſummum diſcrimen adducerentur, Pontificiæ noſtræ erga Vos benevolentiæ magnitudinem Vobis innotuiſſe exiſtimamus. Nam quæ duo potiſſimùm eſſe in rem veſtram agnovimus, ea Nos per iterata officia noſtra ad ſingulos Reipublicæ veſtræ Ordines directa, & per noſtros iſthìc pro tempore reſidentes Apoſtolicos Nuncios, quà privatim, quà publicè monitis, ac conſiliis noſtris Vobis ſignificare, eademque hortatu, ac precibus noſtris apud Vos urgere non prætermiſimus. Quorum quidem illud primum ſemper fuit, ut integritatem, & incolumitatem Catholicæ Religionis tueremini; Alterum verò, ut conciliandæ, ac ſtabiliendæ inter Vos tranquillitati, ac paci feriò incumberetis. Cùm enim in utroque ejuſmodi bono, tanquam in duplici firmiſſimo cardine, veram Patriæ veſtræ ſalutem verſari intelligeremus, nullo præclariori teſtimonio ſolicitudinem, quam de rebus veſtris gerimus, explicare Vobis poſſe arbitrati ſumus, quàm ſi utriuſque deſiderio animos veſtros incenderemus. Conciliaturi autem Vobis inter tot calamitates, atque pericula cœleſtem opem, ſine qua humana conſilia prorsùs deficiunt, continenter, ac enixè efflagitavimus ab Eo, qui potens eſt facere procellam in auram, ut, ſubſidere juſſis æſtuantibus iſthìc diſſidiorum, ac bellorum fluctibus, optatam tandem ſerenitatem Regno redderet, ſtabilemque inter Vos firmaret concordiam, quatenùs liberis mentibus, ſociatiſque animis ea conſilia, quæ communi ſaluti magis expedirent, ſuſciperetis. Et ſanè adveniſſe nunc tempus ſperamus, quò Deus velit vota noſtra miſericorditer ſolari, & ſe propitium rebus veſtris præbere, ſi modò oblatam Vobis occaſionem irritam non dimiſeritis. Jam enim ſubmotis gravioribus difficultatibus, ac reduce ad Vos Chariſſimo

in

in Chriſto Filio Noſtro Auguſto Poloniæ Rege Illuſtri, ſpes non obſcura ineundæ quamprimùm iſthìc pacis affulgere videtur. Agite itaque, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, proferte zelum veſtrum, & ſepoſito quocumque privato ſtudio, indemnitatem Catholicæ Fidei, & publicam Regni tranquillitatem conſtanter aſſerite, ac certi Vos hanc ſine illâ aſſequi non poſſe, id in primis curate, ut quæcumque abominationes, aut pravæ conſuetudines à Luteri Sectatoribus, aut ab aliis forſan Hæreticis in iſtas partes vel clam, vel palàm ad evertendum veræ Religionis cultum, invectæ fuerunt, iſthìnc quamprimùm eliminentur; hoc enim pietatis ſtudio, & fervore, ac talibus hoſtiis conciliabitis Vobis Divinam opem, quam propterea deſideriis veſtris affuturam, & perennem nomini veſtro laudem acceſſuram eſſe certè Vobis pollicemur; dum Vobis, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 21. Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Petit à Rege Poloniæ, ut omni adhibitò ſtudio, ac ope, obtinere curet à Magno Duce Moſcoviæ Diploma aliàs Suæ Sanctitati promiſſum, quo in illius Ditionibus libertas amplectendi, ac profitendi Catholicam Religionem unicuique tribuatur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Compertum Majeſtati Tuæ ſatis eſt, quo Nos ſtudio, ac fervore, & quibus officiis Dignitatem tuam inter periculoſas, ac turbulentas rerum Polonicarum vices, graviſſimaſque difficultates, tuendam, aſſerendamque conſtanter ſuſceperimus, eâ ſemper ſpe, ac perſuaſione, quod Tu viciſſim ope, & authoritate tuâ, ubi facultas foret, bonum, & incrementa Catholicæ Religionis ſedulò curaturus eſſes, adeò ut jure quodam à Te nunc demum expetere videamur, ut ejuſdem Religionis cauſæ, quam ſcis Nobis eſſe commendatiſſimam, adeſſe velis, Paternæque charitati, qua Te, tuaque continenter reſpeximus, egregiâ voluntate reſpondeas. Confiſi itaque adveniſſe, Deo propitiante, tempus, quo fructum operæ pro Te à Nobis impenſæ referamus, non dubitanter à Te petimus, ut veluti in auſpicium eorum, quæ cum primùm res tulerit, præſtiturus es favore Orthodoxæ Fidei, arripias occaſionem ejus congreſſus, qui à Te propediem cum Potentiſſimo Magno Duce Moſcoviæ habendus eſſe dicitur, & cum eo diligentiſſimè agas, ac omninò obtinere cures, quod Ipſe juxtà ea, quæ per Ablegatum ſuum elapſis annnis ad Nos miſſum ultrò, atque iteratò Nobis pollicitus fuit, edi tandem mandet Diploma, quo liberum in ſuis Ditionibus unicuique in poſterum ſit Catholicam Religionem amplecti, ac profiteri. Cum enim Nos eumdem Magnum Moſcoviæ Ducem, illius poſtulatis, quantùm in Nobis erat, cumulatè ſatisfaciendo, demereri non omiſerimus, quemadmodùm Majeſtatem Tuam probè noſſe non dubitamus, æquum planè eſt, ut Ipſe fidem ſuam liberet, ac Catholicæ Religionis exercitium in

uni-

univerſis ſuis Ditionibus promiſsâ ejuſdem Diplomatis promulgatione concedat. Tuum eſt itaque, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, omni ſtudio urgere hujuſmodi promiſſi implementum, quod quidem pertinebit ad conciliandam Tibi uſque magis benevolentiam noſtram, nec non ad cumulandum tuum apud Deum meritum non ſine ingenti tui nominis laude, ac perenni gloriâ Annalibus Eccleſiæ non immeritò inſcribendâ. Nos interim in auſpicium optati exitus Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſimâ primâ Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Gneſnenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Spes referendi fructus propenſæ voluntatis, qua ſe eſſe in Romanam Eccleſiam, & Catholicam Religionem, Magnus Dux Moſcoviæ non ſemel, nec obſcuris indiciis declaravit, ſolicitat vehementer cor noſtrum ad excolenda bona ſemina à Cœleſti Agricola, & miſericordiarum Patre in ejus animum immiſſa. Perſpectum ſanè eſt Fraternitati Tuæ, Nos in hunc ſcopum eo tempore, quo idem Magnus Dux per Ablegatum, quem ad Nos miſerat, de nonnullis, quæ ſua non parùm intererant, Nobiſcum ageret, curaſſe iis, quibus licuit, modis ejus animum demereri, ipſiuſque deſideriis, quantum fas fuit, obſecundare; quo nomine Ipſe per eundem Ablegatum ſuum Nobis promiſit editurum ſe publicum Diploma, per quod in ejus Ditionibus liberum unicuique in poſterum foret Catholicam Fidem profiteri. Quamobrèm, cum omnis æquitas poſtulet, ut ſi Ille conſtare ſibi velit, quemadmodùm certè Principem tanti nominis decet, reipsâ id compleat, ad quod ſe obſtrinxit: etiam, atque etiam à Te petimus, ut arrepta occaſione, quam rumor fert per ejuſdem Magni Ducis in iſtas partes adventum proximè affuturam, zelo, quo ureris ad ſapientiam, promoveas, & urgeas opportunis, validiſque mediis ejus promiſſi implementum; quod ſicut ceſſurum eſt in magnum Orthodoxæ Fidei emolumentum, ita ſummum gaudium allaturum eſt Nobis, qui omni Jure id expetere videmur, & in ſpem lætiorum eventuum per hæc auſpicia adduci peroptamus. Adſpiret Deus boni conſilii Author ſua potenti ope egregiæ voluntati, & ferventi pietati Fraternitatis Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ primâ Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Epiſcopo Uladislavienſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. De præſtanti zelo, & egregiâ in Nos voluntate Fraternitatis Tuæ plurimùm in Domino confiſi, libenter à Te petimus, ut ſolicitudini noſtrę prçſidio ſis ad ea aſſequenda, quæ pro bono, & incremento Catholicæ Religionis magno ſtudio exoptanda, & jure quodam expetenda à Nobis eſſe hoc tempore videntur. Satis perſpectum Tibi eſt Magnum Moſcoviæ Ducem ad rependendas quodammodò Nobis vices pro iis, quibus, quantùm licuit, curavimus demereri ejus animum, ac de quibus agi Nobiſcum voluit per Ablegatum ſuum, quem ad Nos ante aliquot annos miſit poſt explicatam non ſemel propenſionem ſuæ voluntatis in Romanam Eccleſiam, pollicitum Nobis fuiſſe ſe, ubi primùm res ferret, editurum Diploma, per quod fas unicuique in poſterum foret Catholicam Religionem in ampliſſimis ſuis Ditionibus complecti, ac profiteri. Cum verò occaſio, & tempus perficiendi tam præclari, ac ſalutaris propoſiti jam adveniſſe videatur, omni æquitati conſentaneum eſt, ut quod ſe facturum recepit, id nunc tandem opere compleat, & ſpecimen propenſæ illius, quam in Romanam Eccleſiam gerere profitetur, voluntatis, nec non teſtimonium mutuæ, & obſtrictæ Nobis voluntatis exhibeat. Gratam itaque Nobis, imò Deo magnoperè acceptam rem feceris, ſi excogitatis pro ſpectatâ tuâ prudentiâ, adhibitiſque opportunis mediis promovere, quantùm in Te erit, ac urgere apud eumdem Magnum Ducem curaveris promulgationem ejuſdem Diplomatis, ubi præſertim contingat ipſum, ut fert rumor, ad iſtas partes appropinquare. Confidere autem debes Nos viciſſim non prætermiſſuros eſſe, pro eventu occaſionum, magis magiſque in dies teſtari Tibi Paternam charitatem noſtram, in cujus pignus Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ primâ Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Szembeck Procancellario Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Intereſt magnoperè Catholicæ Religionis, ut Magnus Dux Moſcoviæ promulgari tandem mandet in ſuis Ditionibus Diploma illud, quod ſe ejuſdem Religionis favore editurum eſſe per Ablegatum ſuum elapſis annis ad Nos miſſum pollicitus fuit, relatis interim quampluribus Pontificiæ noſtræ charitatis teſtimoniis, quæ Nos in eum libenter contulimus, tum ad magis demerendum ipſius animum, tum ad confovendam in eo propenſam voluntatem, quâ ſe eſſe in Ro-

manam Eccleſiam per eumdem Ablegatum diſertè Nobis ſignificavit. A Nobilitate itaque tuâ, de cujus præſtanti animo, & eximiâ pietate plurimùm in Domino confidimus, enixè petimus, ut iis, quibus pro ſuâ ſpectatâ prudentiâ expedire duxerit, modis, atque officiis promoveat apud eumdem Magnum Ducem, de cujus proximo in iſtas partes adventu rumor invaluit, celerem publicationem ejuſdem Diplomatis, per quod ſcilicet in ampliſſimis, quæ ipſi Magno Duci ſubſunt, Ditionibus, veluti in auſpicium optatæ jamdiù illarum gentium cum Romanâ Eccleſiâ unitatis, liberum unicuique ſit Catholicam Fidem amplecti, ac profiteri. Cumulabis profectò pro collatâ in ſcopum propagandæ orthodoxæ veritatis operâ meritum apud Deum Retributorem optimum, & uberiùs in Te, Domumque tuam demereberis Paternam noſtram voluntatem, in cujus pignus Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ primâ Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Arreptâ occaſione recurrentis temporis liberationis Civitatis Viennenſis, aliarumque de Turcis relatarum Victoriarum, quarum nomine Eccleſia, & Chriſtiana Reſpublica plurimùm ſanè debent invictæ virtuti Joannis Tertii Poloniæ Regis: Principum illius Filiorum, & Reginæ Viduæ rationes Auguſto Regi Poloniæ impenſiſſimè commendat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Scriviamo alla M. V. la preſente lettera in un tempo, in cui ricorrendo l'anniverſaria memoria della liberazione di Vienna, e di tante altre vittorie, che ſucceſſivamente piacque alla Divina miſericordia di concedere all'armi Chriſtiane contro il comune Nemico, ſiamo inſieme eccitati ad avere una grata ricordanza di quanto per quei felici ſucceſſi ſi debba dalla Chieſa, e dalla Republica Chriſtiana alla glor. mem. di Gio. Terzo Invittiſſimo Rè di Polonia. Queſta grande obligazione, che principalmente à Noi tocca per ragione di quell'Apoſtolico Miniſtero, che indegnamente ſoſteniamo, è appunto quella, che ora fortemente ci ſtimola à raccommandare alla M. V., come facciamo con tutta l'efficacia maggiore del noſtro ſpirito, gl'intereſſi, li dritti, le convenienze della Maeſtà della Regina Vedova del ſudetto Rè Giovanni, e di tutta la ſua Reale Famiglia; come più diſtintamente alla M. V. verrà eſpoſto dall'Arciveſcovo di Tebe noſtro Nunzio. Preghiamo perciò la M. V. à degnarſi di benignamente aſcoltarlo, e à credere, che ſiccome Ella non potrà mai darci riſcontro più accetto della ſua Regia corriſpondenza per quel, che abbiamo fatto, e che facciamo per lei, in alcun'altra occaſione, che in queſta; così la M. V. può ſtar ſicura, che la condotta della Regina ſudetta, e de' Principi ſuoi figliuoli ſarà ſempre tale, che non demeriterà gl'effetti di quella giuſtizia, e generoſità, che per loro imploriamo dalla Maeſtà

Vo-

Voſtra, nè Ella avrà mai pentimento d'averglieli compartiti. E con tutta la pienezza del noſtro Paterno affetto diamo alla Maeſtà Voſtra la Benedizione Apoſtolica. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 26. Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Catholicos Hiberniæ ab Hæreticis Magiſtratibus dirè, ac diverſimodè afflictos Regi Portugalliæ ſummoperè commendat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joanni Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Ubi Majeſtas Tua ingenitam ſuam pietatem conſulat, ac ſecum reputet, quantùm meriti apud Deum, quantùm apud homines laudis, & glorię aſſecuti ſint Majores tui inclyti nominis Reges ob ſtrenuè, ac feliciter aſſertam, ac in univerſum propè Orbem amplificatam Chriſti Fidem, & Catholicam veritatem, non multis apud Te Nobis agendum erit, ut Te hortemur ad magis, magiſq; in dies validâ tuæ authoritatis ope juvandos Catholicos Hiberniæ, qui hoc tempore dura nimis, ac ſæva perferunt à Magiſtratibus Hæreticis, irreconciliabili odio in Romanam Eccleſiam, ejuſque Sectatores incenſis. Nihil itaque digniùs præſtantiâ, ac magnitudine animi tui, & eximio zelo, quo pro Divini nominis honore ferves, facere potes, quàm tueri, ut facis, illorum Fidelium cauſam, atque ad eam opportunè, & utiliter tuendam media illa deligere, & adhibere, quæ præfatis Catholicis magis profutura eſſe pro ſpectatâ tuâ prudentiâ dijudicaveris. Quàm autem grave, ac imminens ſit eorum periculum, tum quidem quoad temporalem, tum verò præſertim quoad ſpiritualem ſalutem, quæ vehementiùs impetitur, pluribus accipies à Venerabili Fratre Joanne Baptiſta Epiſcopo Corcagenſi, ſive, eo abſente, à Dilecto Filio Religioſo Viro Antonio Carvvel Ordinis Fratrum Prædicatorum has Tibi noſtras reddituro. Perge igitur, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſuſceptam jamdiù illorum Fidelium tutelam conſtanter tueri, novaque in dies eximiæ tuæ virtutis ſpecimina in ſolatium noſtræ ſolicitudinis alacriter dare; dum Nos interim Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ, in auſpicium optati exitus, amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 28. Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Victorio Amedeo Duci Sabaudiæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Opem, quam à Nobis multis precibus, ac profuſis lacrymis ferventer expoſtulant Catholici Hiberniæ, ut eximantur ab extremis anguſtiis, in quas modò à Magiſtratibus Hæreticis conjici conqueruntur, Nos quidem nec ipſis denegare ullo modo debemus, nec verò aliter eiſdem afferre poſſumus, pro iniquâ, & à Nobis prorsùs aversâ illarum rerum conditione, quàm accitâ in præſidium noſtræ charitatis, ac ſolicitudinis eorum operâ, quorum authoritate, ac validis officiis obtineri poteſt, ut æſtus diræ illius perſecutionis quamprimùm deſæviat. Cauſam itaque iſtam Nobilitati Tuæ, utpotè planè dignam magnitudine, ac pietate animi tui enixè à Nobis commendandam eſſe exiſtimavimus, confiſi Te religioni, ac gloriæ Tibi meritò ducturum eſſe opitulari Fidelibus illis non alio nomine reis, quàm quia Deo, & Eccleſiæ conſtanter adhærent, & à Catholicâ Religione non deficiunt. Hæc quoniam fuſiùs exponentur Nobilitati Tuæ à Dilecto Filio Religioſo Viro Franciſco Maghlin Hiberno Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantiâ Reformatorum nuncupatorum, pluribus non proſequimur, ſed ſatis eſſe credimus, Tibi innuere nec ſine uberi merito, nec ſine amplâ mercede apud Deum fore officia, quæ pro eis impendere ſtatuet Nobilitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 28. Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris Duci, & Gubernatoribus Reipublicæ Genuenſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Cauſam apud Nos ſuam multis querelis, ac indeficientibus lacrymis perorat Grex puſillus quidem, ſed electus, ac fidelis Catholicorum Hiberniæ, gravioribus in dies legibus, ac ſeverioribus mandatis præter modum vexatus à Magiſtratibus Hæreticis, quorum illud liquet eſſe propoſitum, ut omnem in illis partibus veræ Religionis cultum, & ipſum Eccleſiæ Romanæ nomen in ea Inſula (quæ olim ob inſigne pietatis ſtudium Inſula Sanctorum indigitabatur) perpetuò deleant. Anxia prætermodùm charitas noſtra de temporali quidem, ſed multò magis de ſpirituali illorum Populorum ſalute in ſummum diſcrimen adductâ, Nobilitatum Veſtrarum pietatem, ac zelum interpellat, enixè à Vobis expetens, ut tutelâ illorum Fidelium, quantùm in Vobis erit, ſuſceptâ

ptâ validis officiis, prout perſpectæ veſtræ prudentiæ viſum fuerit expedire, præſidio eiſdem ſitis, quibus ſcilicet culpæ vertitur firma adhæſio Romanæ Eccleſiæ, ac proindè ipſa eorum Fides, ac innocentia. Confidere autem debetis Vos meritum, ac mercedem pro impenſâ favore Catholicæ Religionis diligenti operâ eſſe uberrimè relaturos; nam quòd pertinet ad ineundam ampliorem gratiam apud Nos, & Apoſtolicam Sedem, perſuaſum item Vobis eſſe volumus Vos eam ſummoperè his officiis eſſe demerituros. Plura de infelici illorum Fidelium ſtatu, & commiſeranda prorsùs conditione, exponet Vobis Dilectus Filius Religioſus Vir Franciſcus Maghlin Ordinis Sancti Franciſci Fratrum Minorum de Obſervantia Reformatorum nuncupatorum, dum Nos freti ſpe veſtræ virtutis, ac zeli in ſolatium noſtræ ſolicitudinis Apoſtolicam Benedictionem Nobilitatibus Veſtris peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 28. Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono..

ARGUMENTUM

Enixis Electoris Palatini votis, ac precibus adductus conſcribit, & ad Ipſum mittit Brevia, quibus Archiepiſcopo Electori Moguntino, & Capitulo itidem Moguntino proponit Magnum Magiſtrum Ordinis Equitum Theutonicorum pro munere Coadiutoris ejuſdem Archiepiſcopi cum futurâ ſucceſſione.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Non s'inganna certamente l'Altezza Voſtra in crederci intieramente propenſi, e diſpoſti per tutto ciò, che può eſſere di ſodisfazione, ò di convenienza della ſua Caſa; mentre fondando Noi sù la pietà, sul'zelo, e sùl'autorità della medeſima la ſperanza maggiore, che poſſiamo avere frà tanti pericoli, che da ogni lato ſovraſtano alla noſtra Santa Religione, è ben giuſto, che non traſcuriamo di dare in qualſiſia occaſione all'iſteſſa ſua Caſa tutte quelle maggiori prove, che poſſiamo, dell'amore ſpeciale, e ſtima diſtinta, con cui la riguardiamo. Quindi è, che ancorche non ſoſſiſta in conto alcuno la notizia giunta all'A. V., che da Noi ſi ſia paſſato uffizio, ò fatta alcuna inſinuazione in ordine alla Coadjutoria di Magonza per il Conte di Schomborn, non avendo Noi in tale propoſito fatto altro, che un Breve Generale à quell'Elettore, e un altro ſimile à quel Capitolo, ſenza inſinuare, ò proporre in eſſi alcun Soggetto particolare, come meglio l'A. V. vedrà nelle congiunte copie di tali Brevi da Noi ſcritti ſino dalli 8. Settembre dell'anno paſſato: ci ſiamo nondimeno prontamente determinati (quel che non abbiamo fatto, nè fareſſimo per altri) di preſtamente farlo per il Gran Maeſtro dell'Ordine Teutonico, degniſſimo fratello dell'A. V., com'Ella riconoſcerà ne'Brevi, che le traſmettiamo per li ſudetti Elettore, e Capitolo. Le riprove ben grandi, che il medeſimo Gran Maeſtro hà già date

della ſua vigilanza nel governo delle Chieſe à lui commeſſe, le premure dell' A. V., le benemerenze della ſua Caſa, e ſopra tutto li vantaggi, che ci auguriamo poter riſultarne alla Fede Cattolica, e all'autorità della Chieſa, giuſtamente ci hanno perſuaſi di dare all'Altezza Voſtra queſto diſtinto argomento del noſtro paterno affetto, col quale altresì le diamo l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ &c. die nona Octobris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco, Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Inhærentes conſtanti noſtræ benevolentiæ erga Fraternitatem Tuam, & deſiderio, quod noſtris die octavâ Septembris anni proximè elapſi ad Te datis literis Tibi explicavimus, relevandi Te aliquâ ex parte à graviſſimis Paſtoralibus curis, quibus tantâ tui nominis laude à pluribus annis perfungeris, cum inter ceteros, quibus fortè munus Coadjutoris inſignis iſtius Eccleſiæ demandari poteſt, non prætereundus videatur Dilectus Filius, Franciſcus Ludovicus ex Comitibus Palatini Rheni, Eccleſiarum Uratislavienſis, ac Vormatienſis Adminiſtrator, cui quidem Divini Nominis honorem, & Catholicæ Religionis cultum, & amplificationem ſummoperè cordi eſſe multis teſtimoniis admonemur, Tibi inter ceteros commemorandum eſſe duximus, ut quatenus is Tibi gratus exiſtat (id quod pariter Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis iſtius Eccleſiæ denunciavimus) ratio de eo à Nobis haberi poſſit in deligendo, ac dando iſti Eccleſiæ Coadjutorem cum futurâ ſucceſſione; quo certè caſu eam adiicere conditionem non omitteremus, ut cum ſucceſſioni hujuſmodi locus fieret, quam tamen diù protrahi cupimus, Eccleſia Uratislavienſis, cui Ille nunc præeſt, eo ipſo vacare cenſeretur. Quæ ita intelligi à Te volumus, ut integrum omninò Tibi ſit tuam eâ de re mentem Nobis explicare. Interim verò in diuturnæ incolumitatis auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuę peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die nona Octobris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Metropolitanæ Eccleſię Moguntinæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Conſulturi pro debito noſtræ ſolicitudinis bono, & commodis inſignis iſtius Eccleſiæ, excitavimus zelum veſtrum datis ad Vos literis die octavâ Septembris anni proximè elapſi ad deliberandum inter Vos, ac ſubindè renunciandum Nobis, cujus potiſſimùm operâ, ac præſidio ex ſententiâ veſtrâ juvari poſſit in perferendo onere, & obeundo munere Paſtorali, Venerabilis Frater Lotharius Franciſcus Archiepiſcopus Moguntinus, cui ſcilicet, etſi ſedulò officium ſuum gerenti, plurimis tamen laboribus perfuncto, & jam in graviorem ætatem pro humana conditione vergenti, Coadjutorem ipſi gratum cum futurâ ſucceſſione conſtituere meditabamur. Quod cum adhuc in deliberatione apud Vos verſari arbitremur, credimus Vos hac ipsâ occaſione non omiſſuros eſſe inter ceteros, qui ſunt de Gremio iſtius Capituli, rationem habere Dilecti Filii Franciſci Ludovici ex Comitibus Palatinis Rheni, Eccleſiarum Uratislavienſis, ac Vormatienſis Adminiſtratoris, cui præter Generis ſplendorem, ut probè noſtis, fervens pro Eccleſiâ, & Catholicâ Religione ſtudium, aliaque præclararum virtutum merita adeò ſuffragantur, ut meritò ſperari poſſit Eum iſti Metropolitanæ Eccleſiæ multùm utilitatis allaturum, omneſque ſuo tempore religioſi, circumſpectique Præſulis partes impleturum eſſe, præſertim, quia ut illas expeditiùs obire valeret, non aliàs ipſum ad hujuſmodi Coadjutoris officium deligeremus, niſi eâ adjectâ lege, ut adveniente caſu præfatæ Succeſſionis, Eccleſia Uratislavienſis, cui modò præeſt, eo ipſo vacaret. Hæc dum Vobis Paternâ charitate ſignificamus, Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 9. Octobris 1709. Pontlficatus Noſtri Anno Nono.

AR-

ARGUMENTUM

Poſtquam, ut enixis Imperatoris poſtulatis ſatisfaceret, Archiducem Auſtriæ Carolum, Fratrem Majeſtatis Suæ, Titulo Hiſpaniarum Regis Catholici decoraverat, non expectato conditionum adimplemento, de quibus cum Sanctitate Suâ conventum fuerat: Imperatori ob oculos ponit graves ærumnas, atque pericula, quibus propterea ſe objeciſſe proſpicit; deindè ſolidis, luculentiſque rationibus oſtendit Majeſtatem Suam omninò teneri Civitatem Comaclenſem Sedi Apoſtolicæ, ad quam pertinet, abſque longiori cunctatione reſtituere, ac inſuper graviſſima damna Ditioni Pontificiæ à Cæſareis armis illata ſarcire; eumque ad id Paternis monitis vehementer excitat, ac urget.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. L'obligo indiſpenſabile, che abbiamo, di procurare, che venga reintegrata la Santa Romana Chieſa al poſſeſſo, che godeva, pacifico di Comacchio, e inſieme ſodisfatta in qualche forma de' danni graviſſimi ſofferti in tante Provincie dalle armi di V. M., ben ci perſuadeva à richiederne efficacemente l'effettuazione prima di venire all'attuale ricognizione della Maeſtà del Rè Carlo ſuo Fratello in Rè Cattolico di Spagna. Nondimeno acciò le noſtre inſtanze abbiano da eſſere meglio accolte dalla M. V., e inſieme per darle queſt'ultima prova della noſtra condeſcendenza, onde non abbia à rimanerle alcun dubbio della ſincerità, e ſodezza di quel paterno, e diſtinto amore, con cui la rimiriamo, ci ſiamo riſoluti di venire alla detta ricognizione, anche prima che reſti adempita alcuna di quelle condizioni, che ci erano ſtate accordate. Ben vede la M. V. qual paſſo ſia queſto, che Noi facciamo, e quanti travagli, e pregiudizii ſia per coſtarci, de' quali pur troppo già n'è teſtimonio il mondo tutto. In queſto pelago di amarezze, che veramente ci trafiggono le viſcere, Noi ci ſiamo poſti unicamente per incontrare il compiacimento della Maeſtà Voſtra, e della ſua Auguſtiſſima Caſa. Non ci potiamo però perſuadere, che la medeſima non ſia per corriſpondere adequatamente à queſta nuova publica dimoſtrazione, che le diamo, del noſtro amore, e che l'animo generoſo di due sì gran Prencipi, ne quali è trasfuſa col ſangue ſteſſo la Religione Auſtriaca, poſſa più lungamente ſoffrire di veder ſenza riparo il Sacro Patrimonio di San Pietro sì danneggiato, e la Santa Chieſa pur da loro venerata per Madre, ſpogliata di fatto de beni, che poſſedeva. Si contenti la Maeſtà Voſtra, che con cuore di Padre amoroſo, mà inſieme con ſanta libertà di Vicario, ancorche indegno, di Gieſù Criſto le diciamo, non eſſervi legge, nè umana, nè divina, che permetta ſotto preteſto di qualſivoglia, ancorche giuſta pretenſione, ſenza precedente richieſta in pace, ò ſenza intimazione di guerra, lo ſpogliare improviſamente, e con la pura forza qualſiſia Prencipe di una Città da lui pacificamente poſſeduta. E ſe tal'uno ardiſſe (come pur troppo temiamo) di far credere alla Maeſtà Voſtra

il contrario, Noi meſſo da parte ogni umano intereſſe, e mirando unicamente al debito preciſo, che abbiamo di eſſer ſolleciti della conſcienza, e dell'anima di Voſtra Maeſtà, le diciamo riſolutamente da parte di Dio Onnipotente, che Ella ſi guardi da ſimili Conſiglieri, i quali certamente l'ingannano, e che però ad eſſi credendo, maſſime doppo eſſer ſtata avvertita da Noi, Voſtra Maeſtà metterà in evidente pericolo la ſua eterna ſalute. Ricordiſi la Maeſtà Voſtra di eſſer il primo Difenſore, ed Avvocato della Chieſa: ben'Ella conoſce in qual grado ſia di preſente la Religione in Germania, e quanto ſiano formidabili in Europa le forze dell'Ereſia: Guardiſi di non dargli occaſione d'invigorire le ſue machine per la depreſſione della noſtra Santa Fede, facendoſi conoſcere non così ſtrettamente unita con Noi, quanto è neceſſario per mantenerla indenne da'graviſſimi pericoli, che gli ſovraſtano. Speriamo fermamente, che la bontà del Signore Dio ſia per toccare il cuore di Voſtra Maeſtà in leggere, che farà queſte noſtre paterne inſinuazioni, e muoverla, non diremo à ſollevare la noſtra afflizzione ben meritata da noſtri peccati, mà ad udire almeno le voci, e li gemiti della S. Romana Chieſa, la quale non avendo meritato, nè potuto meritare d'eſſer offeſa, le chiede per mezzo noſtro giuſtizia, e riparazione. Fino che queſta non ſiaſi ottenuta, Noi non ceſſaremo giammai di replicare le medeſime paterne iſtanze, e giuſte preghiere alla Maeſtà Voſtra, giudicando di non potercene mai per obligo di conſcienza diſpenſare, ancorche doveſſimo proſeguirle fino all'ultimo ſpirito di noſtra vita, doppo la quale ſperiamo, che avanti il tremendo Tribunale di Dio, al quale dovremo render minuto conto di tutte le noſtre azioni, queſta ſteſſa lettera, che ora ſcriviamo alla Maeſtà Voſtra, abbia à valerci di prova di aver adempiti in quella guiſa, che potevamo, li noſtri doveri, e di aver ſodisfatto à replicati giuramenti da Noi preſtati. Confidiamo però, che la M. V., ſeguendo l'iſtituto della ſua ereditaria pietà, vorrà preſto liberarci da queſta moleſta ſollecitudine, col far conoſcere al mondo tutto, che il ſuo magnanimo cuore sà preferire la giuſtizia, e la religione ad ogni umano intereſſe: così la Maeſtà Voſtra nel conſolar Noi, che l'amiamo, e l'amaremo ſempre da vero Padre, edificarà tutto il Criſtianeſimo; accreſcerà nuovo luſtro al glorioſo ſuo Nome, e tirarà ſopra di ſe, e ſopra la ſua Auguſtiſſima Caſa le più copioſe Benedizioni Divine, che Noi di vero cuore le auguriamo, mentre fra tanto con tutta la pienezza del noſtro paterno affetto le diamo anche la noſtra Apoſtolica Benedizione Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 14. Septembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopi Hiſpalenſis Paſtoralem vigilantiam, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſervandæ zelum laudat.

Venerabili Fratri Emanueli Archiepiſcopo Hiſpalenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Author totius conſolationis Deus ſummâ ſemper miſericordiâ infirmitati noſtræ proſpiciens providè diſpoſuit, ut quo tempore propter illatas nomini, ac Juri Eccleſiaſtico publicas injurias majoribus curis premebamur, eo ipſo non deeſſent, qui præberent Nobis argumenta ſynceræ in Nos, & in Apoſtolicam Sedem voluntatis, ac devotionis, quæ ſolicitudinem noſtram magnâ ex parte levarent. Hauſimus equidem hoc ſolatium ex literis Fraternitatis Tuæ, & ex his, quæ Dilectus Filius Franciſcus Manzo ad inviſenda ſacra Apoſtolorum limina à Te delegatus de ſtatu inſignis iſtius Eccleſiæ tuo nomine Nobis expoſuit; agnovimus enim Te neque ætatis, neque valetudinis incommodis detineri, quominùs partes Paſtoralis officii diligenter obeas, & Divinum cultum, Eccleſiaſticam diſciplinam, & creditarum Tibi ovium ſalutem omni zelo, ac vigilantiâ promoveas. Etſi autem non parùm afficiatur cor noſtrum multimodis calamitatibus, quas Populi iſti uno propè, eodemque tempore pertulerunt, quia tamen ſatis conſtat elici poſſe ex ipsâ tribulatione ſpiritualem proventum, confidimus hęc ipſa mala incitamento fuiſſe Fidelibus iſtis ad ingeminanda ea pietatis ſtudia, quibus potiſſimùm Divina gratiâ conciliatur. Porrò Nobis compertum eſt Te magnum apud Deum lucrum ex hac ipsâ occaſione Tibi comparaſſe aſſiduis profuſæ charitatis officiis, quibus communibus neceſſitatibus occurrere non omiſiſti. Si quid interim eſt, quod in tuum, & Eccleſiæ Tibi commiſſæ commodum ab authoritate noſtrâ proficiſci poſſit, id Tibi ſemper paratiſſimum erit; & Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die duodecimâ Octobris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Ad enixas preces Cardinalis Otthoboni, qui Florentiâ redux pietatem, ac religioſam obſervantiam Monialium Monaſterii S. Mariæ Angelorum illius Civitatis multis apud Sanctitatem Suam extulerat laudibus, ipſis Monialibus plenariam, aliaſque minores Indulgentias pro feriâ ſextâ cujuſque menſis, ubi certa præſcripta opera adimpleverint, in perpetuum elargitur; utque eaſdem Indulgentias lucrari etiam poſſint Magnus Dux Etruriæ, & alii Principes, & Principiſſæ ex Domo Medicea, vel in eam Nuptæ, ſub iiſdem tamen conditionibus, ſimiliter perpetuò indulget.

Dilectis in Chriſto Filiabus, Prioriſſę, & Monialibus Monaſterii Sanctę Mariæ Angelorum Civitatis Florentię.

CLEMENS P.P. XI.

Dilectæ in Chriſto Filiæ, ſalutem &c. Singulari animi noſtri gaudio, & præcipuo quodam Paternæ noſtræ charitatis ſolatio à Dilecto Filio Noſtro Petro S.R.E. Cardinali Otthobono iſthinc non ita pridem reduce intelleximus illud ipſum, quod plurimorum teſtimonio dudum Nobis innotuerat, quantâ ſcilicet pietate, & obſervantiâ, & quàm ferventi, & aſſiduo ſtudio Vos, Dilectæ in Chriſto Filiæ, oblitæ Domum Patris veſtri Divino cultui addictæ ſitis, ſolicitæ ſemper magis progredi in viâ perfectionis, ac incenſæ deſiderio quærendi majorem Dei gloriam, eodemque zelo animarum ſalutem, & bonum, ac incrementa Catholicæ Religionis indeficientibus precibus à Deo expetentes. Ut itaque fervor devotionis veſtræ magis incendatur, & alacriùs veſtram, proximorumque ſalutem promovere valeatis, ſpiritualibus Vos præſidiis communire, ac cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, etiam ad enixas preces ejuſdem Cardinalis Otthoboni Nobis ſuper hoc porrectas benignè inclinati, ditare decrevimus. Vobis proindè, ac aliis omnibus, & ſingulis de cetero in veſtro iſto Monaſterio pro tempore degentibus, verè pœnitentibus, & confeſſis, ac Sacrâ Communione refectis, quæ Sacrum Corpus Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, quod, ut piè creditur, in eodem Monaſterio aſſervatur, in primâ occurrente feriâ ſextâ cujuſque menſis devotè viſitaveritis, nec non pro Chriſtianorum Principum concordia, pro hæreſum extirpatione, & pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderitis, plenariam omnium peccatorum veſtrorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. In reliquis verò feriis ſextis totius anni, quâ vice id egeritis, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis Vobis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Eccleſiæ conſuetâ relaxamus, Præſentibus in perpetuum valituris. Pro Paternâ autem noſtrâ erga inclytam Mediceam Domum benevolentiâ, volumus, ut eaſdem indulgentias lucrari etiam poſſint Dilectus Filius Nobilis Vir Coſmus Etruriæ ſibi ſubjectæ Magnus Dux, & alii Principes, & Principiſſæ ex Domo Mediceâ, ſeu in eam Nuptæ nunc, ac pro tempore exiſtentes, ſi eadem pia opera, ut ſupra præſcripta adimpleverint. Quod ſupereſt, hortamur Vos, ut uberi hac ſpiritualium munerum largitione ita perfrui ſatagatis, ut abundetis magis, & progrediamini in viâ Domini: quòd verò ad filialem veſtram

erga Nos obſervantiam maximè pertinet, noſtri memores in veſtris orationibus eſſe non omittatis, Dilectæ in Chriſto Filiæ, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die nonâ Novembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Cardinalem de Lambergh enixè admonet, ac obteſtatur, ut in Conventu Ratisbonenſi Hæreticorum dolis, & conatibus fortiter obſiſtat, ac ſedulò caveat, ne orthodoxa Religio ullum detrimentum accipiat.

Dilecto Filio Noſtro, Joanni Philippo, Tituli S. Silveſtri in Capite Presbytero, S. R. E. Cardinali de Lambergh nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Acres, ac perpugnaces ſuarum Partium Defenſores in Conventu Ratisbonenſi proximè cogendo habituram eſſe Hæreſim facile eſt conjicere, ſi perpendatur, quibus viribus, ac clientelis per hæc tempora accreverint Hæretici, quos credere eſt curaturos eſſe res ſuas hac occaſione magno animorum conſenſu, ac contentione, omnique conatu provehere. Sanè niſi ſit, qui exurgat ex adverſo, & Catholicam cauſam invicto zelo, & eâ, quâ par eſt, conſtantiâ tuendam ſuſcipiat, nihil eſt, quòd ab hominibus tam malè animatis in detrimentum veræ Fidei meritò timendum non videatur. Quo Nos imminenti graviſſimo periculo commoti, ac prætermodum ſoliciti, ne quid deterius contingat rei Catholicæ tot jam inſidiis circumventæ, ac appetitæ, facere non poſſumus, quin Te diligentiſſimè admoneamus, hortemur, & obteſtemur, ut firmiter occurras, & ſtrenuè obſiſtas tam pravis conſiliis, cureſque indeficienti ſtudio, tuâque authoritate efficias, ne quid in eo Conventu adversùs rationes, Jura, ac libertatem Eccleſiæ, nec contra bonum, & commodum orthodoxæ Fidei ſtatuatur. Neque verò injuriâ id à Te tantoperè expetimus, quando is es, cui propter acceptam à Dei Eccleſiâ ſummæ amplitudinis Dignitatem, datamque ipſi viciſſim ſolemni jurejurando Fidem de eâ perpetuò aſſerendâ, negotium hujuſmodi uſque adeò incumbit, ut ſpes poſt Deum præcipua in tuâ ope jure optimo à Nobis conſtituatur. Porrò tuum eſt palàm oſtendere potiorem Tibi eſſe ſalutem atque indemnitatem Catholicæ Religionis quâcumque humanâ ratione, aut quovis terreno ſtudio, & commodo, ſive etiam favore, & gratiâ, ut tui muneris debito reſpondeas, tuamque eximiam pietatem, atque virtutem apud omnes commendes, relaturus hoc nomine à Deo æquo Judice, ac liberali bonorum operum Retributore uberem mercedem præter incrementum Pontificiæ noſtræ benevolentiæ, in cujus perpetuum pignus Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noſter, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 16. Novembris 1709.

ARGUMENTUM

Poſtulat à Rege Poloniæ, ut Capitulum Budiſſenſe, quod ab illius Civitatis Magiſtratu multa, nec vulgaria gravamina perferebat, Regio patrocinio tueri velit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Cum Capitulum Budiſſenſe multa, ac non vulgaria gravamina, quorum pleraque cedunt in detrimentum Catholici cultus, & Juris, ac Diſciplinæ Eccleſiaſticæ perferat à Magiſtratu illius Civitatis, æquum profectò eſt, ut Majeſtas Tua intercedat ſuâ authoritate, & compeſcat licentiam, ac audaciam hujuſmodi Laicorum, & Hæreticorum hominum talia temerè attentantium in odium Orthodoxæ Fidei, quam ſaltem in obſequium tui nominis, tuæque Religionis revereri deberent. Pertinet itaque tum ad Juſtitiam, tum ad pietatem tuam proſpicere indemnitati, & tranquillitati Eccleſiaſtici illius Ordinis, ac diſtrictè præcipere, ne Capitulares impediantur, quominùs ſua munia liberè obire, aut ſuis Juribus, ac rationibus perfrui poſſint. Quâ in re confidimus Majeſtatem Tuam non paſſuram eſſe novis monitis à Nobis excitari, nec Catholicos illius Provinciæ deſtitui hoc uno ſolatio, quod eis ſupereſt in ſpiritualibus eorum neceſſitatibus, ſed imò curaturam eſſe Magiſtratus, & Incolas Hæreticos omninò redigi in ordinem intuitu explicandi ſemper magis ſuum zelum, & conciliandi ſibi, rebuſque ſuis Divinam opem, quam ex animo apprecamur Majeſtati Tuæ, dum eidem Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 16. Novembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

ARGUMENTUM

Urget iterum Epiſcopum Monaſterienſem ad partes Catholicorum in Civitate Colonienſi ita propugnandas, ut Hæretici omni penitùs cadant ſpe ſuæ damnatæ Sectæ exercitia illùc inducendi.

Venerabili Fratri, Franciſco Arnoldo Epiſcopo Monaſterienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Explicavimus non ſemel Fraternitati Tuæ, quàm Nobis cordi ſit, ut Civitas Colonienſis, quæ ob puritatem Catholicæ Religionis illibatè ſemper in ſe cuſtoditam, meritò ab omnibus commendatur, inſigni hac prærogativâ perpetuò gaudeat adversùs conatus Hæreticorum, qui ſuæ Sectæ exercitia in eam inducere non ita pridem præſumpſerunt. Etſi autem perſuaſum habeamus Te tum ſtimulo tuæ pietatis, ac zeli, tum etiam hortatu noſtro, omnia tua ſtudia in hunc ſcopum contuliſſe, cum tamen illi ipſi rerum novarum Authores in ſuo

pra-

pravo propoſito perſiſtere videantur, omnem ipſis ſpem aſſequendi, quod expetunt, præcidendam tamdem eſſe exiſtimamus. Expedit propterea, ut animum, quo es, pro ſervandâ libertate, & Immunitate Religionis in eâ Civitate, apertè denuncies, confovendo palàm, uti quidem Te maximè decet, Catholicorum partes, itaut Hæretici decidant à cogitationibus ſuis. Confidimus enim Deum ſuæ cauſæ affuturum, nec paſſurum eſſe abominationem, & ſcandalum invehi in eam Civitatem. Plurimùm interim Nobis pollicentes de ſpectatâ prudentiâ Fraternitatis Tuæ, Apoſtolicam Benedictionem eidem peramanter impertimur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 16. Novembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S.R.I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Cùm probè perſpectum ſit Nobilitati Tuæ, quo ſtudio, & quantâ ſolicitudine Tecum ſæpiùs per literas noſtras egerimus pro avertendo à Civitate Colonienſi Romanæ Eccleſiæ perpetuò addictâ, & ab omni prorſùs pravi cultus abominatione hactenùs immuni, graviſſimo ſcandalo, quod non ita pridem in eam clàm invehere attentarunt Hæretici, qui ſcilicet Principis ſuarum partium potentiâ freti exercitia damnatæ ſuæ Sectæ illuc inducere præſumpſerunt, æquum eſſe intelliges, ut cum illi ſimilia aggredi pergant, & aſſequi nitantur, Nos eodem zelo incenſi ipſorum auſibus pro debito muneris noſtri firmiter obſiſtamus. Quamobrèm majorem in modum à Te petimus, ut nihil de eo fervore, quo Te pro indemnitate Orthodoxæ Fidei Nobiſcum flagrare oportet, remittas, ſed hanc cauſam, quæ Dei eſt, utpotè ad ejus honorem in primis pertinentem, inconcuſsâ voluntate propugnes. Quo animo Te eſſe tum planè oſtendes, cum ita faveris Catholicis, ut omninò conſtet nihil antiquiùs Tibi eſſe ſtudio, ac deſiderio aſſerendi puritatem, atque integritatem veræ Religionis, ut propterea novarum rerum Authores deſperent, quamdiù Te in eâ re verſatus fueris, poſſe ſe ſui voti compotes fieri, aut quidquam obtinere. Dum autem confidimus Te hoc novum, ac præclarum ſpecimen tuæ Filialis obſervantiæ Nobis eſſe daturum, Nobilitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 16. Novembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Nono.

AR-

ARGUMENTUM

Archiepiſcopum Cæſarauguſtanum Inquiſitorem Generalem Hiſpaniarum laudat, quòd Pontificiam authoritatem adversùs Secularis poteſtatis licentiam in ſua Diœceſi fortiter tueri paratus ſit, & Regem Catholicum ad æquiora conſilia revocare omni ſtudio conetur, utque id ipſum apud Majeſtatem Suam urgere pergat, ab Eo vehementer expoſcit.

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Cæſarauguſtano, Inquiſitori Generali Hiſpaniarum.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Cùm in poſtremis Fraternitatis Tuę ad Nos literis multa contineantur, quæ ſatis inſinuant Te debitæ in Nos, & in hanc Sanctam Sedem reverentiæ probè memorem non parùm commotum fuiſſe tum iis ſcandalis, quæ in contemptum Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, ac Pontificiæ Dignitatis in iſtis partibus non ita pridem admiſſa gravis, ac juſti doloris cauſam Nobis præbuerunt, tum etiam charitatis noſtræ monitis, quibus Te hortari non prætermiſimus, ut nunc maximè in officio eſſes, cùm perturbari iſthic res ſacras, ac Eccleſiæ Jura auſu planè nimio oppugnari, ac everti conſpiceres: par modò eſſe ducimus debitis in Domino laudibus efferre hunc animum tuum ſic affectum Perſonâ, quam in Eccleſiâ Dei geris, planè dignum, ac ſpei, & opinioni de Te noſtræ utiquè præclarè reſpondentem. Probatur autem Nobis in primis, utpotè omni æquitati conſonum, quod apertè profitearis Te non paſſurum eſſe in tuâ Diœceſi apponi manus ad ea, quæ authoritate noſtrâ per Nos ipſos, ſive per eos, quibus ad id facultas à Nobis ſpecialiter eſt delegata, confici debent, ac conſueverunt, quod omninò ſervandum eſt, ne à debito ergà Nos cultu recedi videatur, & ne contingat per hujuſmodi actus attentatos, ac prorsùs irritos Fidelium conſcientias graviſſimis difficultatibus implicari. Peculiari verò commendatione dignum exiſtimavimus, quòd præcipuò, ut aſſeris, ſtudio curaveris revocare Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Philippum Hiſpaniarum Regem Catholicum à ſuſceptis, ſive potiùs inſidiosè immiſſis in ejus animum conſiliis, per quæ Ille videbatur velle Jura, ac libertatem Eccleſiæ, noſtramque authoritatem certis quibuſdam finibus, contra fas omne, coercere. Verùm quod in primis factu opus erat ad farciendam ex integro, ut par erat, Eccleſiæ Dignitatem, atque authoritatem, prioribus literis à Rege ad Epiſcopos Hiſpaniarum datis, tam graviter, ac enormiter læſam, ut ſcilicet ſtatim retractarentur ea omnia, quæ adversùs Jura Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis, magnâ Fidelium omnium offenſione, conſtituta fuerant, ac ut congruè utrique ſatisfieret: id minimè præſtitum fuiſſe per alias literas, quæ ad eoſdem Epiſcopos Regio nomine ſcriptæ ſubinde prodierunt, ubi ſimul tuum zelum conſulas, facilè deprehendes; Etſi enim Rex in iis palàm denunciet animum ſibi nunquam fuiſſe ſpiritualem authoritatem, uſumque ſupremæ Juriſdictionis Eccleſiaſticæ prorsùs impedire, cum tamen interim mandet ſanctiora quædam ad eamdem ſpiritualem Poteſtatem in primis pertinentia per ſuos attrectari, ac inſpici, & Apoſtolicarum literarum executioni nova, at-

que hactenùs inaudita impedimenta objiciat, illatam injuriam adeò non lenit, ut imò quodammodò magis exaſperet. Quamobrèm tuum erit ſtudioſiùs adhùc, atque ferventiùs agere apud Regem, quem rectâ, & egregiâ eſſe voluntate, & pietatem impensè diligere, ac perſiſtere in filiali erga Nos, & hanc Sanctam Sedem obſervantiâ teſtaris, ut æquam, & congruam reparationem afferre Eccleſiæ quamprimùm curet, ejuſque libertatem, & immunitatem nedum in priſtinum locum reſtituat, ſed etiam omni ſtudio, ac ope in poſterùm tueatur, quâ ratione Deum, qui dat ſalutem Regibus, ſibi, rebuſque ſuis propitiabitur, Noſque eximet à moleſtioribus cogitationibus, quemadmodùm à Dilecto Filio Noſtro Fabritio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Paulutio fuſiùs intelliges. Atque hæc, ſolicitudine, ac charitate noſtrâ dictante, explicanda Tibi eſſe duximus, polliciti Nobis fructum, quem optamus, quia plurimùm confidimus de præſtanti zelo Fraternitatis Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die decimâ quartâ Decembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopo Moguntino S. R. I. Principi Electori plura injungit ad arcenda ſcandala, quæ in negotio illius Coadjutoriæ ſuboriebantur. Deindè ſpectato illius zelo Religionis, Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis rationes impensè commendat.

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Con pari dolore, & orrore abbiamo letto quel' tanto, ch'Ella ci ſcrive con ſua lettera in data delli 3. del cadente in propoſito de' ſcandaloſi maneggi, che ſi fanno nell' affare della ſua Coadiutoria. Mà perche, à dire il vero, è inutile il deplorare il male, ove à quello non ſi accorra con pronti, & efficaci rimedii, tralaſciando di diffonderci sù la prima parte, già che in quella non potrebbe mai tanto dirſi, quanto converrebbe, ci riſtringiamo à ſodisfare alla ſeconda, come richiede il debito indiſpenſabile del noſtro Apoſtolico Miniſterio. Approviamo perciò in primo luogo la riſoluzione, che già vediamo da Lei eſſerſi preſa, cioè che preſentemente non ſia eſpediente in conto alcuno di trattare di Coadiutore, anzi, ſe Ella giudicarà bene, come Noi lo giudichiamo, che da Noi ſi ſcrivino nuovi Brevi sì à Lei ſteſſa, come al ſuo Capitolo, ne' quali per giuſte, e gravi cauſe à Noi note non ſolo ſi revochi quell'eccitamento, che sù queſta materia avevamo loro dato con altri noſtri Brevi precedenti, mà eſpreſſamente ſi proibiſca loro il trattare di Coadiutoria ſenza nuova noſtra permiſſione, ſiamo pronti à ſpedirgli ad ogni ſuo aviſo, ch'Ella potrà farci pervenire col mezzo del Veſcovo di Porfiria noſtro Sagriſta. In oltre ſtimiamo aſſolutamente neceſſario, che ſopra la Carta, che ci avviſa eſſerſi mandata in giro per farla ſottoſcrivere da Capitolari, come anco ſopra gl'Autori, promotori, e inſtigatori di eſſa, Ella faccia fabricare proceſſo da ſuoi Miniſtri con ſomma ſegretezza, con farne da loro prendere tutte quelle più legitime, e

for-

formali prove, che potranno averne per poi traſmettercele, ad effetto che poſſiamo procedere à quelle ulteriori riſoluzioni, che convengono in sì importante materia anco per provedere all'avvenire; tanto più, che non è punto veriſimile, che detta Carta poſſa per altra ſtrada pervenire alle noſtre mani, mentre ben' conoſceranno il male, che potrebbe fare à chi la preſentaſſe, e però ſe ne guardaranno aſſai bene. Scriviamo la preſente di noſtro pugno anco frà dolori d'una moleſta indiſpoſizione, con cui piace alla Divina bontà di viſitarci, affinche Ella poſſa quindi inferire, che la premura, che abbiamo in queſt'affare, è intieramente corriſpondente alla gravezza di eſſo. Per ultimo con lagrime agl'occhi non laſciamo di raccommandare, quanto più premuroſamente poſſiamo, all'efficacia del ſuo zelo, e all'appoggio dalla ſua autorità gl'intereſſi della Religione, della Chieſa, e della Sede Apoſtolica, che per li noſtri peccati in queſti calamitoſiſſimi tempi, com'Ella ben' vede, ſono tante inſidiate, e preſe di mira da ogni parte. E con tutta la pienezza del noſtro Paterno affetto le diamo l'Apoſtolica Benedizione. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 28. Decembris 1709. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

EPISTOLÆ
ET
BREVIA
SELECTIORA
ANNI MDCCX.

Digitized by Google

Digitized by Google



PANEM DE CŒLO DEDIT EIS MANDUCARE.
Ioann. Cap. 6. v. 31.

Eques Petrus Leo Ghezzius Invent. del. [illegible]

ARGUMENTUM

Epiſcopum Baſileenſem, ut in ſua Diœceſi Preces Imperiales Apoſtolico Indulto deſtitutas non admittat, & Eccleſiæ libertatem ſtrenuè tueatur, propoſitis graviſſimis malis, quæ, ſi ſecùs faceret, orirentur, enixè admonet.

Venerabili Fratri Epiſcopo Baſileenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Inter præcipuas Paſtoralis Officii curas, quæ Nobis in hoc loco conſtitutis, & ceteris omnibus in partem ſolicitudinis noſtræ vocatis incumbunt, illa potiſſimùm recenſenda eſt, quâ tenemur ſinguli hoc Ordine inſigniti jura, ac libertatem Eccleſiæ conſtanti, invictoque animo aſſerere, nec unquàm pati, quòd Sponſa Chriſti, quæ ab omni ſervitute immunis eſſe debet, alienæ, ac ſecularis Dominationis arbitrio ullo unquàm tempore ſubiiciatur. Cùm itaque ambitu, & avaritiâ quorundam animos turpiter invadente non deſint quandoque qui, ut Eccleſiæ Dignitatibus, Officiis, atque Præbendis aucti in Domo Dei confideant, aditum ſibi ad eam non ſuffragio meritorum, non titulo ex canonicâ proviſione, aut electione deſumpto parant, ſed præſidio ſecularis favoris, atque potentiæ communiti, illùc non per oſtium ingredi, ſed per vim irrumpere contendunt: nihil tam curandum eſt ab his, quorum cuſtodiæ, ac tutelæ commiſſa eſt Eccleſia, quàm ne contingat jura, & res ſacras, & Beneficia ab hujuſmodi Refractariis occupari. Quamobrèm Muneris noſtri eſſe duximus præmonere Fraternitatem Tuam, de cujus vigilantiâ, ac zelo pluri-

rimùm in Domino confidimus, ut ubi agnoveris ſimile aliquid attentari, ſive in Cathedrali, ſive in aliis tuæ Diœceſis Eccleſiis obtentu præſertim Imperialium Precum, quæ Apoſtolico Indulto deſtitutæ nullius roboris ſunt, ut probè noſti, & Nos ſæpiùs declaravimus, compeſcas hujuſmodi auſus, & libertatem Eccleſiæ pro tuo jure, ac munere fortiter propugnes. Acri autem Tibi ſtimulo ad evertendum hujuſmodi ſcandalum eſſe debent graviſſima mala, quæ inde conſequerentur; nam præterquamquòd ſic intruſus non faceret fructus ſuos, inficeret, & irritum redderet quemcumque actum, cui intereſſet, ac proinde ipſas etiam Electiones Capitulares, ad quas pro ferendo ſuffragio advocaretur. Omittimus, quòd admiſſio tam execrabilis abuſus res eſſet deterrimi exempli tum ob anſam, quæ aliis per hoc daretur ſimilia inpoſterum attentandi, tum quia manifeſtè adverſatur Concordatis Germaniæ, per quæ illud inprimis cavetur, ut libertas Electionum, & Apoſtolicarum Proviſionum integra perpetuò ſit, nulla unquàm commendationis, aut Precum Imperialium mentione ibi factâ: hæc enim omnia Tibi ſatis, ſuperque explorata eſſe arbitramur, ac propterea non ambigimus, quin præſtantiſſimorum Antiſtitum, qui talibus conatibus firmiter obſtiterunt, præclaris veſtigiis ſis inhæſurus. Interim verò in pignus Pontificiæ charitatis Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatòris die 11. Januarii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

Epiſcopo Conſtantienſi: Eodem exemplo.

ARGUMENTUM

Regem Portugalliæ iterum vehementer interpellat, ac obteſtatur, ut ſacrilegos auſus Regiorum in Macaonenſi Civitate Officialium, atque illatas Cardinali de Tournon graviſſimas injurias congruâ, celerique reparatione ſarciri curet, ac eidem Cardinali priſtinam libertatem reſtitui mandet.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joanni Portugalliç, & Algarbiorum Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Perpendentes appropinquare jam tempus, quo Luſitanæ Naves ſub auſpiciis Majeſtatis Tuç profectionem in Indias Orientales inſtituere ſolent, præ oculis autem jugiter habentes execrabile ſcandalum in illis partibus ab ipſis Fidelibus (quod ſine lacrymis referre non poſſumus) temerè, ac palàm admiſſum, de quo quidem, ſtatim ac Nobis innotuit, per noſtras literas die quartâ Martii Anni proximè elapſi datas, ac per celerem Curſorem iſthùc miſſas graviter Tecum, prout rei magnitudo poſtulabat, conqueſti ſumus, ad quas tamen literas nullum hactenùs reſponſum Nobis afferri contigit, vim, & impetum juſti, ac intimi doloris noſtri diutiùs cohibere non poſſumus, quin iterum, atque ferventiùs interpellemus, ac per Deum Omnipotentem obteſtemur Majeſtatem Tuam, ut ſeriò cogitet, ac videat, ne ſi tanto flagitio congruis remediis occurrere neglexerit, aut diſtulerit, magna ſuo nomini nota, ſive potiùs graviſ-

ſima

ſima ſuæ conſcientiæ labes inuratur. Nam quia tuæ authoritati ſubjiciuntur, tuoque nomine præſunt illi, qui auſi fuerunt violentas manus mittere in Chriſtum Domini, tuum profectò eſt ita in eos animadvertere, ut omnes intelligant reprobatos à Te, & indignanter exauditos fuiſſe ſacrilegos eorum auſus, eſſeque Te tum ſatis gnarum, tum probè memorem qualem reverentiam Apoſtolicis Viris adhiberi velit Deus, & quàm Ille tutelam eiſdem polliceatur cum dicit: *Qui Vos ſpernit, me ſpernit, & qui Vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. Cùm itaque Capitaneus Generalis, aliique Officiales, ac Adminiſtri tuo nomine reſidentes in Civitate tuâ Macaonenſi (adſtipulante ipſis in maximum ſui Ordinis dedecus ejuſdem loci Epiſcopo, qui tui Conſiliarii nomen præfert) veriti non fuerint Sedis Apoſtolicæ Legatum non tam inſigni muneris prerogativâ, quàm excelsâ virtute conſpicuum, (quem Nos propterea ad Cardinalitiam Dignitatem ſubindè eveximus) ab Imperio Sinarum ob excitatam adversùs Eum Chriſtianæ Religionis causâ improbam procellam illùc juſſu Imperatoris reducem, non eo, quo par erat, cultu, & obſequio, ſed inhumano prorsùs, ac hoſtili modo excipere, eumque injuriis, & contumeliis affectum militari cuſtodiæ tradere, ac in ipſius Familiares diverſimodè ſævire, ac demùm multò duriùs in Eum agere, quàm ipſi Infideles egiſſent, à quibus non ſinè aliquâ honoris ſignificatione illùc revertebatur; Vides jam, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, quid à tuâ authoritate, ac juſtitiâ, quid ab eximiâ illâ pietate, ac zelo, quo tuorum Majorum inclytæ memoriæ Regum exemplo incendi debes favore Religionis, expectet Chriſtianus Orbis, in cujus conſpectu tam horrendum facinus inauditâ temeritate perpetratum fuit. Quod autem attinet ad reddendam eidem Dilecto Filio Noſtro S. R. E. Cardinali libertatem, etſi in hoc maximè verſetur ſolicitudo noſtra, non tamen admodum Nobis in hoc apud Te allaborandum eſſe ducimus; confidimus enim Te nedum præfatis monitis noſtris, ſed ipsâ facti iniquitate commotum, ubi primùm per occaſionem licuit, mandaſſe, ut Ille ab ignominiâ per nefariam illam detentionem ipſi irrogatâ ſtatim eximeretur: ſatis enim perſpectum eſt, quòd quamdiù idem Cardinalis turpem hanc pœnam ſubire cogetur, tamdiù acerbiſſimum vulnus hærebit lateri Eccleſiæ, quod nec Nos ullo modo ferre poſſumus, niſi Muneri noſtro deeſſe velimus, nec Deus æquiſſimus Judex inultum eſſe patietur, ſed Authores, & conſcios, aut quoquomodo ejus criminis participes ſuæ iracundiæ flagello percutiet. Certi interim Majeſtatem Tuam ſedulò curaturam eſſe conſulere famæ, ac ſaluti ſuæ, quæ neglectâ, aut dilatâ tam neceſſariâ ope manifeſtè periclitaretur, Apoſtolicam eidem Benedictionem ſub hac ſpe amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ quintâ Januarii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

AR-

ARGUMENTUM

Duci Antonio Ulrico Brunſvvicenſi, ac Luneburgenſi converſionem ad Fidem Catholicam effuſiſſimè gratulatur, ejuſque eximiis explicatis laudibus, ut acceptum à Divinâ clementiâ beneficium non abſcondere, ſed palàm proferre quamprimùm velit, nec ab humanis rationibus ſe retardari ſinat, ipſum vehementer hortatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Antonio Ulrico Duci Brunſvvicenſi, & Luneburgenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Occurrimus expanſis Paternis ulnis in amplexum Nobilitatis Tuæ ultrò ad Nos properantis, nec in tanto noſtræ charitatis æſtu, neque inter erumpentes ab oculis noſtris uberes præ gaudio lacrymas, ſatis explicare poſſumus, quàm exultaverit, quâve lætitia perfuſum fuerit cor noſtrum, ubi ex tuis literis, nec non ex his, quæ Nobis ſignificavit Dilectus Filius Annibal Albanus noſter ex Germano Fratre ſecundùm carnem Nepos, intelleximus Te, abjecto, ac ejurato hæreticæ pravitatis errore, agnitâque, ac receptâ Catholicâ veritate in ſinum Sanctæ Matris Eccleſiæ convolaſſe. Satis quidem eſſe poterat ad leniendas ingentes curas, quibus pro inauditâ præſentium temporum iniquitate circumdamur, lucrum unius animæ, cujus pretium Chriſtus ſui ſanguinis effuſione detexit; ſed uberior ſanè gratulationis cauſa, Te ad Caſtra veræ Fidei accedente, Nobis ſuppetit, quando tam ſalutare conſilium ab eo ſuſceptum fuiſſe perpendimus, qui nedum ſpectabilis eſt ob inſignia inclytæ Stirpis decora, ſed & ob excelſæ, ac non vulgariter eruditæ mentis præſtantiam, tantùm ſibi nominis, atque authoritatis apud omnes conciliavit, ut, cum nihil à Te, niſi ſcitè, ac providè conſtitutum fuiſſe plerique meritò exiſtimaturi ſint, ſperare fas ſit uberes fructus tuo exemplo ad incrementum Orthodoxæ Religionis, Deo propitiante, eſſe conſecuturos. Qua Nos ſpe mirificè crecti, ac confirmati parùm metuendum eſſe ab iis arbitramur, qui ſuo cœno incubantes, ſuiſque erroribus involuti, quemadmodùm ægro, lividoque animo deliberationem tuam accepturi ſunt, ita fortè contendent moleſtias Tibi multas ingerere, Teque viam ſalutis ingreſſum omni ſtudio revocare, ut retrò reſpicias: confidimus enim, quòd tu eâ animi magnitudine, quâ, contritis eorum laqueis, in libertatem Chriſti per verum cultum Te vindicaſti, eâdem quoque ipſorum conatus, atque molimina feliciter evades. Quâ in re quamvis credamus tuam dignitatem Tibi fore præſidio ſatis valido ad repellendos nefarios hujuſmodi auſus, ſi quid tamen ad confovendum, propugnandumque propoſitum tuum, & ad parandam Tibi tranquillitatem, conferre poterit authoritas noſtra, pro certo habere debes eam Tibi conſtanti ope eſſe perpetuò affuturam. Verùm ne quid Tibi intereà deſit ad integritatem meriti, & ad perfectionem inſtituti operis, oportet profectò, ut animum, quo nunc es, palàm proferre ne differas: ut quid enim ſines inſigne Dei beneficium in abſcondito tuo cordis diutiùs deliteſcere? Quærant illi latebras, abdantque ſenſus ſuos, ac ſilentio tueantur, qui ambulant in invio, & non in viâ, & in tenebris errant; Tu verò jam tandem in eam lucem, quam Tibi Pater luminum miſericorditer oſtendit, fidenter emerge, ac publicè profitere Catholicam verita-

tem

tem, quam alacriter es amplexus. Confundantur illi, ſi qui erunt, qui propterea Tecum iniquiùs agunt; Tu verò probè conſcius cui credidiſti, confide; ſuſtinentes enim, ac confitentes Dominum non confundentur, imò verò non interiturum præmium accipient, ſi quod corde geſtant, palàm ore profiteantur. Porrò è contra ſcriptum eſt, quòd Filius hominis, cum venerit in Majeſtate ſua, erubeſcet eos coram Angelis ſuis, qui Illum coram hominibus erubuerint. Ex his vim, & magnitudinem noſtræ erga Te dilectionis, & zelum, ac ſolicitudinem, quam de tuâ ſalute gerimus, deprehendes; dum Nos interim plura apud Deum precibus noſtris agere non omittemus, ut Ille ſuorum munerum affluentiâ in Te perficiat, quod miſericorditer cœpit; in cujus boni auſpicium Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 1. Februarii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco Archiepſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Earum literarum, quas à Fraternitate Tua nuper accepimus, jucundiſſimum argumentum ingeminavit in corde noſtro ingentem, ſummamque lætitiam, quam paulò ante cœpimus, cum audivimus factum eſſe magno miſerentes Dei munere, ut Dilectus Filius Nobilis Vir Dux Brunſvvicenſis ſupernæ gratiæ vocibus obſequeretur, & Catholicæ Fidei profeſſionem, ejuratâ Lutheranâ hæreſi, emitteret, de quo ſalutari conſilio à ſe ſuſcepto ille idem Dux non ſine ampla ſui in Nos cultus, & Filialis devotionis ſignificatione Nos admonuit, dum idipſum Dilectus Filius Annibal Albanus noſter ex germano Fratre ſecundùm carnem Nepos Nobis nuntiavit. Jure autem meritò lætum hunc eventum Nobis gratularis, quandò ad levamen ſolicitudinis noſtræ, itemque ad charitatis noſtræ ſolatium ſub Paſtorali noſtro Regimine contigit, ut tanti nominis, & tam excelſæ mentis Princeps Catholicam veritatem complecteretur, ac per hoc viam ceteris, quibuſcum aberraverat, muniret, qua iidem ſalutis iter, ſi ſaperent, ingrederentur, quemadmodùm Dei ope eventurum eſſe confidimus. Decet verò Nos viciſſim congaudere, & gratulari Tibi inſigne meritum inde Tibi partum propter ſedulam, ac præſtantem operam in hunc ſcopum, adſtipulante ſtudio, ac pio deſiderio Cæſareæ Majeſtatis, à Te egregiè collatam: nam ſine uberi mercede eos eſſe cœleſtis Paſtor non patitur, qui eo, quo par eſt, fervore ſpiritus incrementa ſui Gregis inquirunt. Ceterùm etſi perſuaſum Nobis ſit non leves fuiſſe rationes, ob quas viſum hactenùs fuerit non expedire, quòd memoratus Dux Catholicam Religionem ſtatim publicè profiteretur, cum tamen longè majoris momenti ſint cauſæ, quæ certò ſuadent, ut quod Ipſe propoſitum in Dei honorem, & in teſtimonium agnitæ veritatis, atque pro animæ ſuæ ſalute, inire non dubitavit, ſine ullâ cunctatione palàm proferat, tuæ eximiæ virtutis, tuique invicti zeli erit diligenter curare, ac profectò efficere, ne in eâ re perficienda diutiùs hæreat, ſed omninò danda

Tibi eſt opera, ut Dux publicam Catholicæ Fidei profeſſionem quamprimùm emittat, atque ita converſionem multorum, qui fortè in eadem deliberatione adhùc verſantur, acceleret, ac Catholici cultus amplificationem, atque ſpirituale bonum promoveat. Deus enim, contra quem non eſt conſilium, non eſt prudentiâ, elidet conatus omnes, atque molimina, ſi quæ interjicientur, nec ſinet ullum grave incommodum inde oboriri. Hortamur itaque quo majori poſſumus ſtudio Fraternitatem Tuam, ut ſatagat complere gaudium Eccleſiæ, & operi jam benè cœpto, feliciterque perducto extremam manum admoveat. Quod attinet ad petitionem tuam circa prorogationem Indulti conferendi in menſibus Nobis, & Apoſtolicæ Sedi reſervatis, Nos Tibi gratificari cupientes, Diploma ſuper hoc expediri, atque ad Te mitti mandavimus. Felicitatem interim Tibi à Deo ex animo precantes Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die octavâ Februarii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Epiſcopo Carthaginenſi reſcribit gratas admodum ſibi fuiſſe illius literas, tum quia de ſtatu rerum Hiſpaniarum, quem reſcire cupiebat, ex iis certior factus fuerat, tum etiam quia in ipſis præclarum ejuſdem Præſulis zelum luculenter agnoverat. Eum idcircò præcipuis ornat laudibus, & quæ prudenter egerat in ſcopum aſſerendæ Eccleſiaſticæ libertatis, & revocandi Regis Catholici animum à ſuſceptis conſiliis, approbat, atque commendat.

Venerabili Fratri, Epiſcopo Carthaginenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Invenit ſolicitudo noſtra non parùm levaminis inſpectis literis Fraternitatis Tuæ decimâ nonâ Novembris Anni proximè elapſi ad Nos datis, & primùm quidem, quia per Te certiores facti ſumus de ſtatu rerum iſtarum poſt excitatum adverſùs Eccleſiaſticam Juriſdictionem tam inopinatum, ac ſanè immeritum turbinem, de quibus quidem rebus aliquid reſcire peroptabamus, dum nihil certi ad Nos fortè propter obſtructas vias hactenùs perlatum fuerat, cum Tu ſingula diligentiſſimè eiſdem literis ſis proſecutus; deinde verò quia peculiari animi noſtri gaudio percepimus, qua Tu vigilantiâ, ac zelo huic cauſæ affueris, propoſito Tibi inſigni exemplo ſeduli Domus Dei Cuſtodis, tum accuratiùs excubantis, cum majora pericula urgerent: fidelis hæreditatis Chriſti inſtitoris, tum maximè in officio ſtantis, cum creditum ſibi deſuper Depoſitum majoribus inſidiis proponi videret: invicti Eccleſiæ Dei Antiſtitis, qui tamquàm fortis armatus Atrium ſuum ſtrenuè cuſtodire non prætermitteret; atque id magna quidem libertate ſpiritus, ſed eâ inſimul, quæ Paſtorem ſummoperè decet, manſuetudine, ac lenitate, itaut ferventem zelum cum ſingulari charitate conjunxeris, adhibito in primis præcipuò ſtudio in revocando ſalutaribus monitis, ac paternis officiis Regis animo à ſuſceptis conſiliis, quod unum maximè reducendæ tranquillitati, ſarciendiſque publicis Eccleſiæ injuriis profuturum eſſe confidimus. Cum enim omnibus com-

pertum ſit eſſe Regem, ut egregiæ indolis, ita in omnem pietatis cultum ſuâ ſpontè propenſum; è contra verò ambigi non poſſit, quin ejus menti hac occaſione obreptum fuerit eorum operâ, qui ſeculo nimiùm inhærentes terrena tanti faciunt, ut ſacra, ac ſpiritualia vel negligant, vel etiam deſpiciant, ſperare fas eſt ipſum Regem hac ope veritatis admonitum nihil antiquiùs habiturum, quàm detrimenta illata Eccleſiæ ſarcire, & Decreta libertatis, atque authoritatis Eccleſiaſticæ læſiva quamprimùm retractare. Neque verò levi præſidio erunt ad parandum hoc bonum, ac ad diſſipandas tenebras Regiæ menti offuſas allatæ à Te, ac in unum congeſtæ graviſſimæ rationes, atque authoritates ſolidioribus ſacrarum, humanarumque legum fundamentis innixæ, quibus in ſtudiis, quantùm polleas, ubi aliundè non innoteſceret, ſatis vel ex his, quæ in eiſdem tuis literis hùc pertinentia delibaſti, intelligitur. Interim verò cum multum referat, ne res iſtæ nimiùm ſanè perturbatæ gravioribus nunc difficultatibus in majus animarum periculum involvantur, nevè contingat Fraternitatem Tuam, in cujus perſpecta virtute plurimùm ſpei meritò conſtituimus, adigi ad deſerendam ſuam ſtationem, undè Fidelibus iſtis admodum prodeſſe poteſt: conſentaneum eidem charitati fuiſſe exiſtimamus, quòd diſtuleris canonicis pœnis publicè in eos animadvertere, qui Decreta, ac Edicta adversùs libertatem adeundi Romanam Curiam in iſtis partibus auſi ſunt promulgare; Ceterùm quod attinet ad mittendum huc Statum tuæ Eccleſiæ, jam Tibi ad annum conceſſimus facultatem quod id commodè, ac tutò exequi valeas, ſicuti ex Indulto die undecimâ Decembris proximè præteriti hac ſuper re expedito fuſiùs apparet. Confide interim glorioſos labores à Te pro aſſerenda Eccleſiæ Dignitate, atque authoritate ſuſceptos mercede apud Deum vacuos certè non fore, neque eorum memoriam unquam interituram apud Nos, qui præcipuis amoris noſtri documentis, ubi ſuppetet occaſio, teſtari non omittemus, quanti faciamus Fraternitatem Tuam, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 15. Februarii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Gratum, memoremque animum profitetur erga Regem Poloniæ, quòd Annibalem Albanum ſuum ex germano Fratre Nepotem honorificè exceperit. Ex eo libenter cognoviſſe ſcribit ſuſceptum à Majeſtate Sua conſilium Catholicæ Fidei præceptis imbuendi Principem Natum ſuum, quod & ex Regiis uno, eodemque tempore ad Sanctitatem Suam allatis literis confirmari intellexit; Eumdem propterea Regem, ut omni ſublatâ morâ ſalutare opus perficiat, diligenter hortatur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Placuit Majeſtati Tuæ iis amoris, atque honoris ſignificationibus excipere Dilectum Filium Annibalem Albanum noſtrum ex germano Fratre ſecundùm carnem Nepotem Te conveniendi, & noſtris verbis alloquendi gratiâ Dreſdam juſſu

noſtro profectum, ut quemadmodùm Ille Regiæ tuæ benignitati non uno nomine obſtrictus gratum erga Te animum ſe perpetuò ſervaturum profitetur; ita profectò tuorum in eum officiorum memoria numquam ſit apud Nos interitura. Nihil autem libentiùs ejus relatu percepimus, quàm quòd intellexeris illius profectionem nedum cauſam, ſed acrem ſtimulum habuiſſe à fervore noſtræ in Te Paternæ charitatis; cum enim impensè optemus Te ad cumulum earum laudum, quæ pium, ac Catholicum Regem maximè decent, Deo auſpice pervenire, in metu ſemper ſumus, ne quid Tibi deſit, quod ad commendationem tui zeli pro Catholica Religione pertineat. Monitis proindè noſtris ſemper apud Te urſimus, ut quidquid offenſioni Fidelibus eſſe poterat, incunctanter removeres, dareſque propterea operam, imò tuâ authoritate efficeres, ut Princeps Filius tuus ab omni demùm Hæreticorum conſuetudine ſegregaretur, ac veræ Fidei Præceptis à catholicis Viris imbueretur. Porrò curam hanc noſtram, quæ profectò numquam Nos deſeruit, non parum ſuo teſtimonio hac occaſione lenivit idem Nepos noſter, atque ex his, quæ à Te ipſo audivit, affirmare Nobis non dubitavit, Te, poſt expenſum maturiùs debitum, quo Filii tui ſpiritualem ſalutem curare tenebaris, ac ineluctabile rationum, quæ afferebantur, pondus, omninò conſtituiſſe Principem præfatum Catholicè inſtituere, Teque id tantâ animi firmitate ſibi pollicitum fuiſſe, ut de conſtanti tuo eâ in re propoſito ambigendum prætereà non videatur. Comprobatur hoc ipſum propoſitum per tuas literas eodem tempore ad Nos datas, in quibus Nobis pariter obſtringis in hoc Regiam tuam fidem, quam Nos libenti animo acceptamus, non dubitantes Te de ea liberanda ita, ut par eſt, ſolicitum fore, cum benè intelligas Te non aliâ viâ Dei gratiam, & opem poſſe magis promereri, quàm celeri eorum executione, quæ in conſpectu Ipſius tutò protrahi non poſſunt. Satage itaque, Rex inclyte, adhibito tam opportuno, ac neceſſario medio, patrocinium quærere tuæ cauſæ; eodemque conciliare Tibi Ejus opem, per quem Reges regnant. Hoc autem auſpice ne timeas à facie eorum, quibus fortè moleſtum conſilium à Te ſuſceptum acciderit; Erit enim Tibi conſcientia rectè facti adversùs quoſcumque conatus validiſſimum, ac inſuperabile munimentum. Interim verò pro certò habe, quod, ubi Tu eâ, qua par eſt, alacritate, & obſervantiâ Paternis noſtris vocibus obſecutus fueris, & perfeceris ſalutare opus, ad quod implendum tamdiù eſt, quod Te hortamur, Nos non prætermittemus noſtrâ, & hujus Sanctæ Sedis authoritate, omnique ſtudio Tibi adeſſe: quod dictum, ratumque Tibi eſſe volumus, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, cui Apoſtolicam Benedictionem in teſtem benevolentiæ noſtræ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Februarii 1710. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Regem Poloniæ ſolicitat, ut promiſſum Annibali Albano Sanctitatis Suæ ex germano Fratre Nepoti locum in Civitate Lipſiæ, ubi Catholici ibidem degentes Eccleſiam conſtruere poſſint, quamprimùm aſſignari mandet.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Cùm inter alia propenſæ, ac benevolæ voluntatis argumenta à Majeſtate Tua Dilecto Filio Annibali Albano noſtro ex germano Fratre ſecundùm carnem Nepoti, dum is Dreſdæ apud Te eſſet, perhumaniter delata, illud etiam non poſtremo loco recenſendum ſit, quòd magnâ animi alacritate ejus precibus annueris, dum à Te expoſceret, ut locum aliquem conſtituere, ac attribuere velles Catholicis degentibus in Civitate Lipſiæ, quo in loco liceret ipſis Eccleſiam ad Divina peragenda conſtruere; Nos, quibus tuus hujuſmodi aſſenſus, atque promiſſio peculiare gaudium attulit, utpotè tendens in favorem Catholici cultus, agimus uberes Deo bonorum omnium Authori, & exindè congruas Majeſtati Tuæ gratias: ſed interim facere non poſſumus, quin Tibi explicemus ex eâ tuâ promiſſione incendi in Nobis deſiderium percipiendi quamprimùm fructum tam ſalutaris conſilii. Quamobrèm preces noſtras prioribus Tibi oblatis adjungimus, enixè à Te expetentes, ut opportuna deſuper mandata expedias, cureſque authoritate tuâ, ne quid obſtet, quominùs manus operi ſtatim admoveatur. Eſt enim animi verè diligentis Deum abrumpere moras omnes in agendis iis, quæ ejus gloriam reſpiciunt, cum præſertim ſinè magno fœnore eſſe non poſſit, quod Retributori optimo ſine cunctatione perſolvitur. Rati itaque ſtimulum Tibi additum iri ab ipsâ tuâ pietate, officium pluribus proſequi prætermittimus, & Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ ſecundâ Februarii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Cùm Rege Catholicò injurias Nuncio Pontificio, Eccleſiæ, ac Sedi Apoſtolicæ illatas graviter, paternis tamen vocibus, expoſtulat, & congruam, celeremque reparationem expoſcit; qua ſecutâ ſe Regias præſentationes ad Eccleſias in Hiſpaniarum Regnis vacantes illicò admiſſurum, & alia Pontificiæ charitatis argumenta Majeſtati Suæ non denegaturum eſſe profitetur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Philippo Hiſpaniarum Regi Catholico.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Accidet fortaſſe præter omnem expectationem Majeſtati Tuæ, quòd eo ipſo tempore quo læſa prætermodum in iſtis Partibus Juriſdictio Eccleſiaſtica, ac contempta Pontificia noſtra à Deo conſtituta poteſtas celeri à Nobis ope, opportuniſque mediis farciri quamprimùm expoſcerent, hæ noſtræ ad Te literæ eiſdem, quibus anteà, paterni noſtri amoris ſignificationibus refertæ, ac inſcriptæ perferantur; quaſi verò in tantâ Dignitatis noſtræ, & Eccleſiæ injuriâ ſenſus, ac dolor noſter tam levis ſit, ut animo ſin minùs æquo, non admodùm tamen commoto, nec quantum rei gravitas poſtulat, ſolicito à Nobis perferri poſſit. Verùm exiſtimare omninò debes, Chariſſime Fili Noſter, cor noſtrum eſſe ita, ut decet, affectum, tantâque amaritudine repleri, atque in expendendis, ac verſandis iis, quæ Muneri noſtro hac occaſione incumbunt, uſque adeò occupari, ut ſatis verbis explicare nequeamus, quàm graviter ob hæc ipſa, intimèque excruciemur. Nihilominùs in tanto animi noſtri motu, & zeli, quo pro Domo Dei exardeſcimus, æſtu, hoc demum evicit vis, ac magnitudo noſtræ in Te charitatis, ut nihil eorum, quæ ad tollendum hoc ſcandalum, apud Hiſpanam Religioſiſſimam gentem à ſeculis inauditum, opportuna forent, aggredi cogitemus, prius quàm Te paternis officiis adeamus, & monitis noſtris amantiſſimè hortemur, quin & in Nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, cujus vices in Terris, licèt immeriti, gerimus, obſecremus, atque obteſtemur, ut ea ſtatim revocare, atque abolere Regio, ac verè catholico animo velis, quæ non tam contra libertatem, & Jura Sanctæ Dei Eccleſiæ, quàm contra commodum, & ſpirituale bonum ſubjectorum Tibi Fidelium, tuo quidem nomine, ſed reluctante, ut credimus, animi tui pietate, ac æquitate, non ita pridem in iſto Regno decreta, atque præſcripta fuerunt. Nos enim nullo modo in animum noſtrum inducere poſſumus, ut exiſtimemus, Te Regem præſtantiſſimæ indolis, & egregiè, ac præclarè inſtitutum, qui ob inſignem erga Deum Religionem, debitumque erga Sanctam Romanam Eccleſiam cultum, nec non ob filialem in Nos, & in Apoſtolicam Sedem reverentiam, ſummas laudes vel ab ipſo Regni tui exordio es aſſequutus, non moleſtiſſimè tuliſſe, quòd adactum Te, impulſumque, ac penè pertractum videris ad edenda hujuſmodi Decreta, ac Mandata eorum conſiliis, quibus contra æquitatem omnem, & planè perperàm, viſum fuit pertinere ad tuendam tuam Dignitatem Apoſtolicum Nuncium Sanctæ Sedis repræſentatione Venerabilem, veluti Reipublicæ hoſtem, extra Regni fines amandare, ac pulſis iis omnibus, quorum miniſterio Eccleſiaſticum illud Tribunal conſtabat, ſilentium indicere in iis cauſis, de quibus

nemi-

nemini, præter Nuncium, in tuis Regnis judicium ferre licet, ac inſuper commercium cum Alma Urbe noſtra, quæ & veræ Religionis Sedes, & communis omnium, ac præſertim Catholicorum Patria eſt, interdicere, atque alia multa ſatis, ſuperque nota in detrimentum, & everſionem ſpiritualis Juris, ac Poteſtatis directè, vel indirectè tendentia decernere, ac palàm præcipere. Porrò hi, qui hujuſmodi deliberationum ſuſcipiendarum Authores Tibi extiterunt, parùm certè tranquillitati tuæ conſcientiæ, parùm tuæ famæ integritati, proſpexerunt, adeòque multùm debitæ Tibi ab ipſis fidei defuerunt. Sed utinam, Chariſſime Fili Noſter, non verò nimis intelligas, quàm obfuturum ſit tui nominis gloriæ apud eos omnes, qui rectè ſentiunt, imò etiam apud conſecuturas ætates, ſi in Regnum iſtud, Romanæ Eccleſiæ, & Pontificio Nomini conſtantiſſimè ſemper addictum, nunc primùm Te regnante contigerit induci exemplum, per quod à debita utrique reverentiâ receſſum fuiſſe videatur. Verùm famæ periculum longè levius eſt, quàm animæ, à quo profectò immunis eſſe non poteſt, qui humanis rationibus plus nimio tribuens, quæ Eccleſiaſtici juris ſunt, & tanquam Dei præcipua, ejuſque patrocinio tecta, eoque ſanctiùs veneranda parvipendere non veretur. Quamobrèm tuum eſt, ò Rex, auferre ſcandalum de medio Populi, & Sacroſanctam Dei Eccleſiam priſtinæ Dignitati, & ſplendori, reſciſſis actis in contrarium editis, revocatoque ea, qua par eſt, honoris ſignificatione Apoſtolico Nuncio, quamprimùm reſtituere, atque ita conſtantem hujus Apoſtolicæ Sedis Matris tuæ amantiſſimæ benevolentiam, quam novis etiam, quod & anteà abundè fecimus, argumentis, comprobare parati ſumus, ampliùs promereri. Hæc ſanè, ubi Majeſtas Tua juſtitiæ, ac religionis dictamini obſecuta peregerit, viam Nobis expediet illicò admittendi præſentationes per Te factas ad Toletanam, aliaſque vacantes Eccleſias, atque eiſdem providendi de Perſonis tuo nomine præſentatis: id quod Nos ipſi in primis cupimus, tum ut noſtrum teſtemur deſiderium annuendi votis tuis, tum ut proſpiciamus ſpirituali bono animarum illarum, quæ interim Paſtoris ſolatio deſtitutæ reperiuntur, quo quidem nomine gravis prætermodum, ac inexplicabilis eſt moleſtia, qua afficimur, coacti nunc differre admiſſiones earumdem præſentationum quouſque noſtra, & Eccleſiç jura congruis mediis ſarcita fuerint. Deum interim Optimum Maximum ex animo rogamus, ut ope cœleſtis gratiæ, quam his potiſſimùm ſtudiis Tibi, Regiçque Familiç, atque univerſis Regnis, populiſque tuis maximè conciliabis, votorum tuorum compos evadas, veramque, ac ſolidam felicitatem conſequaris, cujus Nos auſpicium Tibi eſſe cupimus Apoſtolicam Benedictionem, quam Majeſtati Tuç amantiſsimè impertimur. Datum Romç &c. die vigeſimâ ſecundâ Februarii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

AR-

ARGUMENTUM

Cardinalem de Tournon duriùs in Sinis habitum amantiſſimè conſolatur, certioremque facit de mediis, quibus priſtinam illi ſecuritatem, ac libertatem reſtituere enixè contendit, ac demum ad tolerandas æquo, fortique animo pro Dei causâ ei illatas injurias paternè adhortatur.

Dilecto Filio Noſtro, Carolo Thomæ S. R. E. Presbytero Cardinali de Tournon.

CLEMENS P.P. X.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem &c. Non deeſſent Tibi profectò aſſidua Pontificiæ noſtræ benevolentiæ teſtimonia, neque inter anguſtias, quas perfers, ea ſolatia, quæ à charitate noſtra eximiæ, ac invictæ tuæ virtuti omni jure debentur, ſi quoties cogitationes, curaſque noſtras ad Te convertimus, toties eas Tibi per literas ſignificandi modus, ac occaſio Nobis ſuppeteret: adeò conſtans, ac firma eſt in animo noſtro ſolicitudo, qua pro Te afficimur, perpendentes, quàm dura, & ardua, & quàm ob cauſam Tibi nil tale merito ſint hoc tempore perferenda; quoniam verò immanis, qua ab invicem disjungimur, locorum diſtantia in cauſa eſt, ut animi noſtri ſenſus rarò nimis Tibi enunciare valeamus, malumus uti in præſens hac qualicumque oblatâ Nobis opportunitate ſcribendi, quàm eam irritam dimittere, ut hoc ſaltem amoris noſtri indicio, ſi has noſtras ad Te perferri contigerit, recreeris. Quamquàm ea eſt nedum apud Nos, ſed apud univerſam Eccleſiam tuorum meritorum præſtantia, ut nullo modo ambigere poſſis, quin Nos præcipuâ Dilectione Te pro Dei causâ tam ſtrenuè laborantem complectamur. Et ſanè auſpiciatiſſimi illi Nobis dies ſunt, quibus de Te aliquid ad Nos ex iſtis remotiſſimis Partibus affertur, ubi præſertim Te ſoſpitem eſſe, quod maximè optamus, audimus; tum verò cumulus accedit lætitiæ noſtræ, cum intelligimus Te inter tot tribulationum æſtus animo nihil commotum eodem quærendæ Dei gloriæ, & aſſerendæ veritatis deſiderio, quo plenum iſtud difficultatis, ac periculi, ſed ingentis meriti, opus ab initio ſuſcepiſti, adhuc magis intimè incendi, ac fretum ope cœleſtis præſidii nullis incommodis, utcumque graviſſimis, abſterreri, quominùs Miniſterium tuum impleas, ut aſſequaris coronam, quæ legitimè certantibus promittitur. Neque tamen exiſtimes charitatem erga Te noſtram iis terminis circumſcribi, ut quodam tantùm animi conſenſu participes eorum efficiamur, quæ agis, ac perfers, nec curas interim noſtras ulteriùs provehamus: non enim ullo modo prætermittimus adhibere congrua media, & ſedula officia, ac monita, quæ ad parandam, ac reddendam Tibi quantocitius ſecuritatem, ac libertatem profutura eſſe arbitramur; videmus enim, quanti noſtra interſit, ne Pontificii nominis, & Apoſtolicæ Sedis dignitas, & authoritas in Te contemnatur, & ne pro zelo, quo ad promovendam cum animarum ſalute integritatem, ac puritatem Chriſtianæ Fidei, debitæque executioni demandanda Apoſtolicæ Sedis decreta, extremas uſque Orbis partes adire non dubitaſti, tam indignam Tibi illi homines, qui minimè omnium deberent, mercedem rependant. Deus qui ſuſtinentes ſe non deſtituit, confirmet, ac adaugeat in Te ſpiritum fortitudinis, Teque ſuâ gratiâ, & ope communiat; quod Nos ab Eo junctis Nobiſcum Fidelium

pre-

Digitized by Google

precibus indeſinenter expoſcimus. Et Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ octavâ Februarii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Cùm Rex Poloniæ locum in Civitate Lipſiæ Catholicis conceſſiſſet, ubi Eccleſiam conſtruere, divinisque rebus liberè vacare poſſent, ac hujuſmodi opus promovendi curam Principi Egoni de Furſtenberg demandaſſet: Pontifex eumdem Principem urget ad operam ſuam in eo negotio ita ponendam, ut Eccleſia quamprimùm perficiatur, & alia etiam non minoris momenti, quæ Rex pollicitus fuerat, actu quantociùs compleantur.

Dilecto Filio, Nobili Viro Principi Egoni de Furſtenberg.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Ubi audivimus Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Auguſtum Poloniæ Regem ad preces Dilecti Filii Annibalis Albani noſtri ex germano Fratre ſecundùm carnem Nepotis Dreſdæ eo tempore agentis decreviſſe concedere locum aliquem in Civitate Lipſiæ Catholicis ibi degentibus, vel eò identidem commeantibus, quatenùs conſtruere poſſent Eccleſiam, in quâ Divinis rebus, cum res expoſceret, liberum ipſis eſſet vacare: non parùm gaudii percepimus expenſo ſpirituali ſolatio, quod parabatur illis Fidelibus, & majori lucro, quod indè Nobis pollicebamur. Cùm verò intelleximus ejus operis promovendi curam ab ipſo Rege demandatam fuiſſe Nobilitati Tuæ, in certam ſpem venimus conceſſionem ejuſmodi vacuam effectu non fore, nam quia ſcimus Te ſingulari prudentiâ præſtare, eſſeque magno zelo incenſum pro Catholicâ Religione, confidimus Te in removendis difficultatibus, ſi quæ fortè oboriri poſſent, ac in expediendis, accelerandiſque modis, quibus conſtitutum opus perfici valeat, operam, ac diligentiam tuam præclarè poſiturum. Etſi autem in re pietatem, & Dei cultum reſpiciente ſtimulis Tibi opus eſſe non arbitremur, perſpectum tamen Tibi eſſe volumus, pergratum Nobis fore quidquid ſtudii impenderis, ut tum hoc bonum, tum alia non ſanè minoris momenti, ad quæ Rex agenda fidem ſuam Nobis, & eidem Nepoti noſtro obſtrinxit, actu quamprimum compleantur; dum Nos interim Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſimâ octavâ Februarii 1710. &c.

ARGUMENTUM

Obedientiam Epiſcopi Ilerdenſis, qui Eccleſiæ Abulenſis regimen ſibi à ſeculari poteſtate perperàm demandatum, ſtatim ac ad ipſum Pontificia monita, & mandata perlata fuerant, promptè dimiſerat, egregiè commendat, eumque hortatur, ut ad removenda ſcandala in illis Partibus exorta, & ad ſarciendas injurias dignitati, ac authoritati Eccleſiæ illatas diligenter incumbere non prætermittat.

Venerabili Fratri, Franciſco Epiſcopo Ilerdenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Ubi Nobis innotuit Apoſtolica noſtra monita, atque mandata à Fraternitate Tuâ ità excepta fuiſſe, ut ſtatim dimiſeris regimen, ac gubernium Eccleſiæ Abulenſis, quòd Tibi non minùs nulliter, quàm perperàm demandatum fuiſſe Nos pro Jure, ac munere noſtro literis deſuper die vigeſimâ quartâ Auguſti Anni proximè elapſi expeditis declaravimus, debitas in Domino laudes Tibi deferre non omiſimus, propter eà quòd authoritati noſtræ eâ, quâ par erat, animi alacritate obſecutus fuiſſes, ac religioni, nec immeritò Tibi duxiſſes id proſequi, quod Eccleſiæ inſtitutis, ac diſciplinæ, tam manifeſtè adverſaretur. Ne verò Te lateat quàm promeritus fueris animum noſtrum hac tuâ præſtanti voluntate, has noſtras ad Te dare voluimus, ut ſint Tibi perpetuum Pontificiæ noſtræ in Te charitatis teſtimonium, atque indè addantur Tibi ſtimuli, ut ea etiam aggrediaris, quæ tuo muneri, ac zelo hoc tempore maximè conveniunt. Confidimus ſiquidem non parùm profuturam eſſe ſpectatam tuam virtutem, atque prudentiam ad removenda publica, ac nota nimis ſcandala in iſtis Partibus non ità pridem exorta, & ad promovenda congrua media, quibus ſarciantur quamprimùm injuriæ utique graves dignitati, atque authoritati Eccleſiæ contra jus, ac fas omne, ac præter omnem expectationem illatæ. Conſtat enim Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici æquum, ac religioſum animum, rectamque mentem extrà fines ingenitæ ſuæ pietatis eductam fuiſſe, cum ea paulò ante conſtituit, quæ minimè conſentiunt cum ceteris eximiis ipſius laudibus, ac cum filiali devotione, quam Nobis, & Apoſtolicæ Sedi non ſemel profeſſus ſemper anteà exhibuit. Quòd ſi ſalutaribus tuis conſiliis id egeris, ut feriò Rex advertat, quàm ſua interſit revocare quamprimùm acta, per quæ recedendo à priſtinâ ſuâ conſuetudine videri voluit alieno à Nobis eſſe animo, decrevitque plura, quæ res ſacras, & Eccleſiaſticas in iſtis Regnis magnoperè perturbant, ſingulare ſpecimen tuæ in eum fidei exhibueris, ut qui ejus ſaluti, ac famæ, ac Fidelium iſtorum tranquillitati proſpexeris, nec deerit Tibi propter hæc charitatis officia meritum apud Deum, cujus cauſa agitur, nec uberior apud Nos gratia, qui magnâ de his rebus ſolicitudine afficimur: quod ut Tibi feliciter contingat, Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die ſeptimâ Martii 1710. &c.

AR-

ARGUMENTUM

Inquiſitoris Generalis Hiſpaniarum zelum rurſus excitat ad cavendum, ne ſacri Codices fraude Hæreticorum corrupti, Typiſque Londinenſibus Americano idiomate excuſi, ad illas novi Orbis partes deferantur, neve delati in animarum detrimentum illic evulgentur; plura deindè ſubdit de aliis negotiis, de quibus idem Inquiſitor ad Sanctitatem Suam perſcripſerat.

Venerabili Fratri, Antonio Archiepiſcopo Cæſarauguſtano, Inquiſitori Generali Hiſpaniarum.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Binas Fraternitatis Tuæ literas uno, eodemque tempore accepimus, nihilque addendum Nobis occurrit circa illas, quas referunt, diligentias à Te habitas ad cavendum, ne Sacri Codices fraude Acatholicorum corrupti, & in Americanum Idioma translati, Typiſque Londinenſibus excuſi, ad illas novi Orbis partes in detrimentum animarum deferantur, nevè eò fortè delati, ibi evulgentur, cum ſatis intelligamus ex his, quæ ſcribis, Te ſedulam eâ in re operam, accito etiam Regiæ authoritatis præſidio, poſuiſſe; non tamen prætermittimus Te iterum hortari, ne laudabilem hunc zelum in avertendo hujuſmodi periculo ullo unquam tempore remittas. Quod verò attinet ad alteram tuam Epiſtolam, atque ad documenta eidem adjuncta, quæ pariter ad noſtras manus integra pervenerunt, ſcire Te oportet indictum ſtatim, inſtitutumque à Nobis fuiſſe accuratiſſimum rei utique gravis, de quâ agitur, examen, ut ritè expenſis omnibus Nos, cum primùm fieri poterit, eas deliberationes ſuſcipiamus, quas in Domino magis expedire dijudicabimus. Interim verò ex eiſdem documentis vel primo obtutu oblata eſt Nobis occaſio intimè dolendi, quòd qui propter ſublimem, quem obtinet in Eccleſiâ, gradum, veritatis, & ſanæ doctrinæ aliis ſe Magiſtrum præbere deberet, is luctuoſis errorum laqueis miſerè involutus reperiatur. Atque ex his, atque aliis, quæ priùs inaudita iſthic modò contingunt, credimus Fraternitatem Tuam Nobiſcum animadvertere quàm oporteat hoc tempore ferventibus, ſi umquam aliàs, precibus à Deo expetere, ut rebus iſtis ineffabili ſuâ miſericordiâ propitiari velit, & quàm æquum, & neceſſarium ſit finem nunc tandem iis rebus imponi, quibus Dei ira provocatur, cujuſmodi certè ſunt ſatis, ſuperque notæ injuriæ, ac gravamina Eccleſiæ, ejuſque authoritati in iſtis Regnis publicè illatæ, quibus congruâ reparatione, non ſine Fidelium ſcandalo, nondum occurritur. Quorum quidem malorum etſi culpa in illos recidat, qui eorum authores, aut quoquomodo fautores extiterunt, ab hac tamen immunes eſſe nequeunt ii, ſi qui ſunt, qui operam ſuam ad ea mala avertenda, aut removenda, eum poſſint, conferre negligunt. Quamobrèm Nos quacumque arreptâ occaſione iſthuc ſcribendi non deſiſtimus hortari illos præſertim, qui in partem ſolicitudinis noſtræ vocati ſunt, ut curent ſalutaribus monitis, atque conſiliis opportunè adhibitis, Jura Eccleſiæ in priſtinum locum reſtitui, ſi ſpirituali Populorum bono, Regnique iſtius tranquillitati, quemadmodùm debent, conſulere, atque proſpicere cupiunt. Quod quidem officium apud Te prolixiùs modò proſequeremur, niſi conſideremus Te ad eas partes explendas, quæ non uno nomine Tibi

incumbunt, eſſe tuâ ſponte, tuoque zelo, ita ut decet, animatum. Fraternitati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 8. Martii 1710. &c.

ARGUMENTUM

Purgationem Epiſcopi Monaſterienſis de iis, quæ ad Pontificem in negotio Colonienſi delata fuerant, admittit, ac ipſum hortatur ad efficiendum authoritate, conſilioque ſuo, ut ea controverſia, quæ multis ſcandalis anſam præbuerat, prorsùs ceſſet, ac perpetuo ſilentio, & oblivione deleatur.

Venerabili Fratri, Franciſco Arnoldo Epiſcopo Monaſterienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Neque ſolicitudini noſtræ, neque ſingulari amori, quo proſequimur Fraternitatem Tuam, conſentaneum eſſe videbatur, ut Tibi reticeremus ea, quæ in detrimentum tui Nominis iſthic evulgari audiebamus, tamquàm ſi in negotio Colonienſi zelo tuo defuiſſes, & Catholicis minùs, quàm ipſi à Te jure ſperare poterant, faviſſes, ſed imò muneris, & charitatis in Te noſtræ eſſe duximus Te de his omnibus per literas noſtras monitum facere, tum quò poſſes ad redimendam tuam famam ità mentem, animumque eâ in re tuum explicare, ut occaſionem omnem interpretandi in deterius tua ſtudia præcideres, tum ut modum Nobis præberes, quo hujuſmodi voces nimiùm invaleſcentes certis, ſolidiſque argumentis obtundere valeremus. Et ſanè rationes, quas in tuo ad Nos reſponſo attuliſti, ejuſmodi ſunt, ut nedùm apud Nos, qui parùm fidei his, quæ adverſum Te ferebantur, adhibuimus, ſed apud quoſcumque æquos rerum eſtimatores Te ab hac cenſurâ facilè eximere poſſint. Verùm quia illi, qui in Eccleſiâ præſunt, ità conſtituti ſunt, ut debitores ſint ſapientibus, & inſipientibus, tuum omninò eſt omni ſtudio, ac diligentiâ curare, imò etiam conſilio, & authoritate, quâ uſque adeò præſtas, efficere, ut ea controverſia, quæ tot animorum motus civit, & ſcandalis cauſam præbuit, prorsùs ceſſet, ac perpetuo ſilentio, & oblivione deleatur. Gloriæ Tibi vertetur viciſſe in bono malum, & multùm laudis indè retuliſſe, unde Tibi immeritò tanta conflabatur invidia. Nos interim felicitatis auſpicem Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 15. Martii 1710. &c.

ARGUMENTUM

Patriarcham Armenorum hortatu r ad amplectendam Catholicam Fidem, à quâ in aliquibus diſſentiebat, eumque in finem illi mittit Formulam typis impreſſam ejuſdem Fidei Articulos continentem, ut ipſi ſuam ſubſcriptionem non tam calamo, quàm corde exaratam adjiciat, ac eamdem ſic ſubſignatam ad Pontificem remittat. Eum deinde excitat ad Orthodoxæ Religionis cultum unà cum Miſſionariis in illis partibus omni ſtudio fovendum, ac promovendum.

Venerabili Fratri, Alexandro totius Nationis Armenorum Patriarchæ.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Magnâ charitate perlegimus Fraternitatis Tuæ literas, in quibus, præter diſertam, ac officioſam tuæ in Nos voluntatis explicationem, viſum eſt Nobis elucere cum peculiari tuo ſtudio erga Chriſtianam Religionem laudabile quoddam propoſitum ſcrutandæ, ac inquirendæ veritatis ex ſacris Scripturis, & Patrum teſtimoniis, ex quibus certè fontibus, ſi modò incorrupti ſint, elici ea maximè poteſt. Gratum itaque habuimus hoc non vulgare ſpecimen tuæ bonæ mentis, & quia compertum Nobis eſt, quo loco ſis, & quanto in honore habearis apud inclytam Armenorum Nationem, flagravit cor noſtrum deſiderio demerendi animum tuum, adjectâ etiam ſpe, quòd Tu exploratâ demùm veritate particeps futurus ſolicitudinis noſtræ in promovendâ æternâ tuorum ſalute, & quòd curaturus ſis deducere oves, quæ Te ſequuntur, ad Chriſti Ovile per tutam illam ſemitam, extra quam, qui incedit, prorsùs aberrat, quatenùs ipſæ Tecum per veram Fidem ad Divinam gratiam, & per hanc ad perennem in Cœlis gloriam conſcendant. Illud etiam jucundum Nobis fuit ex eiſdem tuis literis intelligere, quòd ſupremam hanc Sancti Petri Apoſtolorum Principis Cathedram reverearis, exemplo præclari Antiſtitis Anteceſſoris tui Divi Gregorii Illuminatoris, quem tamen ſi verè æmulari cupis, quemadmodùm Te cupere credimus, oportet ut illam ipſam Catholicam Fidem recipias, quam tenet Sancta Romana Eccleſia, omnium per Univerſum Orbem Eccleſiarum vera, & unica Mater, ac Magiſtra. Nam etſi iſta, quæ Tibi, tanquàm Patriarchæ obſequitur, Armenorum Natio Chriſtianam Fidem profitcatur, & ejuſdem Fidei, pleraque myſteria agnoſcat, veramque Doctrinam in pluribus recipiat, ab illâ tamen integrâ, & illibatâ Fidei regulâ, quam ab ipſo Eccleſiæ naſcentis exordio Sancti Patres, atque Doctores firmiter tenuerunt, lapſu temporum ſenſim deflexit, & in quibuſdam articulis diſſenſit, & actu modò diſſentit: quod ſine ſummo animi noſtri dolore commemorare non poſſumus, ob maximum Animarum Chriſti Sanguine redemptarum detrimentum, omnimodamque perniciem, quæ indè in dies contingit. Certum eſt enim, quòd ſine verâ, ac purâ Fide impoſſibile eſt placere Deo; non eſt autem vera, & pura Fides, quæ ex parte aliquâ contradicit, cùm ſcriptum ſit, quòd qui in uno offendit, factus eſt omnium reus; ſi itaque Deus noſtris, & Fidelium precibus exoratus tam miſericorditer tecum egerit, ut conſtituas, abrupto diviſionis laqueo, confirmare omninò Te ipſum, Tuoſque in cultu Fidei huic Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac ita, ut oportet, agnoſcere Caput, &

Paſtorem Univerſalem omnium Fidelium, Romanum ſcilicet Pontificem, Chriſti Vicarium, ac Succeſſorem Sancti Petri, cui dictum fuit: *Paſce Oves meas*: Nos magnâ in Domino lætitiâ perfuſi Te, & eos omnes, qui tecum ita ſentient, Paterno corde complectemur. Ut autem Tibi pateat via, quâ benedicente Domino id demùm perficere poſſis, adjungimus his noſtris Formulam typis impreſſam, in quâ Sanctæ, ac Catholicæ Fidei Articuli continentur, quæ non alia eſt ab eâ, quam Sanctus Petrus, & Apoſtoli docuerunt, & Romana Eccleſia Fidelibus omnibus ſervandam uſque ab initio propoſuit. Hortamur autem Te, & ſummâ charitate obteſtamur, ut ſi tuam, tuorumque ſalutem amas, ac feriò quæris, ne cuncteris tuam ſubſcriptionem, non tam quidem calamo, quàm corde exaratam huic Formulæ adjicere, utque eamdem ſic ſubſignatam ad Nos ſtatim remittas, atque ut deinceps veritatis in eâ contentæ Præco, ac Magiſter Populis iſtis eſſe velis; quo in ſtudio operam Tibi ſuam libenter adjungent Miſſionarii, & quidem eâ, quâ par eſt, humilitate, omnique erga Te reverentiâ; compertum eſt enim ipſis optari à Nobis, ut Catholicæ Religionis cultus in iſtis partibus, nullâ tuæ Dignitatis imminutione, augeatur. Ceterùm grato, libentique animo audivimus à Dilecto Filio Religioſo Viro Jacobo Villot è Societate Jeſu, qui cum Oratore Chriſtianiſſimi Regis iſthinc pridem diſceſſit, Te non prætermiſiſſe authoritate tuâ confovere mutuum amorem inter Armenos, & Miſſionarios Europæ, ob quæ officia plurimùm Tibi debemus, Deumque multò vehementius precamur, ut quod in Te cœpit, perficiat, & ſuper Caput tuum gratiæ ſuæ dona liberaliter diffundat, quâ ſpe Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decimâ quintâ Martii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Quòd nedum authoritate, verùm etiam inſigni liberalitate, promovere decreverit conſtructionem Eccleſiæ Catholicorum uſui in Civitate Hannoveranâ, Imperatori ex animo gratulatur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joſepho Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, in Romanorum Imperatorem Electo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Gratius nihil accidere poterat, nihilque jucundius Nobis valdè ſolicitis, ne amitteretur oblata nuper occaſio conſtruendi Catholicorum commodo Eccleſiam in Civitate Hannoveræ, quàm admoneri à Venerabili Fratre Julio Archiepiſcopo Nazareno Nuncio iſthìc noſtro Majeſtatem Tuam conſtituiſſe nedum ſuâ authoritate inſtituto operi adeſſe, ſed illud etiam inſigni liberalitate promovere. Gratulamur itaque Tibi ex animo, quòd tam piè magnificus eſſe velis in re, ex quâ magnum incrementum, Deo propitiante, habitura eſt Catholica Religio, & quòd ſuſceptâ ſacrarum rerum tutelâ, & explicato ſingulari zelo pro Divini honoris amplificatione, præcipuam tuo nomini lau-

dem

dem comparaveris. Cum verò animum noſtrum hoc illuſtri tuæ eximiæ pietatis documento mirum in modum obſtrinxeris, æquum eſſe duximus teſtari Tibi cum gratâ voluntate magnitudinem noſtræ in Te charitatis, ac benevolentiæ, quæ hoc etiam nomine aucta non omittet umquam, ubi facultas erit, obſecundare votis, ac deſideriis Majeſtatis Tuæ, cui in auſpicium ſalutis, ac felicitatis, Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 29. Martii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Antonio Ulrico Duci Brunſvvicenſi, & Luneburgenſi, quòd ejuratâ hæreſi Catholicam Religionem amplexus fuerit, rurſus amantiſſimè gratulatur, eumque, ut publicam reddat emiſſam Fidei profeſſionem, hortatur ad exemplum ceterorum à veritatis ſemitâ aberrantium, & Fidelium ædificationem, Ipſi demum Pontificium patrocinium effusè pollicetur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Antonio Ulrico, Duci Brunſvvicenſi, & Luneburgenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Innotuiſſe credimus Nobilitati Tuæ uberrimi gaudii argumentum Nobis fuiſſe conſilium à Te, Deo miſericorditer afflante, ſuſceptum ejurandi hæreſim, ac amplectendi Catholicam Religionem; ſtatim enim intelleximus, quanti pretii lucrum foret, quòd Princeps tanti nominis, & tam excelſæ, ac eruditæ mentis in Sanctæ Romanæ Eccleſiæ amantiſſimæ Matris gremium confugiſſet, agnitamque ſuperno lumine veritatem ſyncero corde recepiſſet, undè meritò ſperandum erat tuum hoc illuſtre exemplum multis ad quærendam, inveniendamque æternam ſalutem, & ad afferenda Orthodoxæ Fidei majora incrementa eſſe maximè profuturum. Invaluit verò in corde noſtro hoc ipſum gaudium, ubi Dilecti Filii Lodulphi Guilielmi Majus teſtimonio, ac vivâ voce cognovimus Te ſanctum hoc propoſitum ſummâ conſtantiâ tueri, atque in eo magnâ animi tui hilaritate, atque tranquillitate perſtare, ut jam liceat ſupernæ gratiæ Tecum ſuaviter agentis fructum, ac beneficium agnoſcere. Verùm decet omninò, imò verò oportet, ut qui drachmam, quam amiſerat, invenit, lætitiam ſuam non intra ſe tantùm concludat, ſed palàm proferat, & cum domeſticis exteros in conſortium ſuæ gratulationis convocet, & adſciſcat; quod ut præſtet, induere debet grandem illam charitatem, quæ excluſo foris timore, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, ut hac fretus Dei in ſe munus omnibus enunciet, & ſpectaculum Angelis, & hominibus gratum de ſe exhibeat. Quamobrèm, ut perficiatur, quod in Te cœptum eſt, nihil jam ſupereſt, niſi ut Catholicæ Fidei Profeſſionem, quam emiſiſti, publicam reddas, quatenùs illi, qui errant à Fide, ad ineundam ſalutis viam tuo exemplo commoneantur: Fideles verò ædificentur, & Deus bonorum omnium Author glorificetur. Confidere autem debes, quòd ad declinandas omnes inſidias, aut incommoda, quæ adversùs Te propterea excitari poſſent, nun-

quam

quam Tibi Pontificia noſtra deerit authoritas, quemadmodùm pluribus explicavimus eidem Dilecto Filio Lodulpho Guilielmo Majus. Interim verò in auſpicium bonorum omnium, Apoſtolicam Benedictionem ex intimo cordis depromptam Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decimâ ſecundâ Aprilis 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Poloniæ Archiepiſcopos, & Epiſcopos hortatur, ut Ruthenos unitos, ac eos præſertim, qui Epiſcopali charactere inſigniti ſunt, benignè fovere, & ab inſidiis Schiſmaticorum ſtrenuè tueri velint.

Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabiles Fratres, ſalutem &c. Incumbit Sanctæ Matri Eccleſiæ (quæ ſine diſpendio integritatis, ac unitatis circumamicta eſt varietate) amanter illos potiſſimùm Filios confovere, qui etſi fortè à ceteris Catholicis ritu diſpares, cum eiſdem tamen in veræ Fidei cultu, ac diſciplinâ conſentientes, ipſam, uti veritatis certam, unicamque Magiſtram, agnoſcunt. Quamobrèm Apoſtolici noſtri muneris eſſe ducimus hortari, ac commonere Fraternitates Veſtras ad impendenda alacriter ſynceræ, ac fraternæ charitatis officia Ruthenis unitis, atque inter eos illis præſertim, qui Epiſcopali Ordine decorantur, quatenùs hi omnes præſidio veſtro freti ab invidiâ, atque inſidiis Schiſmaticorum, quibus initâ jamdudum per eos Vobiſcum, & cum ceteris Catholicis concordiâ, ac ſancta, ut vocant, Unio ſummoperè inviſa eſt, Deo propitiante, exlmantur. Hoc certè ſtudium tam commendatum Vobis eſſe debet, quàm ſanè intereſt, ut illi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſemper magis adhæreant, & orthodoxæ veritatis incolumitatem, & incrementum curent, ac longè, latèque promoveant. Gratum autem Nobis prætermodum erit aſſequi novum hoc eximiæ pietatis, ac præſtantis zeli argumentum à Fraternitatibus Veſtris, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ Maii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Ordini Senatorio Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. De præſtanti fide, ac zelo Nobilitatum Veſtrarum multùm Nobis, & jure quidem meritò pollicemur, dum à Vobis pro munere noſtro ſedulò petimus, ut præſidio, ac authoritate veſtrâ, ubi occaſio tulerit, tueri curetis Ruthenos unitos, quos ſicut Sancta Romana Eccleſia, utpotè in veræ Fidei cultu cum ceteris Latini Ritus Catholicis conſentientes, tamquam filios, ſuo ſinu amanter excipit, ita Schiſmatici hoc ipſo nomine averſantur, ac inſequuntur. Quod itaque ad veſtram virtutem magnoperè pertinet, eos adversùs quaſcumque inſidias, atque moleſtias ſtrenuè aſſerere, hoc ſi alacri voluntate præſtiteritis, charitatem noſtram Vobis uſque magis conciliabitis, & veſtrum in Sanctam Matrem Eccleſiam meritum uberiùs cumulabitis. Dum verò ab Authore bonorum omnium Vobis ex animo precamur, ut Vobis, rebuſque veſtris propitietur, & tranquillitatem, ac felicitatem unà cum ſpiritualium munerum incremento Vobis elargiatur, Apoſtolicam Benedictionem Nobilitatibus Veſtris peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decimâ Maii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilectis Filiis, Ordini Equeſtri Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Quærimus gloriæ, ac meriti veſtri incrementa, dum pro jure, ac munere noſtro enixè commendamus tutelæ veſtrę Ruthenos unitos, qui ſcilicet cum Catholicis Latini Ritus unam, eamdemque Matrem, ac Magiſtram veritatis Sanctam Romanam Eccleſiam agnoſcunt, eidemque adhærent per ſacrum illud Fœdus, quod Sancta Unio vulgò indigitatur. Æquum ſanè eſt, ut illi nedum mutuæ charitatis officia à Vobis referant, ſed ut ope veſtrâ communiantur adversùs Schiſmaticos, qui ob illum ipſum, qui Vobis communis eſt, Catholicæ Fidei cultum eos, ut fertur, magnoperè inſectantur. Argumentum itaque Filialis veſtræ obſervantiæ, imò Fidei, ac pietatis veſtræ exhibite, & zelum veſtrum pro hac causâ, ſi ita res tulerit, ſtrenuè explicate; dum Nos in felicitatis auſpicium Apoſtolicam Vobis, Dilecti Filii, Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decimâ Maii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Cardinalem Pignatellum Archiepiſcopum Neapolitanum laudat, quòd manifeſta Divinæ indignationis ſigna publicis indictis precibus avertere, ac ultionum Dominum propitiare contendat. Eum deindè ſeriò monet, ut temporis occaſione utatur ad palàm denunciandum, quàm graviter illic peccatum fuerit adversùs Eccleſiam, adversùs Sacerdotalem Ordinem, adversùs B. Petri Cathedram, imò adversùs ipſum Deum, & graviſſima exorta ſcandala è medio tolli quamprimùm enixè curet.

Dilecto Filio Noſtro, Franciſco Tituli Sanctorum Petri, & Marcellini Presbytero, S. R. E. Cardinali Pignatello nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Parùm quidem ſoliciti videremur de ſpirituali, ac temporali Fidelium iſtorum ſalute, ſi eos Paternæ noſtræ charitatis officiis, ac Paſtoralibus monitis deſtitueremus hoc tempore, quo, ſi unquam aliàs, metuendum ipſis exiſtimamus, dum ſcilicet ad augendum præſentium malorum cumulum non obſcura graviorum calamitatum, quæ imminent, indicia, ac ſatis manifeſta, imò propè certa appropinquantis Dei iræ ſigna iſthìc conſpiciuntur. Nec ambigimus, quin ſimili charitatis æſtu intimè jactetur cor tuum perculſum Gregis Tibi commiſſi periculo; imò verò perſpectum Nobis eſt, quo zelo, atque fervore per indictas publicas ſupplicationes, ac preces omnium animos in ſtudia pietatis incendere, & ad propitiandum ultionum Dominum peccatis hominum juſtè indignatum incitare curaveris. Quæ quidem pia opera & ſi rectè, ac probè à Te pro tuo munere inſtituta fuerint, ac magno totius Populi, omniumque Ordinum fervore peracta fuiſſe dicantur; nihilominùs pro tuâ in animarum regimine ſpectatâ prudentiâ credimus Te ſatis intelligere, quantùm ſpei ad avertendum venientem turbinem in his ipſis rebus conſtitui poſſit, ubi perſtent publica, ac graviſſima ſcandala, & manifeſtæ nimis injuriæ, & læſiones libertati, ac Immunitati Eccleſiæ tanto ſacrarum rerum contemptu in iſtis partibus dudum illatæ, & nondum quidem ſubmotæ, ſed magis, magiſque in dies auctæ; imò cum Divinis Oraculis moneamur, quòd pro menſurâ peccati erit plagarum modus, verendum eſt, ne ſi diutiùs hæreatur in reparandis Eccleſiæ, atque hujus Sanctę Sedis Juribus, ac ſarciendo Divino honore, ſumma flagella extremis malis in publicum exitium adhibeantur. Quamobrèm tuum eſt hac occaſione palàm proferre Apoſtolicum zelum, quo intimè incenderis, omnibuſque denunciare quàm oporteat de medio tandem tollere malorum cauſas, publicaſque offenſiones, quàm graviter iſthìc peccatum fuerit adversùs Eccleſiam, adversùs Sacerdotalem Ordinem, adversùs hanc Beati Petri Cathedram, imò adversùs ipſum Deum, quàm exigua ratio habita fuerit cenſurarum, & anathematum Sacrorum Canonum, & generalium Conciliorum, Summorumque Pontificum authoritate inflictorum; ac demùm quàm abſonum, imò quàm horrendum ſit, quòd permittatur eos publicis Magiſtratibus, atque muneribus uti, qui multos jam annos Eccleſiaſticis Cenſuris innodati reperiuntur, atque in eis inſordeſcunt, nullo quidem reſipiſcentiæ ſigno poſt gravatorias, atque reaggravatorias hactenùs edito. Porrò ſi Tibi cordi eſt,

quem-

quemadmodùm omninò eſſe ſcimus, ſpirituali bono tuarum Ovium providè, ac opportunè proſpiecere, oblatam oceaſionem eomplectere, & præmonitos Cœleſtibus ſignis ad Chriſtiana, & ſaniora conſilia ſatage revocare: dum Nos Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolieam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſeatoris die deeimâ ſeptimâ Maii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Petit à Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Albaracinenſis, quibus Nuncius Apoſtolicus in Regnis Hiſpaniarum adminiſtrationem fructuum temporalium menſæ Epiſcopalis ejuſdem Eccleſiæ, propter Epiſcopi abſentiam, Pontifice comprobante, demandaverat, accuratam relationem ſtatus ſpiritualis, & temporalis ipſius Eccleſiæ, eoſque interim, ut injunctum officium ſedulò obire curent, adhortatur.

Dilectis Filiis, Capitulo, & Canonicis Cathedralis Eccleſię Albaracinenſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Convertentes frequenter pro debito muneris noſtri curas, cogitationeſque noſtras ad iſtam non ſanè minùs, quàm ad eeteras Regni iſtius, & totius Chriſtiani Orbis Eeeleſias, ad quas omnes Pontificia noſtra ſolicitudo extenditur, recolimus, quòd Venerabilis Frater Antonius Felix Arehiepiſcopus Damaſcenus noſter in Regnis Hiſpaniarum Nuneius uſque de anno milleſimo ſeptingenteſimo octavo ad evitanda gravia pericula, ac detrimenta, quæ iſti Eceleſiæ propter receſſum, ac abſentiam ſui Paſtoris imminere poterant, opportunum eſſe duxit (avocato ad ſe priùs noſtro etiam nomine, per modum tamen proviſionis, gubernio iſtius Eccleſiæ) eommittere ſpirituale ipſius regimen Venerabili Fratri Epiſeopo Trevellenſi, uti vieiniori, ſimulque demandare adminiſtrationem fructuum temporalium iſtius menſæ Epiſcopalis Vobis Dilectis Filiis Capitulo, & Canonieis ejuſdem Eccleſiæ, prout re ipsâ commiſit, ae demandavit; Noſque hujuſmodi Decretum, tamquam in primis animarum ſaluti, atque etiam indemnitati iſtius menſæ Epiſcopalis valdè profuturum probavimus, atque confirmavimus. Etſi verò perſuaſum habeamus, quòd tum præfatus Epiſcopus Trevellenſis eâ, quâ par eſt, vigilantiâ in ſpirituali, tum Vos accuratè in temporali rerum iſtarum regimine verſati fueritis, & quòd non minori ſtudio, quamdiù res expoſeet, partes in poſterùm unuſquiſque veſtras ſedulò obituri ſitis: nihilominùs, ut Apoſtolico miniſterio, prout oportet, ſatisfaciamus, diutiùs eonquieſeere non poſſumus, ſed eertiorari omninò cupimus de præſenti ſtatu Eccleſiæ tam eirca ſpiritualia, quàm eirea temporalia, confiſi tamen eam fuiſſe, ac eſſe, foreque in poſterum diligentiam veſtram erga res Eeeleſiaſticas, ut ſi fortè aliquandò contingeret interponi aliquod impedimentum, quominùs præfatæ adminiſtrationi liberum Vobis eſſet ineumbere, Vos debitâ conſtantiâ euicumque eonatui obſiſteretis, ae profectò efficeretis, ut mandata noſtro nomine edita, noſtrâque authoritate confirmata executioni demandarentur, omiſsâ nunquam curâ, neque neglectâ obligatione commonendi Nos de omnibus, quæ adversùs ea, quæ providè in hac re con-

ſtituta fuerunt, attentarentur. Quod pro debitâ, quâ Eccleſiam iſtam reſpicimus, vigilantiâ, & pro ſingulari, quâ Vos proſequimur, charitate notum, indictumque Vobis eſſe volumus, Dilecti Filii, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 17. Maii 1710. &c.

ARGUMENTUM

Accepto ab Archiepiſcopo Moguntino S. R. I. Principe Electore documento publico ejuratæ palàm hæreſis Lutheranæ, ac ſolemniter emiſſæ à Duce Antonio Ulrico Brunſvvicenſi, & Luneburgenſi profeſſionis Catholicæ Fidei, eidem Duci gaudium explicat, quod maximum inde ſuſceperat, ac ipſum ad conſtanter perſiſtendum in ſancto propoſito vehementer hortatur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Antonio Ulrico Duci Brunſvvicenſi, & Luneburgenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Complevit prorsùs Paterni noſtri cordis lætitiam, noſtramque charitatem mirificè recreavit tranſmiſſum ad Nos à Venerabili Fratre Lothario Franciſco Archiepiſcopo Moguntino publicum documentum ejuratæ palàm à Nobilitate Tuâ Lutheranæ hæreſeos, & ſolemniter emiſſæ in manibus ejuſdem Archiepiſcopi profeſſionis Catholicæ Fidei, undè Nobis fas eſt conceptum pridem intimè uberrimum gaudium, ægrè hactenùs in præcordiis noſtris retentum, liberâ voce denunciare, & miſericordiarum Patri teſtimonium laudis, & gratiarum actionis in conſpectu Fidelium offerre. Et ſanè par erat, ut illuſtre conſilium maturâ animi deliberatione, gravique à Te, ac prudenti judicio, ſuperno autem in primis afflatu, ſuſceptum eos, qui rectè, & cum Deo ſentiunt, in conſortium felicitatis admitteret, nec jam ampliùs lateret homines plenum ædificationis ſpectaculum, quod cum Deo, & Angelis gratum, ac jucundum procul dubio ſit, potens eſt vel in ipſa beata gaudia novam exultationis materiem inferre. Vide, ut jam æterno Paſtori univerſus Grex Electorum gratuletur, quòd ille centeſimam Ovem deperditam reduxerit, reductam exceperit, exceptam humeris impoſuerit ſuo addendam Ovili, ſalutaribus ſaginandam pabulis, ac perennibus aliquandò reficiendam deliciis. Nos ſanè, qui ex ſpe in tantum gaudium venimus, ex hoc ipſo gaudio in novam ſpem progredimur, fierique poſſe credimus, quòd Te tanti nominis Principe prævio, multi, qui à veritatis ſemitâ aberrant, ſui demum periculi admoneantur, quærantque, ac Deo auſpice viam inveniant, per quam ad ſinum amantiſſimæ hujus Matris Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus, accurrant. Quod ut Tibi meritum ad cumulandam tuam mercedem juxta menſuram votorum noſtrorum addatur, induere debes grandem illam charitatem, quæ foras mittit timorem. Hac fretus conteres, ac confringes laqueos pedibus tuis interjectos, aut intericiendos, omneſque inſidias, atque conatus Adverſariorum evades, jactâ ſemper, ut ſcitè advertis, in Deum ſpe, qui confidentes in ſe non deſtituit. Ratum interim Tibi viciſſim eſſe volumus id, quod Tibi aliàs polliciti fuimus, opem, atque authoritatem noſtram Tibi numquam eſſe defuturam, Noſque Te, reſ-

que tuas eſſe ſedulò curaturos, ac perpetuò omni ſtudio, ac amore propugnaturos. Ceterùm quod attinet ad officia, quæ favore Dilecti Filii Franciſci Georgii de Schonboun ad Nos detuliſti, pro certo habere debes, quòd peculiarem eorumdem rationem, cum occaſio tulerit, habere non omittemus. Pontificiæ interim benevolentiæ teſtimonium, & felicitatis auſpicium eſſe Tibi cupimus Apoſtolicam Benedictionem, quam Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decimâ nonâ Maii 1710. &c.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopum Electorem Moguntinum, cujus potiſſimùm operâ Antonius Ulricus Dux Brunſvvicenſis, & Luneburgenſis, ejuratis hæreticæ pravitatis erroribus, Catholicæ Religionis publicam profeſſionem emiſerat, effuſis laudibus ornat.

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco, Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Quantâ animi noſtri exultatione perlegerimus Fraternitatis Tuæ literas nuncias optatiſſimi eventus, ſuſcepti ſcilicet à Dilecto Filio Nobili Viro Antonio Ulrico Duce Brunſvvicenſi, & Luneburgenſi ſalutaris conſilii ejurandi publicè Lutheranam hæreſim, amplectendique Catholicam Religionem, non eſt cur pluribus explicemus Fraternitati Tuæ, cui pro perſpectâ tuâ prudentiâ facilè erit intelligere, quali gaudio affici poſſit Pater inſpecto reditu Filii, qui in longinquas regiones, alienas prorsùs à ſemitâ veritatis, abjerat. Ingens ſanè charitatis noſtræ ſolatium fuit, cum luſtrato actu publicæ profeſſionis in tuis manibus inter Miſſarum ſolemnia ab eo emiſſæ, agnovimus liberum Nobis eſſe lætitiam noſtram palàm explicare, & exultantis noſtræ charitatis ſenſum aliis nullâ jam hæſitatione teſtari. Non ceſſamus itaque Deo totius ſalutis Authori gratias agere, qui curis noſtris multis utique, ac gravibus tantùm ſolatium dignatus eſt miſericorditer afferre. Quia verò præcipuam poſt Deum, læti, ac optati hujus eventus partem eximiæ tuæ pietati, & flagranti pro Catholicâ Religione zelo tribui oportere cognoſcimus, ipſum liberalem bonorum operum Retributorem indefinitis precibus rogamus, ut uberi præmio partum tuâ potiſſimâ operâ fructum liberali manu Tibi rependat, non omiſſuri interim, ubi facultas erit, præcipuis amoris noſtri argumentis Tibi teſtari, quàm arctè Tibi devinxeris cor noſtrum tuis piis, ac ſedulis ſtudiis in hunc ſcopum tam utiliter collatis, & Fraternitati Tuæ omnia bona ex animo precantes, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decimâ nonâ Maii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

AR-

ARGUMENTUM

Cleri diſciplinam, ac eam potiſſimùm curam, ut qui ad Ordinem Eccleſiaſticum aſſumuntur, aut ad Eccleſiaſtica Beneficia promoventur, morum integritate, & doctrinâ præfulgeant, Epiſcopo Conſtantienſi magnoperè commendat.

Venerabili Fratri, Epiſcopo Conſtantienſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Etſi Fraternitate Tuâ ad cuſtodiam creditarum ſibi Ovium tam ſedulò excubante, perſuaſum omninò habeamus, nihil iſthic omitti, quod ad veræ, & orthodoxæ Fidei, & ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ cultum retinendum,& augendum, atque ad animarum ſalutem curandam, propagandamque pertineat, quia tamen invaleſcentibus undequaque in dies antiqui hoſtis inſidiis, & ingruente in præſens per univerſas propè Chriſtiani Orbis partes hæreticâ pravitate, ſine multâ ſolicitudine eſſe non poſſumus erga eos prçſertim,quos in vicinia Hçreticorum poſitos in graviori periculo conſtitutos eſſe advertimus, muneris noſtri eſſe duximus Tibi,quamvis ſpontè, ut dicitur, currenti novos ſtimulos adjungere, quatenùs pro tuâ perſpectâ vigilantiâ, ac zelo illud in primis inter cetera cures, & agas, ut Clerus, cui præes, innocentiâ morum, & congruâ ſuo Inſtituto, & muneri doctrinâ præfulgeat, atque ut ii, qui ad hunc Ordinem aſſumuntur,aut ad Beneficia Eccleſiaſtica, etiamſi ad præſentationem Laicorum promoventur, eâ vitæ integritate, & ſcientiâ prçfulgeant, ut juſtam de ſe ipſis ſpem præbeant fore eos ornamento, & ſpirituali utilitati Eccleſiæ, cujus ſervitio devoventur. Intelliges enim quantùm referat, ne homines pietatis, ac eruditionis expertes, ſeculari tantùm favore, aut clientelâ freti, in hunc locum aſcendant, contemptum potius, quàm ædificationem Fidelibus, ſcandalum verò iis, qui foris ſunt, dubio procul, ſi hujuſmodi fuerint, allaturi. De quâ re cum ceteros Epiſcopos pro munere noſtro identidem admoneamus, ad Te ſcribere non prætermittimus, urgente iniquâ temporum conditione, ne deſimus officio noſtro, certi alioquin Te ſeduli Paſtoris partes agere, & hæc ipſa, à quibus magnâ ex parte ſalus Populorum pendet, commendatiſſima habere. Deum interim precamur, ut Tibi propitius ſit, dum Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 5. Julii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Regi Portugalliæ reſcribit prompto animo ſatisfeciſſe illius votis, conceſsâ geminâ diſpenſatione pro duplici Matrimonio à Majeſtate Suâ ſummoperè expetitâ, etſi non deeſſent, qui arbitrarentur, & Suæ Sanctitati ſuadere contenderent ejuſmodi gratias differendas eſſe, uſquequò Pontifex ea aſſequeretur, quæ juſtitiæ nomine in negotio Quindenniorum à Rege tamdiu flagitaverat, & adhuc expectabat. Deindè finem eidem negotio imponi, & quod longè gravius, atque Sanctitati Suæ longè moleſtius erat, Cardinali de Tournon priſtinam libertatem reddi, eaque ratione ſcandalum planè maximum ex Orbe univerſo, ac inſignem à Regio nomine labem tolli, vehementer poſtulat.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Joanni Portugalliæ, & Algarbiorum Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Confidimus Majeſtatem Tuam non ægrè intellecturam eſſe plurimùm apud Nos potuiſſe vim, ac magnitudinem Paternæ noſtræ in Te charitatis, ubi decrevimus annuere enixis tuis precibus per tuas literas, perque tuum Ablegatum Nobis delatis, conceſsâ demum geminâ diſpenſatione ſuper arctiſſimis ſanguinis impedimentis inter præſtantes utique iſtius Regni familias intercedentibus, quatenus duplex illud Matrimonium, quod tanto utrique compendio fore dicebatur, iniri poſſet, cum tamen urgerent in contrarium graviſſimæ difficultates, quas exemplum ſimilis diſpenſationis favore, & commodo alterius ex eiſdem Familiæ à Nobis annis elapſis indultæ adeò non minuebat, ut potiùs multò minùs congruum eſſe videretur plures hujuſmodi gratias raras prorsùs, ac ſingulares in unam, eamdemque familiam, utcumque Nobilitate inter ceteras præcipuam, & conſanguinitate Regiam ſtirpem attingentem congerere. Quod itaque à Te tantoperè optari vidimus, hoc perfecimus, ut agnoſces ex Diplomatibus in conſuetâ formâ deſuper expediendis, & quidem perfecimus alacriter, ac libenter, quamvis inter deliberandum, & dum res tanti momenti de more expenderetur, non deeſſent, qui exiſtimarent, Nobiſque ſuadere curarent congruere omninò, quòd ubi tuis votis eâ in re annuendum eſſe ſtatueremus, nullo modo pateremur petitas gratias à Nobis obtineri, quin prius actu ea aſſequeremur, quæ juſtitiæ nomine tamdiù à Te expetita, nunc tandem à Te referenda eſſe videbantur; ſed Nos liberè gratificandum Tibi eſſe duximus, confiſi Te æquo animo Nobis eſſe reſponſurum; Satis enim ſuperque compertum eſſe credimus Majeſtati Tuæ, quibus fundamentis Jura Apoſtolicæ Sedis innitantur circa notum nimis, & uſque adeò diſcuſſum, & agitatum Quindenniorum negotium, in quo quidem certi ſumus Nos vias, modoſque luculenter explicaſſe, ac interjectos ex induſtriâ obices oblatis congruis mediis ſuſtuliſſe, ut res tota rectè, honeſtèque confici, ac prorsùs abſolvi poſſet: ſed tamen adhuc in expectatione optati exitus ſumus. Verùm longè gravius, ac profectò moleſtius Nobis eſt ſcandalum illud ſanè maximum Orbi univerſo, oculis nimirum Fidelium, ac Infidelium propoſitum, quòd ſcilicet S. R. E. Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, cui certè ſummam reverentiam inter ceteras ejus inſignes prærogativas conciliare debet zelus, ac in-

invictâ animi conſtantia, quâ arduam, ac plenam periculi provinciam pro Catholicâ Religione ſuſcepit, ab Officialibus, & Adminiſtris Luſitanis in tuâ Civitate detineatur, uſu libertatis, & exercitio authoritatis exutus, non alio ſanè nomine reus, quàm quia Decreta, ac Definitiones Apoſtolicæ Sedis in causâ Fidei palàm denunciare, atque executioni demandare, quod ſui muneris erat, curavit. Quâ in re ſine magno horrore ab his, qui piè, ac probè ſentiant, nunquam exaudienda, perpendere debes, quali injuriâ afficiatur Eccleſia, quale onus tuæ famæ, &, quod magis eſt, tuæ conſcientiæ incumbat, niſi ea, quæ injuſſu tuo contra fas omne in hac causâ ab initio admiſſa, deindè verò à Te reſcita, ac probè comperta fuerunt, celeri, & congruâ reparatione corrigantur. Vide autem, ne fortè plus nimio tribuens humanis rationibus, dum offenſam, & odium terrenæ potentiæ declinare ſtudes, judicium incurras Dei viventis, apud quem nec expers culpæ, nec immunis eſſe poteſt à pœnâ, qui Apoſtolicos Viros pro eo in Terris legatione fungentes lædere, contriſtare, aut quoquo modo perturbare non veretur. Porrò cum ſolicitudo, quam gerimus pro obtinendâ, ut par eſt, libertate Dilecti Filii Noſtri Caroli Thomæ S. R. E. Cardinalis de Tournon, honorem, ut diximus, tui nominis, tuæque ſpiritualis ſalutis bonum proximè reſpiciat, mutuam filialis tuæ in Nos devotionis ſignificationem meritò repoſcit, ut acerbiſſimi doloris, quo propterea afficimur, levandi Tibi curam eſſe reipsâ oſtendas, ac comprobes; vix enim dici poteſt, quàm mirum, ac grave Nobis acciderit, quod iis literis, quas dudum monitis, precibus, atque obteſtationibus noſtris refertas non ſemel, imò etiam aliquando per celerem Curſorem hujus rei gratiâ ad Te miſimus, nullum hactenùs reſponſum ad Nos pervenerit. Vicem itaque Paternæ noſtræ benevolentiæ reddere ne prętermittas, & quando Nos præcipua amoris noſtri documenta Tibi præbemus, tuum viciſſim ſtudium Nobis explica, dum Nos in auſpicium felicitatis Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 12. Julii 1710. &c.

ARGUMENTUM

Duci de Cadaval ſignificat ſe libenti animo ad preces Regis Portugalliæ geminam diſpenſationem conceſſiſſe pro duobus Matrimoniis, quæ in decus, & commodum illius Familiæ ceſſura fore intellexerat; ejuſdemque Ducis officia apud Regem pro expeditione negotii Quindenniorum, & libertate Cardinalis de Tournon enixè flagitat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Duci de Cadaval.

CLEMENS P.P. XI.

DIlecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Non eſt cur pluribus explicemus Nobilitati Tuæ ſingularem erga Te, Domumque tuam animi noſtri propenſionem, quando aliis peculiaribus ejuſdem teſtimoniis, quæ Tibi olim exhibere curavimus, novum, ac præcipuum in præſens adiicimus, indultâ Tibi ad preces Chariſſimi in Chriſto Filii Noſtri Joannis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis duplici Diſpenſatione, quatenùs ſublatis authoritate noſtrâ arctiſſimæ conſanguinitatis impedimentis, duo illa Matrimonia conſtabiliri poſſint, quę ſplendori, & commodo tuæ Familiæ non parùm profutura eſſe inaudivimus. Præſtantia porrò animi tui Nobis pollicetur Te ſedulò curatu-

rum

rum eſſe vices Paterno amori noſtro reddere, quod planè erit, ſi diligentibus officiis apud ipſum Regem egeris, ut ab ipſo tandem obtineamus, quod urgentibus graviſſimis Apoſtolicæ Sedis rationibus, & adſtipulante juſtitiâ, tamdiù expectamus, tum quoad abſolvendum, integris ejuſdem Sedis juribus, Quindenniorum negotium, tum quoad concedendam Dilecto Filio Noſtro Carolo Thomæ S.R.E. Cardinali de Tournon Apoſtolico Legato in Civitate Macaonenſi à Luſitanis Officialibus, ac Adminiſtris, magnâ Eccleſię injuriâ, magnoque contemptu muneris, ac Dignitatis, quam gerit, detento libertatem, quod æquum eſt, ut ille tantâ nunc demum alacritate præſtet, quantâ Nos in re prorſùs arduâ præfatarum Diſpenſationum ejuſdem votis obſecundare voluimus. Nec ægrè ab ejus eximiâ pietate, ac æquitate obtinendum eſſe tuâ ope, tuâque diligentiâ id arbitramur, quod tanti intereſt ipſius conſcientiæ, ac famæ, præſertim cum Nos ejus votis in hac causâ, nullâ adjectâ conditione aſſequendi priùs hæc ipſa, quæ juſtitia expoſcebat, annuerimus. Hoc grati in Nos animi argumento Pontificiam charitatem ſibi arctiùs conciliabit Nobilitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ ſecundâ Julii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Hoſpitalis in Biſuntina Civitate erecti ad excipiendos, alendos, ac inſtituendos Infantes expoſitos Viſitationem Apoſtolicam Archiepiſcopo Biſuntino committit, illique injungit, ut ea omnia, per quæ idem Hoſpitale ad priſtinam diſciplinam, & ſplendorem, rectamque tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus, formam redire poſſit, omni ſtudio curet, atque promoveat.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Biſuntino.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Ad aures noſtras non ſine maximo animi noſtri dolore pervenit, quòd Hoſpitale providâ Fidelium charitate in iſtâ Civitate dudum erectum ad excipiendos, alendos, ac inſtituendos utriuſque ſexus Infantes expoſitos, quorum cura, & cuſtodia Eccleſiaſticis Viris, ac reſpectivè Mulieribus demandata fuit, pluribus ab hinc annis ità à ſuo Inſtituto deſciverit, atque à priſtinâ diſciplinâ receſſerit, ut nedùm magna ibi perturbatio in temporalium rerum adminiſtratione, atque regimine ſecuta fuerit, ſed non levia indè ſcandala in perniciem animarum contigerint. Cum itaque Pontificiæ ſolicitudinis noſtræ ſit curas, cogitationeſque noſtras indeſinenter convertere ad ea, quæ Dei honorem, Dominicarum Ovium ſalutem, piorumque locorum bonum, commodum, atque incolumitatem reſpiciunt, plurimùm confiſi de ſpectatâ vigilantiâ, zelo, ac prudentiâ Fraternitatis Tuæ, authoritate noſtrâ, & ſpeciali delegatione Tibi committimus, atque mandamus, ut Apoſtolici Viſitatoris ergà idem Hoſpitale munus ſuſcipias, ac partes diligenter obeas, correctionem, ac reformationem morum, ac abuſuum tam in Capite, quàm in Membris inſtituas, & ea omnia, quæ ad bonum regimen ejuſdem pii loci tum quoad Alumnos, tum quoad Officiales, & Adminiſtros ejuſdem Hoſpitalis agas, atque perficias, ac demum ſtatuas, decernas, ac executioni demandare cures ea omnia, per quæ

Hoſpitale præfatum ad priſtinam Diſciplinam, cultum, ac ſplendorem, rectamque tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus formam redire poſſit, prout magis in Domino expedire dignoveris. Dum autem optatum fructum, quem ex tuâ ſedulitate, ac fervore ſpiritus Nobis pollicemur, non defuturum eſſe ſperamus, Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ nonâ Julii 1710. &c.

ARGUMENTUM

Epiſcopi Culmenſis zelum, & vigilantiam excitat ad obſiſtendum Eterodoxorum conatibus, & inſidiis, ne quid in contemptum, vel detrimentum Catholicæ Fidei in ſuâ Diœceſi aggrediantur.

Venerabili Fratri, Theodoro Epiſcopo Culmenſi.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Tanta undique pericula circumſtant in præſens Dominicum Gregem, ut nimia dici nequeat ſolicitudo noſtra, ſi de ejus ſalute, atque incolumitate aſſiduè ſumus in metu, vel ſi videmur facilè adhibere fidem cuicumque rumori, quo de patratis, aut fortè illatis Catholicæ Fidei per Hæreticos inſidiis admonemur. Porrò ſi quid tale timuimus Diœceſi Culmenſi, cui præeſt Fraternitas Tua, tribuendum id omne eſt peculiari charitati, quâ Te, & eamdem Diœceſim proſequimur; non ideò tamen dimiſimus unquàm, ſivè imminuimus eam ſpem, quam in ferventi tuo zelo, & ſingulari tuâ vigilantiâ Nobis multimodè perſpectâ conſtituimus. Quinimò rati fore Tibi acriori ſtimulo ad repellendos Acatholicorum auſus hortationem noſtram, Te ſpontè tuâ incitatum, &, ut dicitur, currentem noſtris etiam vocibus impellere voluimus. Ceterùm ſi quid in tuum, & Eccleſiæ Tibi commiſſæ commodum in hunc ſcopum præſertim coercendi Eterodoxos, ne quid in contemptum, & detrimentum veræ Fidei inibi aggrediantur, ab authoritate noſtrâ præſtari poterit, ſcire debes Nos Tibi nunquàm eſſe defuturos, ut ex hoc etiam intelligas, quâ ſimus in Te voluntate, & quanti faciamus Fraternitatem Tuam, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 26 Julii 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Archiepiſcopo Moguntino S. R. I. Principi Electori committit, ut cum jure ordinario, tum delegato viſitet quæcumque Hoſpitalia in illâ Civitate, ac Diœceſi exiſtentia, adminiſtrationis rationes exigat, præſcripta pia opera adimpleri curet, ceteraque omnia exequatur, quæ pro recto hujuſmodi Hoſpitalium regimine à ſacris Canonibus, ac præſertim à Concilio Tridentino ſancita fuere.

Venerabili Fratri, Lothario Franciſco, Archiepiſcopo Moguntino, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

VEnerabilis Frater, ſalutem &c. Cum nihil tam pertineat ad Paſtorale officium, quàm quòd is, qui Dominicas Oves regendas, cuſtodiendaſque ſuſcepit, ita ſpirituali earum bono proſpiciat, ut charitatis ſpatia, etiam quoad levandas temporales ipſarum neceſſitates, & promovenda illarum commoda extendat, ac ut curet hujuſmodi Chriſtianæ dilectionis officia ab his, quibus præeſt, diligenter impleri: hoc enim nomine beatus per Prophetam dicitur, qui intelligit, ideſt attentè cogitat ſuper egenum, & pauperem: Muneris noſtri eſſe ducimus curas noſtras in hunc ſcopum convertere, & Eccleſiæ Præſules in partem ſolicitudinis noſtræ vocatos hortari, & non tam vocis officio, quàm noſtræ authoritatis, quatenus opus ſit, præſidio excitare, & incendere, ut eâ, quâ par eſt, vigilantia, ac providentiâ dent operam, ac efficiant, ut ſi quæ pia loca in ſuis Diœceſibus ſuſcipiendis Peregrinis, ac curandis, alendiſque pauperibus morbo, aut ſenio, aut aliâ quavis neceſſitate laborantibus, inſtituta ſint, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus juxtà conſtitutas in fundatione leges, atque ad præſcriptum Sacrorum Canonum, & generalium Conciliorum, ac præſertim Tridentini, adminiſtrentur. Hinc plurimùm confiſi de præſtanti virtute, eximioque zelo Fraternitatis Tuæ, ac certi Te pro Dei honore, ac Fidelium Tibi commiſſorum utilitate, quemcumque laborem alacriter ſubiturum, Tibi tenore præſentium ſpecialiter committimus, ut tum jure ordinario, tum delegato, Hoſpitalia quævis in iſtâ Civitate, ac Diœceſi exiſtentia viſitare quamprimùm cures, rationem adminiſtrationis ab iis, ad quos pertinet, exigas, piaque opera in eis adimplenda accuratè perfici mandes, illorum verò Adminiſtratores, ac Officiales cujuſcumque gradus, ac conditionis, eoſque omnes, qui Hoſpitalibus hujuſmodi præficiuntur, vel inſerviunt, ubi, & quantum res expoſcet, juris, ac facti remediis ad præmiſſa compellas, nihilque eorum prætermittas, quæ per memoratos Sacros Canones, Conſtitutiones Apoſtolicas, Concilia generalia, ac noviſſimè per Tridentinum, pro recto hujuſmodi Hoſpitalium regimine conſtituta, ac reſpectivè injuncta, permiſſaque fuiſſe compertum habes. Id autem erit non tam muneris tui partes explere, quàm cumulare tua apud Deum merita, & conciliare Tibi hoc etiam nomine arctiùs benevolentiam noſtram, in cujus pignus Apoſtolicam Benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ ſextâ Auguſti 1710. &c.

ARGUMENTUM

Acta à Curiâ Parlamenti Pariſienſis, & aliis Magiſtratibus Laicis, tum etiam Decreta à Rege Chriſtianiſſimo edita adversùs Cardinalem Bullionium Sacri Collegii Decanum, tamquàm ab incompetenti Poteſtate profecta, irrita, ac invalida eſſe Majeſtati Suæ denunciat, quam enixè requirit, ut ea omnia revocet, & ab aliis revocari curet. Paratum deindè ſe Pontifex exhibet ejuſdem Cardinalis cauſam accuratè expendere, ac ex præſcripto Canonicarum Sanctionum definire, & ſiquid ille deliquerit, juſtitiæ, Pontificiique muneris debito nequaquàm deeſſe.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Ludovico Francorum Regi Chriſtianiſſimo.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Non ſine gravi animi noſtri moleſtiâ, ac dolore accepimus, quòd occaſione improviſi, & repentini diſceſſus ab iſto Regno Venerabilis Fratris Noſtri Emanuelis Theodoſii Cardinalis Bullionii Sacri Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium Collegii Decani, rerumque aliarum ab eo deindè geſtarum, Curia Parlamenti Pariſienſis una cum aliis Magiſtratibus Laicis, inſtante Procuratore Generali Regio, judicialem illorum omnium, in quibus idem Cardinalis adversùs Majeſtatem Tuam deliquiſſe perhibetur, cognitionem aſſumpſerit, quòdque ab eodem Tribunali Decreta quædam in hujuſmodi cauſa contra ipſum Cardinalem edita fuerint, atque inſuper Regio tuo nomine mandata prodierint, quibus de Beneficiis Eccleſiaſticis, tum, quæ idem Cardinalis canonicè obtinet, tum quæ ad ipſius collationem quoquomodo pertinent, Regali authoritate decernitur, & ad Locorum Epiſcopos iſta conferendi poteſtas transfertur. Confidimus porrò Majeſtatem Tuam pro ſummâ, quâ pollet, ęquitate, atque prudentiâ, facilè agnituram eſſe Decreta, atque Mandata hujuſmodi in hac cauſâ à laicâ Poteſtate prolata non uno nomine univerſæ Eccleſiaſticæ Immunitati, Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus conſtitutæ, palàm adverſari, iiſque poteſtatem illam, ac Juriſdictionem, quæ dum hujuſmodi Perſonarum, præſertim verò S. R. E. Cardinalium, cauſa agitur, tam ex generali Sacrorum Canonum cenſurâ, quàm ex peculiari Concordatorum inter Sedem Apoſtolicam, & claræ mem: Franciſcum Primum olim Francorum Regem initorum præſcriptione, Nobis unicè competit, manifeſtè violari, ac proindè eſſe illa omnia ipſo jure invalida, ac nullius roboris, ſicut & quæcumque alia indè fortè ſecuta, aut quæ deinceps conſequi poſſent, adeòut ſi qui Beneficia præfata ab Epiſcopis eo modo reciperent, eorum fructus ſuos facere minimè poſſent, & tum ipſi, tum Epiſcopi collatores grave animæ ſuæ diſpendium paterentur. Certam proindè ſpem gerimus, Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, Te ſingulari tuo, qui maximè Regem Chriſtianiſſimum decet, erga Dei Miniſtros cultu, ac pro tuendis Eccleſiæ juribus zelo, ultrò adigendum eſſe, ut inhærendo Majorum tuorum inclytæ memoriæ Regum, imò etiam tuę ipſius, quâ aliàs ſummâ cum laude in ſimilibus uſus es, pietatis exemplis, revoces, atque ab aliis revocari cures prædicta Mandata, ac Decreta; quod quidem ut omninò facias, Te quo majori poſſumus Paternæ noſtræ charitatis fervore hortamur, atque obteſtamur, non tam in levamen doloris, atque ſo-

ſolicitudinis noſtræ, quàm ut Tuæ in Deum Religionis, atque in Nos etiam, & in Apoſtolicam Sedem Filialis obſervantię,ac devotionis æquum ſimul,ac præclarum teſtimonium palàm exhibeas. Nos interim parati ſumus memorati Cardinalis cauſam accuratè expendere, ac definire juxtà Canonicas Sanctiones, & ſi quid ille deliquit, juſtitiæ, ac muneris noſtri debito nullo modo deeſſe; Beatiſſimi ſiquidem Apoſtolorum Principis quemadmodùm Fidem, & Sedem tenemus, ità præceptis inſtruimur admonentis: *Deum timete, Regem honorificate*: Quod certè à Nobis prætereundum non eſt, nec omninò permittendum, ut ab aliis prætereatur erga Te, cujus Dignitatem eximiæ virtutes, & egregia in Catholicam Religionem promerita uſque adeò condecorant. Ceterùm ſenſus hâc in re noſtros à Venerabili Fratre Auguſtino Archiepiſcopo Amaſiæ Nuncio apud Te noſtro uberiùs percipiet Majeſtas Tua, cui diuturnam incolumitatem ex animo precamur,& Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 23. Auguſti 1710. &c.

ARGUMENTUM

Cardinalis Deſtræi apud Regem Chriſtianiſſimum officia implorat pro Epiſcopalis, & Cardinalitiæ Dignitatis indemnitate, ut ſcilicet circumſcriptis actis adverſùs Cardinalem Bullionium Sacri Collegii Decanum ab incompetenti Authoritate geſtis, Ille à legitimâ, & competenti Poteſtate judicetur.

Venerabili Fratri Noſtro, Cęſari Epiſcopo Albanenſi, S. R. E. Cardinali Deſtręo nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater Noſter, ſalutem &c. Operam, atque authoritatem tuam,cum rerum gravitas,atque æquitas poſtulat, libenti animo requirimus, certi Te ſingulari illâ virtute, ac prudentiâ, quâ præſtas, deſiderio noſtro diligenter affuturum; quâ ſanè ſpe Te hortamur in præſens ad promovendam ſedulis apud Chriſtianiſſimum Regem officiis indemnitatem gradus, qui Tibi, utpotè Epiſcopali, ac Cardinalitiâ dignitate inſignito, communis eſt cum Venerabili Fratre Noſtro Emanuele Theodoſio Cardinale Bullionio Sacri S. R. E. Cardinalium Collegii Decano; plurimùm enim Nobis polliciti non minùs de ferventi tuo ſtudio, quàm de propenſâ in omnem juſtitiam, ac pietatem Regis voluntate, confidimus Ipſum hac occaſione innovaturum eſſe præclara illa argumenta zeli erga Eccleſiaſticam authoritatem, quibus ille aliàs editis præcipuam in ſimilibus caſibus laudem ſibi comparavit, cum præſertim non agatur modo de aſſerendis, confovendiſque ejuſdem Cardinalis conſiliis, ſi quæ minùs rectè ab eo ſuſcepta fuerunt, ſed id unum quæratur, ut ſcilicet, circumſcriptis actis adverſùs ipſum ab incompetenti Authoritate nuper initis, atque confectis, quæcumque demum ea ſint, in quibus ipſe fortè tranſgreſſus fuerit, ea à legitimâ, ac competenti dumtaxat Poteſtate cognoſcantur. Porrò optatum fructum tuâ ope referendum eſſe ſperamus; interim verò Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater Noſter,peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die 23.Auguſti 1710.&c.

IDEM

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Tuſſano Tituli Sancti Caliſti Presbytero S. R. E. Cardinali de Janſon nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Cùm de tuâ ſingulari virtute, ac eximiâ prudentiâ rectè, ut par eſt, ſentiamus, credimus Te utriuſque opportunè explicandæ libenti animo arrepturum eſſe oblatam Tibi à Nobis occaſionem, dum Te hortamur ad promovendum tuis apud Chriſtianiſſimum Regem officiis indemnitatem Gradus Tibi, utpotè Epiſcopo, ac S. R. E. Cardinali, communis cum Venerabili Fratre noſtro Emanuele Theodoſio Cardinali Bullionio Sacri etiam S. R. E. Cardinalium Collegii Decano, quatenùs gratia, quâ polles, & conſilii authoritate, quâ apud eumdem Regem præſtas, aſſequaris id, quod à perſpectâ ipſius Regis æquitate non immeritò expectandum videtur, ut ſcilicet hac ipsâ occaſione explicet eumdem zelum pro Eccleſiaſticâ authoritate, cujus præclarum ſpecimen ab eo prolatum aliquandò fuiſſe magnâ ejus nominis laude liquet, neque patiatur ullum ipſi authoritati præjudicium inferri, aut illatum diutiùs ſubſiſtere. Quod quidem eò magis ſperandum eſt, cum nullo modo hìc agatur de probandis ejuſdem Cardinalis conſiliis, ſed votum ſit, ut circumſcriptis iis omnibus, quæ adversùs ipſum ab incompetenti authoritate conſtituta fuerunt, geſta per ipſum, quæcumque illa ſint, à legitimâ, ac competenti Poteſtate cognoſcantur. Probè de Eccleſiâ, deque Ordine tuo mereberis, ſi ad optatum exitum rem perduces, quemadmodum Te ſolerter, ac ſedulò facturum eſſe confidimus, & Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſimâ tertiâ Auguſti 1710. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio Noſtro, Ludovico Antonio Tituli S. Mariæ ſuper Minervam Presbytero S. R. E. Cardinali de Noailles nuncupato.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Etſi certò Nobis polliceamur Te ſtimulis non egere in his, quæ ad dignitatem, & authoritatem Eccleſiæ aſſerendam pertinent, noſtri tamen muneris, ac juſtæ ſpei, quam in tua eximiâ virtute conſtituimus, eſſe ducimus Te hortari ad promovendam indemnitatem Gradus, qui Tibi communis eſt cum Venerabili Fratre noſtro Emanuele Theodoſio Cardinale Bullionio, Sacri S.R.E. Cardinalium Collegii Decano, Infulæ, ac Purpuræ honoribus Tecum pariter condecorato. Et quidem ſperare fas eſt Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Ludovicum Regem Chriſtianiſſimum non minùs pondere tuorum officiorum, quibus meritò plurimum tribuit, quàm ingenitâ in æquitatem, ac pietatem

pro-

propenſione ea teſtimonia ſui zeli, ac ſtudii pro Eccleſiaſticâ authoritate editurum, quæ in non admodùm abſimili caſu ab eo dudum edita, magnâ adhuc quidem apud æquos rerum eſtimatores cum laude commemorantur. Id verò potiſſimùm à recto ipſius animo expectandum videtur, cum non agatur modò de præfati Cardinalis geſtis, quæcumque demum illa fuerint, contegendis: ſed eò res reſpiciat, ut circumſcriptis Actis, quæ ab incompetenti, Authoritate proceſſerunt, ejus cauſa à legitima, & competenti, adeòque à noſtrâ Poteſtate ritè expendatur. Operam eâ in re tuam præclarè poſitam intelliges, dum Nos Tibi, Dilecte Fili Noſter, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die vigeſimâ tertiâ Auguſti 1710. &c.

IDEM ARGVMENTVM

Dilecto Filio, Religioſo Viro, Michaeli de Tellier è Societate Jeſu, Chriſtianiſſimi Regis Confeſſario.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, ſalutem &c. Cum Nobis omninò perſuaſum ſit Chriſtianiſſimum Regem, quâ eſt Religione erga Deum, ac devotione erga Sanctam Matrem Eccleſiam, ubi ſyncero, ac fideli conſilio admonitus animadverterit Curiam iſtius Parlamenti, alioſque Laicos Magiſtratus, inſtituto nuper Judicio adversùs S. R. E. Cardinalem Bullionum invexiſſe ſe in eam Juriſdictionem, quæ ut Sacrorum Canonum authoritate, ita ex Concordatis dudum inter Apoſtolicam Sedem, & Galliæ Reges initis, Nobis unicè competit, non paſſurum eſſe diutiùs perſiſtere tam grave præjudicium Eccleſiaſtici Juris, ac Pontificiæ authoritatis: confidimus Te eo fervore, qui charitati, ac officio tuo maximè congruit, ſedulò acturum eſſe, ut Rex ipſe eodem zelo, quem aliàs in non abſimili causâ explicavit, incenſus revocari curet, ſuâque quamprimùm authoritate revocet nedum Acta præfata à laicâ, hoc eſt incompetenti Poteſtate edita, ſed etiam mandata hâc ipsâ occaſione ſuo ipſius nomine promulgata, quibus attinguntur Beneficia, quæ idem Cardinalis obtinet, & facultas conferendi illa, quæ ad ipſius collationem pertinent, in Locorum Epiſcopos novo prorsùs, ac ſanè pernicioſo exemplo transfertur. Etſi autem ſatis conſtet hæc omnia ipſo jure irrita, nulliuſque roboris eſſe, Nos tamen pro ſummâ noſtrâ, ac verè Paternâ in Regem benevolentia magnoperè cupimus, ut Ipſe ceteris, ac multis laudibus, quas apud Eccleſiam promeruit, hanc etiam jure debitam addat, ut ſcilicèt alacri voluntate deleat quidquid adversùs noſtra, & Eccleſiæ jura in hâc causâ actum fuiſſe deprehendet; cum Nos ceteroquin parati ſimus muneris noſtri, & Juſtitiæ partes explere, & ſi quid Cardinalis deliquit, id nullo modo inultum præterire: nihil enim tam à Nobis alienum eſt, quàm velle, ut ii, quos Deus ſublimi in Terris Dignitate auctos honorificari voluit, debito cultu fraudentur. Age itaque, atque id cura, quod Deo acceptum, Nobiſque gratum fore intelliges; & Tibi, Dilecte Fili, Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ tertiâ Auguſti 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

AR-

ARGUMENTUM

Venetam Rempublicam admonet cavendum eſſe ab inſidiis Turcarum ingentes copias, ſpecie reſtituendi Svecorum Regem in priſtinam Sedem, adornantium, ac illam ad opportuna paranda media, quibus Barbarorum molimina repelli poſſint, adhortatur.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Duci, & Reipublicæ Venetiarum.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Etſi arbitremur jam innotuiſſe Nobilitatibus Veſtris,quas pro communi univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ ſalute continenter excubare novimus, rumorem illum per univerſas ferè Orbis partes nimiùm in præſens evulgatum, quo fertur Turcas veteris ſui in Chriſtianos odii nunquam immemores nova nunc temporis moliri, atque obtentu deducendi in priſtinam Sedem Svecorum Regem, ingentes copias per Chriſtianorum Principum provincias immittendas coegiſſe; noſtrum tamen eſſe ducimus,tum quia communis Patris officium gerimus,tum quia peculiari modo Nobis in hoc loco conſidentibus incumbit promovere,cum res poſtulat, ſacrum Fœdus ſtudio potiſſimùm, ac zelo fel. rec. Innocentii XI. Prædeceſſoris noſtri adversùs eoſdem Chriſtiani nominis hoſtes dudum initum,excitare ſtrenuam virtutem veſtram ad paranda tempeſtivè media, quibus hujuſmodi motus compeſcantur, & res Chriſtiana ab ingruenti periculo eximatur. Quâ ſanè ratione ſubſidium Decimarum quorumcumque Eccleſiaſticorum proventuum in universâ Ditione veſtrâ exiſtentium aliàs à rec. mem. Innocentio XII. itidem Prædeceſſore noſtro ad certum tempus jamdiù elapſum impoſitum, veſtræque Reipublicæ aſſignatum, ut iis pro ejuſdem Reipublicæ defenſione ab impiis Fidei noſtræ hoſtium conatibus uteremini, non ita pridem Vobis ad aliud conſimile tempus, ut noſtis, ultrò prorogavimus. Non enim ambigi poteſt, quin Turcæ eo conſilio arma ſibi eſſe hoc tempore inferenda intra fines Chriſtianorum Principum conſtituerint, ut quia attritas diuturno, ac exitiali bello eorum vires eſſe conſpiciunt, occaſionem captent, quâ fideles Populos tutiùs adoriantur, & opprimant, ſuæque perfidiæ abominationem latiùs extendant. Et ſanè tanti intereſſe intelligimus minas, atque inſidias barbaræ gentis opportunè antevertere,ac coercere,ut hoc etiam nomine impenſè doleamus res noſtras, ut ſatis notum eſt, in eum locum adductas eſſe, ut opem re ipsâ noſtram, quantùm cuperemus, in hunc ſcopum conferre minimè valeamus, non prætermiſſuri ceteroquin omni officiorum genere pro communi cauſâ, quæ Nobis in primis cordi eſt,adlaborare, ac inſimul opportuniora excogitare media, quibus illam inter præſentium temporum anguſtias juvare poſſimus. Interim par eſt, ut poſt Deum, quem noſtris, & Chriſtiani Populi votis, ac precibus propitium fore confidimus, præcipuam ſpem conſtituamus in perſpectâ, ac invictâ virtute Nobilitatum Veſtrarum, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die decimâ tertiâ Septembris 1710. &c.

ARGUMENTUM

Regis Chriſtianiſſimi in Conſtantinopolitanâ Civitate Oratorem requirit, ut Catholicos, & Religioſos Viros in illis partibus degentes patrocinio ſuo fovere, & à vexationibus quibuſcumque tueri velit.

Dilecto Filio, Marchioni de Alleurs, Regis Chriſtianiſſimi in Civitate Conſtantinopolitanâ Oratori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, ſalutem &c. Ubi Nobis certo teſtimonio compertum non eſſet Te præter alias ſpectatas animi dotes ſingulari in rebus agendis prudentiâ, atque conſilio præſtare, perſuaſum id ſatis haberemus ex munere ſui in Civitate Conſtantinopolitanâ Oratoris, quod Tibi Rex Chriſtianiſſimus demandavit. Probè itaque de tuâ virtute ſentientes lætamur præclaram Tibi contigiſſe occaſionem benemerendi de Chriſtianâ Religione iis ipſis ſtudiis, quæ eximiæ ejuſdem Regis pietati, ac zelo grata in primis fore novimus, impensâ ſcilicet alacritèr, ac validè ope, atque authoritate tuâ in fovendis, juvandiſque Catholicis, ac Religioſis Viris, qui eam Civitatem, illaſque partes, vel incolunt, vel adeunt, ne ab Infidelibus perturbentur, ac divexentur, neve inſidiis, calumniis, diſpendiis, aliiſque gravaminibus (quod non rarò ibi attentari conſtat) onerentur, & opprimantur. Quæ etſi Te ultrò curaturum eſſe confideremus, è re tamen eſſe duximus hæc ipſa Tibi enixè commendare, ut ſcias Te his ſtudiis animum noſtrum peculiari modo demeriturum, ac prætereà conciliaturum Tibi eſſe, rebuſque tuis Paternam noſtram charitatem, cujus documenta, cum facultas erit, Tibi dare non omittemus, ac interim uberem à Deo mercedem pro his, quæ ad Sanctæ Fidei tutelam, & incrementum, & ad Fidelium illorum indemnitatem, & tranquillitatem ages, Tibi, Dilecte Fili, pollicemur, & Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ Septembris 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Cardinalem Grimanum, qui Neapoli Pro-Regem agebat, lethali morbo laborantem graviter admonet, ac paternè hortatur, ut ſeriò ſecum reputet inſignes injurias Apoſtolicæ Sedi, & Immunitati Eccleſiaſticæ ab Ipſo vel illatas, vel permiſſas, vel provectas, ac famæ, conſcientiæ, æternæque ſaluti ſuæ conſulere curet. Officiorum deindè, quibus Ille Abbatem Grimanum Nepotem ſuum Pontifici commendaverat, ſe congruam rationem habiturum pollicetur.

Dilecto Filio Noſtro, Vincentio S. Euſtachii Diacono, S. R. E. Cardinali Grimano nuncupato.

CLEMENS P.P. X.

DIlecte Fili Noſter, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Con ſommo noſtro diſpiacimento abbiamo letto nella lettera ſcrittaci da V.S. il pericoloſo ſtato di ſalute, in cui Ella ſi ritrova; non abbiamo però laſciato, nè laſciamo di porgere inceſſanti preghiere à Dio, perche voglia degnarſi d'intieramente reſtituirgliela. Fra tanto crederemmo di gravemente mancare à quel' gran' debito, ch'è inſeparabile dal noſtro Apoſtolato, ſe con queſta ſegretiſſima lettera, che le ſcriviamo di noſtro pugno, non l'eſſortaſſimo, come cordialiſſimamente facciamo, à penſare prima d'ogni altra coſa di ben' aſſicurare quella, che più importa, cioè la ſalute dell'anima. Signor Cardinale (ſoffra V.S., che glielo diciamo, e forſe una volta ò in queſta vita, ò nell'altra Ella ci ringraziarà, che glie l'abbiamo detto) le tante offeſe di queſta Santa Sede, le tante leſioni dell'autorità della Chieſa, che è la Spoſa di Gieſù Chriſto, ò commeſſe, ò permeſſe, ò promoſſe, ò non impedite, richiedono da Lei qualche grand'atto, che le cancelli, e che inſieme faccia publicamente conoſcere al Mondo, ch'Ella nello ſtato, in cui ſi trova, non laſcia di ſodisfare alle obligazioni di quel' Grado, nel quale Dio l'hà conſtituita. Queſto grand' atto, con cui Ella tanto provederà alla ſua fama, alla ſua conſcienza, e alla ſua ſalute eterna, potrà forſe farle meritare da Dio quel riſtabilimento di ſalute, che Noi con ſincero affetto le auguriamo; mà quel' che più importa, potrà renderla capace di ricevere tutte quelle più ampie aſſoluzioni, che poſſono provenire dalla noſtra autorità, e che Noi ben' volontieri diamo facoltà al ſuo Confeſſore di poterle concedere unitamente con l'Indulgenza plenaria in articolo di morte, e con la Benedizione Pontificia da Lei domandataci. La pietà, con cui Ella ſi è moſſa à chiedercela con la ſpedizione di un' Corriero eſpreſſo, ci fà ſperare, che riceverà di buon' grado quelle paterne inſinuazioni, con le quali l'accompagniamo. Fra tanto Ella non s'inquieti per l'Abbate Grimani ſuo Nipote, nè per alcun'altra coſa di queſto Mondo: non ci obligli à recedere da quel' coſtume, che in dieci anni di Pontificato abbiamo praticato con gl' altri Cardinali: preghi Dio ch'egli ſia un' vero, e ſanto Eccleſiaſtico, e creda che Noi non ci dimenticaremo degl'uffizj da Lei paſſati in ſuo favore. Iddio le aſſiſta con la ſua grazia, come vivamente lo ſupplichiamo, e à quella Apoſtolica, che ora di tutto cuore le concediamo, aggiunga la pienezza delle ſue celeſti benedizioni. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 26. Septembris 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

AR-

ARGUMENTUM

Binas inſignium Pictorum manu depictas Tabulas Duci Antonio Ulrico Brunſvvicenſi, & Luneburgenſi in argumentum Pontificiæ in ipſum voluntatis dono mittit.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Antonio Ulrico, Duci Brunſvvicenſi, & Luneburgenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Nobilitatem Tuam eximiis non modò naturæ donis refulgentem, ſed Divinæ in primis gratiæ ſplendoribus illuſtratam non ſine ingenti animi noſtri gaudio conſiderantes, Deoque proindè, ac Patri miſericordiarum, qui ſecundùm immenſas bonitatis ſuæ divitias greſſus tuos in viam ſalutis dirigere dignatus eſt, cum effuſâ gratiarum actione benedicere non ceſſantes, vehementer urgemur, ut aliquod Paternæ noſtræ in Te voluntatis extare velimus monumentum. Idcircò Tibi duas Tabulas, alteram nimirùm, in quâ Chriſtus Dominus Hieroſolymam ingrediens repræſentatur, per celebrem anteactæ ætatis Pictorem, alteram verò, in quâ Imago Beatæ Mariæ Virginis cum Puero Jeſu expreſſa eſt, per Dilectum Filium Equitem Carolum Marattam omnium noſtræ ætatis Pictorum facilè Principem, depictas dono mittendas duximus. Quod munus ut Tibi ejus etiam intuitu, cujus manu Tibi reddendum eſt, gratius fiat, injunximus Dilecto Filio Annibali Albano noſtro ex germano Fratre ſecundùm carnem Nepoti, ut illud Tibi reddi curet per Dilectum item Filium Canonicum Lodulphum Guilielmum Majus, quem ſcimus ſuâ probitate, & pietate eſſe Tibi, & quidem meritò, gratum, atque probatum. Libenti itaque animo hoc qualecumque noſtri in Te Paterni amoris teſtimonium excipe, ac pro certo habe paratos Nos eſſe uberiora ejuſdem noſtri amoris argumenta Tibi præbere; rogantes interim Deum, ut cum diuturnâ incolumitate bonorum omnium affluentiam tribuat Nobilitati Tuæ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ nonâ Septembris 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

ARGUMENTUM

Explicatis multiplicibus, gravibuſque injuriis, quibus Moſchi milites Cathedralem Plocenſem Eccleſiam, & Monachos Ruthenos S. Baſilii, eorumque Monaſteria afflixerant, Regem Poloniæ vehementer hortatur, ut Moſchorum audaciam cohiberi curet, & prædictorum Monachorum incolumitatem ſtrenuè tueatur.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Opem noſtram multis precibus, ac querelis efflagitant Monachi Ordinis S. Baſilii Nationis Ruthenæ, qui in Catholicâ Fide cum Romanâ Eccleſiâ conſentientes, Uniti paſſim vocantur, humiliter, ac enixè expetentes eximi à ſævâ militum Moſchorum perſecutione, qui poſt direptam, ac deindè everſam cuniculis Cathedralem Eccleſiam Plocenſem, diverſa ejuſdem Ordinis Monaſteria, aliaſque ſacras Domos, ac Eccleſias tum Regularium, tum Secularium bonis, ac omni ſupellectili expoliaverunt, abductis in captivitatem quibuſdam Monachis, aliis verò ad necem quæſitis eo, ut apparet, propoſito, ut hujus Inſtituti homines tum è Poloniæ Regno, tum è Ducatu Lithuaniæ, tum à Provinciis Pruſſiæ, in odium Pontificii nominis, & Catholici cultus prorsùs expellant, ac eliminent. Æſtuat ad hæc mirum in modum charitas noſtra ſolicita, ne qui ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium confugerunt, ejus tutelâ, atque præſidio in tantâ anguſtiâ, & calamitate deſtituantur. Quapropter Majeſtatem Tuam, quo majori poſſumus ſtudio, rogamus, & obteſtamur, ut ſuâ authoritate, & accuratiſſimis officiis agat, atque contendat apud Magnum Moſcoviæ Ducem pro obtinendâ omninò præfatis Monachis, aliiſque Ruthenis Unitis, ac in univerſum Catholicis omnibus priſtinâ ſecuritate, ac libertate, quæ ſine apertâ læſione juſtitiæ, nec ſine magnâ Religionis, quam profiteris, & tuæ dignitatis injuriâ, eiſdem auferri in tuis præſertim Ditionibus non poteſt. Porrò niſi curaveris ſeveritate diſciplinæ, & graviſſimis pœnis coerceri tantam audaciam, nihil eſt, quòd ab hominibus, qui ſacras res, & perſonas primùm aggredi, ac conculcare non horruerunt, metuendum ſubindè non ſit in ſummam Reipublicæ perniciem. Quod itaque juſti, ac pii Regis eſt, conſule communi Populorum tuorum indemnitati, ac filios Eccleſiæ, eoſque in primis, qui divinis rebus dant operam, immunes à Schiſmaticorum auſibus præſtare ſatage; quod quantùm Tui interſit ad propitiandum Tibi, rebuſque tuis Divinum auxilium, ſatis Te intelligere arbitramur; dum Nos Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Octobris 1710. &c.

IDEM ARGUMENTUM

Venerabili Fratri, Archiepiſcopo Gneſnenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Innotuiſſe Fraternitati Tuæ arbitramur, quàm malè actum ſit cum Monachis Ruthenis Catholicis Ordinis Sancti Baſilii ſub ipſo ingreſſu in fines iſtius Regni eorum militum, quos Magnus Dux Moſcoviæ, ut publicas res tuerentur, iſthùc non ita pridem immiſit; non ſecus enim, ac ſi illi adveniſſent rebus ſacris, ac Catholicæ Religioni bellum illaturi, rapinis, atque incendiis adorti ſunt regulares, ac ſeculares Eccleſias, inter quas Cathedralem Plocenſem, tum etiam Monaſteria ejuſdem Ordinis, Monachis quâ captis, quâ fugatis, ad delendam tum in iſtis, tum in finitimis Regionibus omnem prorsùs ejus Inſtituti memoriam. Etſi autem liqueat hanc injuriam irrogatam fuiſſe ab eis, utpotè Schiſmaticis, in odium Catholici, ac Pontificii nominis, ne tamen de pravâ eorum voluntate ambigendum eſſet, hoc ipſum palàm profeſſi ſunt, dum quæ iniquè propoſuerunt, temerè exequebantur. Nos itaque debitâ erga Filios Eccleſiæ commiſeratione intimè tacti, Chariſſimum in Chriſto Filium noſtrum Auguſtum Poloniæ Regem literis noſtris excitavimus ad ſuſcipiendam eorum Fidelium tutelam, neque enim decere exiſtimamus, ut ille patiatur dignitatem, & authoritatem ſuam uſque adeò contemni, aut ſinat turpiter traduci eos, quibus omni jure adeſſe, ac opitulari debet. Ut verò monita noſtra Regis animum magis commoveant, Paternis noſtris officiis vim tui conſilii libenter adjungimus, conſiſi Te debito zelo incenſum cum eo ſedulò acturum eſſe, ut hanc cauſam eo, quo par eſt, animi fervore complectatur, & curet præfatos Monachos, & Catholicos omnes ab æſtu hujus perſecutionis eximi, quod Te pro Dei honore, nec non intuitu benemerendi de Nobis diligenter facturum eſſe ſperamus. Et Fraternitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 25. Octobris 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

IDEM ARGUMENTUM

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Szembek Procancellario Regni Poloniæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Ubi audivimus Militares Moſchorum copias ad ferendas Poloniç Regno ſuppetias non ita pridem iſthùc accitas violentam manum ſacris rebus intuliſſe, & Aras, ac Eccleſias Catholicas, nec non Cœnobia Monachorum Ruthenorum Ordinis Sancti Baſilii diripuiſſe, ac incendiſſe, tum etiam ejuſdem Inſtituti Religioſos Viros, vel in captivitatem duxiſſe, vel profugos ad mortem quæſiiſſe, odium demùm, quo intimè incenduntur in Romanam Eccleſiam, cui præfati Mona-

chi

chi adhærent, multimodè explicaſſe: Nos memores non multùm abſimilia ab his ante aliquot annos per ejuſdem nationis Schiſmaticos homines patrata fuiſſe juſtum timorem cepimus, ne ſi eorum furor validè non coerceretur, à fœderatis, quàm ab hoſtibus in detrimentum Religionis, ac Reipublicę deteriora eſſent expectanda. Solicitudinis propterea, ac Paternę noſtrę charitatis eſſe duximus ſeriò monere Chariſſimum in Chriſto Filium Noſtrum Auguſtum Polonię Regem, ut ſuorum indemnitati conſulat, nec tantam ſibi, ſuæque authoritati, & Catholico nomini inferri injuriam permittat; quod monitum noſtrum Nobilitatis Tuæ operâ, ac conſilio ita urgeri cupimus, ut Rex intelligat agi in hoc tum de ſuâ Dignitate, tum de Dei honore, nihilque ſibi prætermittendum eſſe, ut ſecuritas Ditionibus ſuis, ac præſertim Eccleſiis, & ſacris, Diviniſque rebus reddatur. Momentum cauſæ pro tuâ ſpectatâ prudentiâ expende, ac zelum tuum præclarè explica, quod Deo acceptum, & Nobis gratum erit, qui Nobilitati Tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſimâ quintâ Octobris 1710. &c.

ARGUMENTUM

Cardinali de Saxonia ſpecialem facultatem tribuit conficiendi Proceſſum ſuper delictis Epiſcopo Agrienſi objectis læſæ Majeſtatis, excitatarumque in Regno Hungariæ turbarum, ac injungit, ut confectum, obſignatumque ad Sanctitatem Suam transmittat, quatenùs congruas in eumdem Epiſcopum pœnas pro modo culpæ ſtatuere poſſit.

Dilecto Filio Noſtro, Chriſtiano Auguſto, S. R. E. Presbytero Cardinali de Saxonia.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili Noſter, ſalutem &c. Perſuaſum Nobis numquam fuit, quòd inter Eccleſiaſticas illas Perſonas, quæ in Regno Hungariæ Perduellium partibus adhæſiſſe, & contra fidem debitam legitimo eorum Regi, hoc eſt Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Joſepho Romanórum Regi in Imperatorem Electo, motus, turbas, ſeditiones ac aperta demum bella excitaſſe, ac geſſiſſe ferebantur, ullus umquam ex Epiſcopis illarum Partium recenſeretur; vix enim credibile videbatur ejus Ordinis Viros, quorum erat propter præſtantiam, ac ſanctitatem muneris tueri omni ſtudio pacem, atque concordiam, quam ſcirent ſervandæ Chriſtianæ diſciplinæ, ac promovendæ animarum ſaluti, augendoque Divino cultui nedum opportunam, ſed planè neceſſariam, ſeipſos factionibus, atque ſeditionibus ultrò dediſſe. Quapropter numquam in animum induximus tribuere Circumſpectioni Tuæ per eas literas, quas in ſimili formâ Brevis die decimâ ſeptimâ Auguſti Anni proximè elapſi ad Te direximus, facultatem procedendi adversùs Epiſcopos, multoque minùs gravibus pœnis in eos animadvertendi, ubi etiam tam enormis ſcandali, ac criminis Rei haberentur, quod planè liquet ex eiſdem noſtris literis, in quibus nulla prorsùs mentio ſit Epiſcoporum, quos tamen oportebat ſpeciali modo commemorari, ubi in vim ejuſdem Commiſſionis, ac delegationis à Nobis Tibi factæ inquirendum adversùs ipſos fuiſſet. Verùm ſubinde non ſine magno animi noſtri dolore, ſive potiùs horrore, percepimus non im-

munem cenſeri à tam gravi reatu Epiſcopum Agriæ, qui nedum dicitur faviſſe Rebellibus, ſed voce, ac ſcripto eiſdem ſe ita adjunxiſſe, ut conſilia, ac fœdus cum eis inierit de ſubvertendo earum rerum ſtatu, debitâque præfato legitimo Hungariæ Regi fide apertè violandâ: quod quidem aliud nihil eſſet, quàm voluiſſe eas Oves pravo ſuo exemplo perdere, atque in exitium adducere, quas cuſtodiendas, paſcendaſque ſuſceperat. Nos itaque tam gravi ſcandalo occurrere volentes, committendum Tibi eſſe duximus, quemadmodum Tibi hiſce noſtris ſpecialiter committimus, ut ſuper aſſertis delictis, & attentatis ejuſdem Epiſcopi Agrienſis, juris ordine ſervato conficias Proceſſum, confectumque ad Nos tuo ſigillo clauſum tranſmittas, quatenùs Nos, ad quos juxtà diſpoſitionem Sacrorum Canonum, & generalium Conciliorum in ſimilibus Epiſcoporum cauſis judicium ferre pertinet, debitas in eum pœnas, etiam depoſitionis, privationis, ſive relegationis, aliaſque ſimiles, quas pro modo, ac menſurâ reatus merebitur, ſtatuere valeamus. Pro quâ præſenti noſtrâ Commiſſione commodiùs implendâ facultatem Tibi tribuimus etiam ſubdelegandi in Judicem pro tuo arbitrio Eccleſiaſticam Perſonam, quæ in quavis Hungarici Regni parte, etiam immutatis pluries locis, prout magis expedire judicabitur, Proceſſum conficiat, pariterque aſſumendi, ac deſignandi unum, vel plures Notarios pro conſtructione ejuſdem Proceſſus, aliaſque ad id opportunas, ac neceſſarias facultates, quæ pro perficiendis actis ejuſdem cauſæ uſque ad ſententiam definitivam excluſivè requiruntur. Dum itaque confidimus Te utendo eiſdem facultatibus juxtà formam Tibi præſcriptam, omni ſtudio, ac zelo demandatas Tibi partes eſſe impleturum, Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Dilecte Fili Noſter, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem &c. die 8. Novembris 1710. &c.

ARGUMENTUM

Agit iterum de injuriis, quas militares Moſchorum Copiæ Monachis Ruthenis Unitis in Poloniâ intulerant, & de Commiſſariis deſignandis, qui earum veritatem inquirant, Regemque Poloniæ hortatur, ut eorumdem Monachorum partes ſtrenuè tueri velit.

Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro, Auguſto Poloniæ Regi Illuſtri.

CLEMENS P.P. XI.

CHariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſalutem &c. Ex his, quæ ad Majeſtatem Tuam reſcripſit Magnus Dux Moſchoviæ, ſatis liquet Te ferventibus apud eum officiis hortatu etiam noſtro egiſſe pro eximendis Monachis Rhutenis Ordinis Sancti Baſilii communionis Catholicæ à moleſtiis, atque preſſuris, quibus à militibus Moſchis iſthuc accitis ſupramodum in præſens divexantur. Sed indè pariter conſtat, quòd etſi ipſe Magnus Dux profiteatur optare ſe, ut per Commiſſarios tum à Te, tum à ſe deputandos diſtrictè inquiratur, ac congruè animadvertatur in eos omnes, qui præfatis Monachis, aliiſque Catholicis tuarum Ditionum vim intulerunt, ſit ille tamen animo admodum præoccupato adversùs ipſos Ruthenos conſentientes in Fide cum Romanâ Eccleſiâ, quos ſibi, ſuiſque valdè infenſos eſſe ex ſuggeſtio-

ne procul dubio Græcorum Schiſmaticorum aſſeverare non dubitat. Qui itaque Te zelus impulit ad ſuſcipiendam tutelam eorum hominum, qui tum Religionis, tum clientelę titulo Regiis tuis gaudentes auſpiciis jure perferri debent, is etiam Te incendat ad eorum cauſam uſque ad optatum exitum aſſerendam, quòd cum videatur aptiùs prę ſtari non poſſe, quàm per Commiſſarios utrinque deligendos juxtà oblatam conditionem, decet, ut Tu quos idoneos duxeris (dum tamen Catholicos) quamprimùm deſignes, qui, unà cum Moſchis, de veritate eorum, quæ hinc indè opponuntur, cognoſcant, nam ubi æquitas ſervetur, & ſola veritas inſpiciatur, facilè erit judicium ferre, utrum Monachi Rutheni uniti, qui in Poloniâ, & Magno Ducatu Lithuaniæ ſtationibus inter ſe diſſiti, nec Viribus præpotentes degunt, moleſtias intulerint militaribus Moſchorum copiis non exiguo, ut fertur, numero in eiſdem Regionibus hoc tempore hoſpitantibus, an potius ab ipſis graviſſimas injurias, atque etiam quandoque cædes pertulerint, cum prę ſertim Catholicorum tum Regularium, tum Secularium Eccleſiæ, inter quas Cathedralis Plocenſis, aliæque Parochiales, & Monaſteria præfati Ordinis direptioni, ac igni data, & funditùs everſa, ipſique Monachi propè omnes ſedibus ſuis pulſi, ac uſquequaque diſperſi, ac profugi, ac demum ſilentium rebus ſacris, ac divinis in illis partibus indictum indubium teſtimonium præbere poſſint, quinam veri, ac certi injuriarum, & tot malorum Authores extiterint. Nam quòd Romanæ Eccleſiæ hoſtes per ſummam calumniam affirmant à Ruthenis Unitis, qua minis pęnarum, qua vi apertâ adigi Schiſmaticos, utcumque invitos, ac repugnantes, ad amplectendam unitatem cum Romanâ Eccleſiâ, id ægrè ſuadebunt iis, quibus notum eſt quà lenitate, ac manſuetudine Eccleſia Oves devias ad verum Chriſti Ovile revocare, ac perducere curet. Verùm adhuc minus ſubſiſtit, quod additur, & Catholicis veluti recens crimen obiicitur, quòd ſcilicet Epiſcopatus Luccorienſis, Hallicenſis, & Leopolienſis, & aliæ Eccleſiæ, ac Confraternitates Regni, ac præfati Ducatus in eiſdem literis enunciatæ, quæ ex vi cujuſdam pactionis non multis ab hinc annis inter Polonos, & Moſchos, ut ſupponitur, initæ, ac poſtmodum innovatæ compelli non poterant ad amplectendam unitatem cum Romanâ Eccleſiâ, eidem nunc temporis adhærere dignoſcantur, quaſi verò id non multò pridem, & longè ante aſſertam pactionem, quæ ad tempora proximiora refertur, & ſeculo jam elapſo contigerit, tum ſcilicet cum Epiſcopi, ac Populi illarum partium agnitâ, Dei beneficio, veritate ultrò, ac ſpontè, atque omnimodâ libertate ad hujus Sanctæ Eccleſiæ omnium per orbem Eccleſiarum Matris, ac Magiſtræ Gremium convolarunt. Porrò in eo æquitati conſulit Magnus Dux Moſcoviæ, quòd gloriatur ſe liberum exercitium noſtræ Religionis Catholicis in ſuo Imperio permittere; ſed profectò divina, humanaque jura graviter læderet, ſi eiſdem hanc libertatem divinis officiis, & rebus ſacris operandi in alienis Ditionibus adimere contenderet. Verùm præſtat, ut hæc omnia peculiari diligentia ita, ut præfertur, expendantur: ubi verò conſtiterit Monachos præfatos juſtè conqueri, eoſdemque in odium Romanæ Eccleſiæ, & Pontificii nominis contra fas omne perturbari, ac affligi, eximiæ tuæ virtutis erit eiſdem validè opitulari, ac cavere, ne in tuo Regno Religioni, juſtitiæ, tuæque authoritati tam gravia detrimenta inferantur. Aget de his fuſiùs Venerabilis Frater Nicolaus Archiepiſcopus Thebarum Nuncius noſter apud Majeſtatem Tuam, cui Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ &c. die 22. Novembris 1710. &c.

ARGUMENTUM

Cum Facultas Theologica Lovanienſis Conſtitutioni: Vineam Domini Sabaoth: *debitam obedientiam præſtitiſſet, ac inſuper decreviſſet neminem ad Gradus per eam conferri ſolitos promovendum eſſe, niſi emiſſo prius ſub Formulâ ab Alexandro VII. præſcriptâ Juramento juxtà mentem in eadem Conſtitutione enunciatam; deindè verò ab ejuſmodi Decreto reſiliens, nihil prætereà à promovendis ad Gradus, niſi vetus, ac ſimplex Juramentum exigendum eſſe ſtatuiſſet, reſervatâ tamen ſibi libertate recedendi à nuperrimâ hac deliberatione, ubi Pontifici ita viſum fuiſſet: Sua Sanctitas poſterius Decretum improbat, & pro non facto haberi pronunciat: anterius autem omninò ſervandum eſſe conſtituit, illudque Apoſtolicâ authoritate roborat, atque confirmat.*

Dilectis Filiis, Facultati Theologicæ Oppidi Lovanienſis.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, ſalutem &c. Pergratum ſanè Nobis fuerat elapſis annis audire Facultatem iſtam Theologicam debito ſtudio, ac obedientiâ obſecutam fuiſſe Conſtitutioni à Nobis pridem editæ, quæ incipit: *Vineam Domini Sabaoth*: ac proptereà laudabiliter inſtituiſſe, quòd nemo ad Gradus per eam conferri ſolitos promoveretur, niſi præſtito prius ſub Formulâ à fel. rec. Alexandro VII. Prædeceſſore noſtro præſcriptâ Juramento juxta mentem in eadem Conſtitutione enunciatam; intellexeramus enim id mirificè facere ad obſtruenda vel ipſa malignantium ora, nullumque, ſervatâ hac methodo, ambigendi locum de vero, ac genuino ſenſu, nec de ſanâ in Fide doctrinâ ejuſdem Facultatis prætereà relinqui. Et Nos quidem argumentum inde ſumpſeramus commendandi hoc Inſtitutum, eidemque Facultati ſignificandi ſingularem Paternæ noſtræ voluntatis propenſionem, quam ſibi hoc etiam nomine conciliaverat. Gravius idcircò in præſens, & eò magis inopinatum Nobis accidit admoneri aliam nunc demum invaluiſſe deliberationem, per quam ſublatâ ſpecioſo quodam obtentu conſuetudine, ac obligatione jurandi ad normam præfatæ Formulæ, nihil prætereà à promovendis ad Gradus, quàm vetus, ac ſimplex Juramentum exigendum eſſe ſtatuitur; quæ res Nobis ſicut multæ amaritudinis juſtam cauſam præbet, ita acri ſtimulo foret ad improbandam palàm, ac delendam Apoſtolicâ authoritate novam hanc deliberationem, niſi perpenderemus, quòd vi ejuſdem actus Facultas ipſa debitæ erga Nos obedientiæ memor, integrum ſibi eſſe voluit ab eodem nuper prolato Decreto, ubi Nobis ita viſum fuiſſet, recedere. Quamobrèm Nos magnoperè probantes hoc propoſitum conformandi ſe Pontificiæ voluntati, dictam Facultatem Paterno affectu admonemus, ut nullâ interpoſitâ morâ poſtremam hanc deliberationem revocet, utpotè expreſsè contrariam noſtræ, & hujus Sanctæ Sedis menti; declarantes hiſce noſtris literis, & præcipientes Actum, ſive Decretum, quo veteri, ac ſimplici Juramento ſtandum eſſe conſtituitur, cum omnibus inde ſecutis pro non facto habendum eſſe; priſtinam verò deliberationem de exigendo Juramento juxtà præfatam Formulam omninò ſervandam eſſe, quam Nos noſtræ, & hujus Sanctæ Sedis menti conformem, ac prorsùs neceſſariam eſſe præſervando honori, ac bono nomini Facultatis tam celebris, ac de Eccleſiâ Dei probè meritæ declaramus, eamdemque probamus, ac confirmamus.

Veſtrum itaque erit ſtudium, & cultum in Nos veſtrum hac etiam occaſione alacriter explicare, dum Nos viciſſim in pignus Pontificiæ, ac Paternæ noſtræ charitatis Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Dilecti Filii, peramanter impertimur. Datum Romæ &c. die vigeſimâ nonâ Novembris 1710. &c.

ARGUMENTUM

Ducem Lotharingiæ, quòd veteri abrogato Codice novum promulgaverit, Pontificiis ſenſibus omninò conformem, ſeque paratum obtulerit ad ea omnia retractanda, quæ in illius Ditione contra Eccleſiæ jura prodiiſſe conſtaret, quin etiam ea ipſa actu deleverit, ac irritaverit, debitis laudibus ornat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Leopoldo Lotharingiæ, & Barri Duci.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Quemadmodùm aliàs ex literis, quas Nobilitas Tua die vigeſimâ tertiâ Maii milleſimi ſeptingenteſimi octavi ad Nos dedit, ubi ſcilicet veteri, quem anteà ediderat, abrogato Codice, novum promulgavit, non obſcurè percepimus Te non aliâ ratione id egiſſe, quàm ut Paternis noſtris monitis obſecundares, ac filialis tuæ in Nos, & in hanc Sanctam Sedem devotionis certum Nobis argumentum exhiberes: Ita nunc nedum ex aliis tuis literis nuperrimè, nempè die decimâ octavâ labentis menſis ad Nos datis, verùm etiam ex documentis in eiſdem contentis peculiari, ac præcipuo animi noſtri gaudio cognovimus hoc ipſo intuitu Te adductum fuiſſe ad alias inſuper proferendas declarationes, quibus illæ, quæ hac in re ſubortæ fuerant, difficultates penitùs tollerentur, ſimulque omnibus notum faceres Te in Ditionibus tuis verè integra eſſe velle Eccleſiæ jura, quæ Nobilitas Tua zelo planè non degeneri, ac Principe verè Catholico prorsùs digno profitetur, ſtatuiſſe ſe quacumque occaſione, vel cum ſuæ ipſius vitæ diſcrimine, tueri ſemper, ac cuſtodire. Quod ſanè gaudium noſtrum auctum magnoperè fuit propter eximiam pietatem, quâ non modò paratum Te eſſe teſtaris revocare, delere, ac irritare quodcumque Edictum, ac quælibet Acta, ſi quæ fortè à Te, vel ab Adminiſtris, ac Officialibus tuis contra rationes Eccleſiæ, poſt conſtabilitam in iſtis Regionibus tuam authoritatem, exiiſſe, ac confecta fuiſſe conſtaret, ſed illa Tu ipſe nunc temporis actu, reque ipsâ, & cum effectu revocas, deles, atque irritas. Ex quibus Nos probè intelligentes, quo ſtudio Nobilitas Tua ſe conformare curaverit ſenſibus noſtris dudum Tibi explicatis, poſt debitas bonorum omnium Authori Deo gratias ex corde actas, Paternæ charitatis noſtræ officia ad Te convertimus, illud Tibi polliciti fervens in Nobis eſſe deſiderium exhibendi Tibi præclara benevolentiæ noſtræ teſtimonia, dum interim Divinam bonitatem enixè precamur, ut Tibi liberalis eſſe velit eorum munerum, quibus eos affluenter ditare ſolet, qui dignitatem, ac jura Eccleſiæ ſalva, & illæſa pręſtare ſatagunt, quod conſtanter, ac egregiè factum iri confidimus à Nobilitate Tuâ, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Dat. Romæ &c. die 30. Novemb. 1710. &c.

ARGUMENTUM

Principi Carolo à Lotharingia Electo Oſnabrugenſi Catholicorum, qui in Hibernia præter modum ab Hæreticis vexabantur, rationes enixè commendat.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Carolo à Lotharingia Electo Oſnabrugenſi.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Commune Catholicorum omnium ſtudium eſſe debet afflictis Hibernis, qui eamdem Religionem profitentur, & ſævâ nimis in præſens perſecutione premuntur, adeſſe: quod quidem charitatis officium peculiari quadam ratione ab iis præſtandum eſt, qui nomen Eccleſiæ dederunt, & præclarum in eâ locum obtinent, cum multum ſanè referat, ne vera Fides illic prorsùs extinguatur, ubi præcipuis Sanctitatis exemplis tamdiù effloruit. Hoc itaque intuitu hortamur Nobilitatem Tuam, ut hanc cauſam alacri animo complectatur, & ſedulò curet, ut mitiùs cum ipſis agatur, ne in diſcrimen amittendæ temporalis, ac ſpiritualis ſalutis adducantur. De hoc graviſſimo negotio, quod aſſiduæ ſolicitudinis materiem Nobis præbet, à Dilecto Filio Bonaventura de Burgo Hiberno Lectore, ut vocant, jubilato, ac Chronologo generali Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci ſtrictioris obſervantiæ fuſiùs noſtro nomine certiorabitur Nobilitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ſextâ Decembris 1710. Pontificatus Noſtri Anno Undecimo.

ARGUMENTUM

Epiſcopi Monaſterienſis pietatem, ac zelum laudat, quòd Catholicorum Hibernorum cauſam apud exteros Principes magno ſtudio egerit, eoſque à dirâ, quâ vexabantur, perſecutione relevare curaverit.

Venerabili Fratri, Franciſco Arnoldo Epiſcopo Monaſterienſi.

CLEMENS P.P. XI.

Venerabilis Frater, ſalutem &c. Pro menſurâ ſolicitudinis, ac moleſtiæ, quâ intimè perculſi fuimus, cum intelleximus ſtatum Catholicæ Religionis in Regno Hiberniæ in ſummum diſcrimen deveniſſe, ſæviente in eos publicâ authoritate, & inexorabili Hæreticorum furore, ingens eſt ſolatium, quod percepimus, audito quòd Fraternitas Tua his agnitis zelo intimè ęſtuaverit, & tum ingenitæ charitatis, tum noſtrę hortationis impulſu illorum Fidelium cauſam apud exteros Principes magno ſtudio egerit, unde in ſpem venimus eorumdem calamitates non parùm eſſe relevan-

das. Hoc itaque grati animi teſtimonium Tibi deferendum eſſe exiſtimavimus, quod ita à Te accipi cupimus, ut novo, ac majori incitamento Tibi ſit ad curandam uſque magis, promovendamque indemnitatem eorumdem Fidelium, quibus porrò officiis uberiorem apud Nos gratiam inibit, & cumulatiùs apud Deum meritum ſibi conciliabit Fraternitas Tua, cui Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ſextâ Decembris 1710. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

IDEM ARGVMENTVM

Dilectæ in Chriſto Filiæ, Nobili Mulieri, Annæ Mariæ Ludovicæ Comitiſſæ Palatinæ Rheni, Duciſſæ Neoburgi.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecta in Chriſto Filia, Nobilis Mulier, ſalutem &c. Dignus eſt ſingulari, ac perſpectâ virtute Nobilitatis Tuæ fervor ille charitatis, quo auditâ dirâ perſecutione, quâ Catholici hoc tempore ſupramodum premuntur in Hibernia, ſtudia, ac opem tuam ad levandas eorum calamitates contuliſti. Quo in propoſito ut pergas, Te magnoperè hortamur; ſicut enim multùm refert, ne vera Religio in eâ Orbis parte, quæ hoc ipſo cultu quondam celebris, Inſula Sanctorum dicebatur, depereat, ita magni apud Deum meriti res eſt profectò dare operam, ut quæ in eâ ſuperſunt, ſanctæ, & immaculatæ Fidei veſtigia, retineantur, ac ut puſillus ille Grex Electorum, inter multas tribulationes, hac ſaltem ſpe confirmetur, quòd non deſtituatur Catholicorum Principum officiis, per quæ in priſtinam libertatem venturum ſe eſſe confidat. Interim verò in teſtimonium gratæ, ac propenſæ noſtræ voluntatis erga Nobilitatem Tuam, Apoſtolicam eidem Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die ſextâ Decembris 1710. Pontificatus Noſtri Anno Undecimo.

AR-

ARGUMENTUM

Electorem Palatinum impensè requirit, ut authoritate ſuâ intercedat Calvinianæ Hæreſeos Sectatorum machinationi, qui in Oppido Porceti propè Civitatem Aquiſgrani ædificium in uſum Scholæ pro ſuâ Sectâ conſtruere moliebantur.

Dilecto Filio, Nobili Viro, Joanni Vvilhelmo Duci Neoburgi, Comiti Palatino Rheni, S. R. I. Principi Electori.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem &c. Intenti ubique Locorum curandis, ac promovendis damnatæ ſuæ Sectæ commodis, atque incrementis Calvinianæ Hæreſeos Sectatores, novum propè Civitatem Aquiſgrani in Oppido Porceti moliuntur opus, Ædificium ſcilicet ad uſum Scholæ, ad erudiendam ibi, ſivè potiùs ſuis pravis erroribus imbuendam ejus loci, & finitimarum partium Juventutem. Id quoniam nedùm injuriam, ſed detrimentum, ac certè grave periculum inferre poteſt Catholicæ Religioni, & ſpirituali illorum Fidelium ſaluti, ſolicitudinem noſtram excitat, ac impellit, ut enixis precibus requiramus Nobilitatem tuam, quatenùs authoritate, quâ Eam ibi præſtare novimus, coerceat eorum hominum audaciam, ne perficiant, quod temerè aggreſſi ſunt. Quam opem fidenter à Te petere, & omninò polliceri Nobis poſſe videmur, utpotè conſcii quo zelo ea complectaris, quæ bonum, & indemnitatem Sanctæ Eccleſiæ, & Orthodoxæ Fidei reſpiciunt. Erit Tibi præcipuè gloriæ, & laudi, & ſingulari apud Deum merito operam eâ in re tuam alacriter impendiſſe: quod dum Te ſedulò facturum ſperamus, Apoſtolicam Benedictionem Nobilitati Tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die decimâ tertiâ Decembris 1710. Pontificatus Noſtri Anno Undecimo.

ARGUMENTUM

Cùm Republicâ Raguſinâ ejectionem Vicarii Generalis Archiepiſcopi illius Civitatis, & plura alia contra Eccleſiaſticam Immunitatem admiſſa graviter expoſtulat; eidem Reipublicæ ſignificat ſe Archiepiſcopo mandaſſe, ut adversùs ejuſmodi delictorum Reos, & conſcios ex normâ Sacrorum Canonum procedat; ipſamque tandem hortatur, ut Judicii Eccleſiaſtici diſtrictionem antevertat, & publicæ in Eccleſiam, Sanctamque Sedem reverentiæ teſtimonia deſiderari non ſinat.

Dilectis Filiis, Nobilibus Viris, Rectori, & Conſiliariis Reipublicæ Raguſinæ.

CLEMENS P.P. XI.

Dilecti Filii, Nobiles Viri, ſalutem &c. Quò majori Paternæ noſtræ charitatis fervore Nobilitates Veſtras ſemper reſpeximus, de commodis, ac prærogativis iſtius Reipublicæ, vel ab ipſo noſtri Pontificatus exordio ſoliciti, eò certè gravius Nobis, atque acerbius accidit non ita

pri-

pridem audire, quòd nomine veſtro injunctum fuerit Dilecto Filio Vicario Generali Venerabilis Fratris Archiepiſcopi Raguſæ iſthinc intra breve temporis ſpatium abire, ac Melitam Dalmatiæ ſe conferre, & Dilecto item Filio Michaeli Manzolio ſimiliter exulare, ac Stagnum adire, quòdque etiam duo Viri ex Ordine Veſtro ad Monaſterium Sancti Jacobi, quod Melitenſium Sancti Benedicti nuncupatur, Apparitoribus ſtipati accedere, ibique Dilectum pariter Filium Religioſum Virum Ignatium Giorgi ſiſtere, ac cuſtodiendum eiſdem Apparitoribus tradere præſumpſerint, aliumque Monachum non minori ſacri ejus loci injuriâ, ſuæque poteſtatis abuſu inde depulerint. Nemo autem, qui rectè ſentiat, non videt magnum vulnus Eccleſiaſticæ Libertati, ac Immunitati graviſſimis hiſce attentatis inflictum fuiſſe, indeque etiam uberem nimis ſcandali materiam nedum Catholicis, ſed finitimis etiam Græcis, Schiſmaticis, ipſiſque Turcis fuiſſe propoſitam. Et quamvis Nos de pietate veſtrâ, & Filiali Reipublicæ iſtius in Romanam Eccleſiam obſequio probè ſentientes, arbitremur facta hujuſmodi privatâ potiùs, quàm publicâ authoritate, ac fortè inſciis, aut certè pleriſque Veſtrum minimè aſſentientibus, ac nullo modo mandantibus, admiſſa fuiſſe: nihilominùs irrefragabili Apoſtolici Miniſterii debito adſtricti partium noſtrarum eſſe duximus injungere eidem Venerabili Fratri Archiepiſcopo, ut ad remedia Sacrorum Canonum authoritate conſtitutâ omninò procedat adversùs eos, qui conſilio, vel operâ læſionum hujuſmodi rei, vel complices reperti fuerint, niſi tamen contingat acta, ac mandata quæcumque hac occaſione contra Eccleſiaſticam Libertatem edita celeriter revocari, exuleſque detentos, aut expulſos eâ de causâ priſtinæ libertati reſtitui; adjectâ inſuper juxtà Eccleſiæ inſtitutum conditione, quòd qui cenſuris propterea innodati ſunt, præviâ congruâ ſatiſfactione Eccleſiæ ab eiſdem exolvi humiliter expetant. Eatenùs verò hæc omnia ſic à Nobis præſcripta, quæ ſine onere conſcientiæ noſtræ præteriri à Nobis non poterant, Vobis prænunciare volumus, quatenùs confidimus Vos pro ſpectatâ veſtrâ prudentiâ, ac rectitudine intellecturos eſſe, quàm æquum ſit, ut jura Eccleſiæ tam graviter læſa reparentur, & quàm veſtra interſit antevertere Judicii Eccleſiaſtici diſtrictionem, ac curare, ut veſtræ in Nos, & in Sanctam Sedem, ac in Romanam Eccleſiam obedientiæ ultrò à Vobis prodeant argumenta, quæ comprobent nihil antiquiùs Vobis eſſe, quàm Deum, reſque ſacras, & ſpiritualem authoritatem à Deo traditam revereri: quod etiam pertinebit ad augendam benevolentiam noſtram erga Nobilitates Veſtras, quibus Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die vigeſimâ ſeptimâ Decembris 1710. Pontificatus Noſtri Anno Undecimo.

FINIS.

FINIS TOMI PRIMI

Epiſtolas, & Brevia ſelectiora
Complectentis
S. M. CLEMENTIS PP. XI.
Quę ad primum ejus Pontif. decennium
Pertinent.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
A

ABBATI Generali Monachorum Æthiopum commendat Miſſioarios Apoſtolicos illùc tranſmiſſos pag.576.

Abbatiſſæ Monialium Ordinis Viſitationis B. Mariæ non poſſunt ultra triennium continuare in Officio p.202.

Abulenſis Eccleſiæ Regimen à Seculari Poteſtate demandatum quod promptè dimiſerit, commendat Epiſcopum Ilerdeoſem p.618.

Agennenſis Epiſcopi zelum laudat, illiuſque Homilias in Evangelia Typis vulgari, Pontificioque oomini inſcribi permittit p.305.

Adverſus Agrienſem Epiſcopum, uti prætenſum Reum læſæ Majeſtatis, facultatem tribuit Cardinali de Saxonia Hungariæ Primati Proceſſum conficiendi p.646.

Albaniæ Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum gratiarum actionem benigne excipit, ob locum aſſignatum io Collegio de Propaganda-Fide, prævia congrua dote, uni ex Alumnis ejuſdem Nationis p.511.

Albaracinenſis Cathedralis Canonicis injungit, ut accuratam Relationem ſtatus ſpiritualis, & temporalis ejuſdem Eccleſiæ faciant, eoſque adhortatur, ut proprium officium ſedulò obire curent p.627.

Alexandrinum Patriarcham enixè hortatur, ut ad Unionem Catholicæ Eccleſiæ redeat p.154. Eidem gratum explicat animum, quòd Miſſionarios Apoſtolicos pethumaniter excipiat, ac foveat p.260.

De Allieurs Marchionem Regis Chriſtianiſſimi in Civitate Conſtantinopolitana Oratorem hortatur, ut Catholicos, in illis Partibus degentes, ſuo patrocinio fovere velit p.641.

Altranſtadenſis Pacificationis Articulos inter Poloniæ Regem, & Svecos reprobat, ac irritat p.577. Reſpoolio ejuſdem Poloniæ Regis quoad eoſdem Articulos ſubnectitur p.579.

Amaliæ Imperatricis officia implorat, ut ea, quæ in Neapolitano Regno, & io Ducatu Mediolanenſi ſtatuta fuerant adverſus Eccleſiaſticam Immunitatem, de medio tollantur p.466. Commendat eidem Catholicos, ſummopere ab Hæreticis afflictos in Hibernia p.544. Eamque enixè hortatur, ut agat apud Cæſarem, ne ab ejus Militibus Pontificiæ Ditioni damna inferantur p.471. Eidem, & Eleonoræ Magdalenæ Thereſiæ Imperatricibus aperit ſuſceptum conſilium mittendi Archiepiſcopum Nazarenum ad Imperatorem Joſephum, ùt M. S. Ditionis Pontificię calamitates exponat p.518. & 519.

Angliæ, & Hiberniæ Catholicos hortatur ad obſervandam Apoſtolicam Conſtitutionem *Vineam Domini*, & vitandam lectionem Librorum, verum ſenſum ejuſdem detorquentium p.563.

Annibalis Cardinalis Albani zelus laudatur in procuranda aperitione publicæ Eccleſiæ in Civitate Lipſienſi pro Catholicis p.580.

Anthiocheni Patriarchæ Nationis Maronitarum electionem coofirmat, Palliumque eidem, cum nonnullis ſacris muneribus, & pecuniario ſubſidio mittit p.255.

Antiocheoo Patriarchæ Viſitatori Apoſtolico gratulatur, quod in Sinarum Imperium feliciter pervenerit, quodque illic honorificè exceptus fuerit p.341. Eidem reſcribit ſe improbaſſe Edictum Archiepiſcopi Goani, adverſus ejuſdem Patriarchæ authoritatem temerè promulgatum p.343.

Antonium Principem Parmenſem laudibus exornat p.55.

Apoſtolici Nuncii ab Aula Viennenſi dimiſſionem vehemeoter dolet, & ſcandala inde provenientia Regi Poloniæ ob oculos ponit p.270.

Apoſtolicus Miſſionarius; *Vide* Miſſionarius.

Appellandi jus ad Apoſtolicam Sedem à Decretis Linguarum Ordinis Hieroſolymitani neque directè, neque indirectè impediri poteſt p.263.

Aquenſi Archiepiſcopo mandat, ut Sanctitatem Suam de omnibus controverſiis cum religioſis Familiis ſuæ Diœceſis ioſtruat, & interim ſuſpendit Interdictum adverſus illas per eumdem Archiepiſcopum promulgatum p.60. Ioterdictum, & Cenſuras io aliquos Regulares ab ipſo latas, nullas declarat, eumdemque, ut a ſimilibus de cætero abſtineat, paternè, & graviter admonet p.142.

Archiepiſcopo NN. ſcribit, ut corrigat minus honeſtam vitam Præſidis illius Provinciæ p.429.

Archiepiſcopos, & Epiſcopos Poloniæ, ut apud ſuas Eccleſias reſideant, paternè admonet p.546. Eoſdemque, necnon Senatores, & Ordinem Equeſtrem impenſiſſimè hortatur ad fovendam in eodem Regno Catholicam Religionem p.581.

Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Albaniæ gratiarum actionem benignè excipit ob locum aſſignatum in Collegio de Propaganda-Fide, prævia congrua dote, uni ex Alumnis ejuſdem Nationis p.511.

A' Cardinali Archinto eoixè petit, ut Principem Eugenium à Sabaudia revocet à conſilio cooſtituendi hyberoas ſtationes pro ſuis Militibus in Ditione Eccleſiaſtica p. 410. Ab ipſo flagitat, ut omnem ſuam operam impendat apud eumdem, nè Acatholicos collocet Milites in Parmenſi, & Placentina Ditione p.424.

Arelatenſi Archiepiſcopo gratum explicat animum, ob Reliquiam S. Trophimi ad Urbem tranſmiſſam, concedendam Societati quinque Plagarum p.260.

Argentoratenſi Epiſcopo aperit difficultates concedendi Diſpenſationem ſuper matrimonio ineundo à Principe catholico cum acatholica Principiſſa p.513.

Armenorum Patriarchæ mittit Formulam catholicos Articulos contineotem, ut illam à ſe ſubſignatam Pootifici remittat p.621.

Cardinalis Aſtallii prudentiam laudat ob diſceſſum Militiarum exterarum à fioibus Ditionis Ferrarienſis p.368.

Atriſci Ducis pietatem commeodat ob tuitionem catholicæ Religionis, eique Diſpenſationem pro Filiæ Conjugio gratioſè concedit p.505. Ejus zelum laudat erga Miſſionarios Apoſtolicos in Sinicum Imperium allegatos p.288.

Attentata à Seculari Poteſtate adverſus Juriſdictionem Eccleſiaſticam in Hiſpaniarum Regnis graviter dolet, & eodem tempore oulla declarat p.265. Ad tuendam ab ejuſmodi attentatis in Regno Neapolitano, & Ducatu Mediolanen. Eccleſiaſticam Immunitatem excitat zelum multo-

rum Epiſcoporum Germaniæ pag.493., & ſeqq.

Attentatorum à Cæſareis Militibus propè Bononiam revocationem, congruamque reparationem enixè poſtulat à Leopoldo Imperatore p.148.

Auguſtanum Epiſcopum hortatur, ut in Conventu Ratisbonenſi Orthodoxæ Fidei Jura tueatur p.170. Nec non ad fortiter reſiſtendum Hæreticis, qui gravia Orthodoxæ Religioni damna inferre moliebantur p.135.

Auguſtano à Capitulo retractari poſtulat collationem Canonicatus factam Preciſtæ Imperiali, ex quo Imperator carebat Apoſtolico Indulto p.408. Ejuſdemque Capituli rationes confutat circà Primarias Preces p.414.

Auguſtodunenſi Epiſcopo gratias agit propter Sacram Reliquiam S. Juliani ſibi tranſmiſſam, eidemque Particulam Ligni Sanctiſſimæ Crucis pollicetur p.286.

Auguſtinus Sebaſtianus Canonicus Baſilicæ Lateranenſis laude ornatur p.306.

Aurelianenſi Duci gratulatur adventum in Italiam, ab eoque impensè flagitat, ut Eccleſiaſticam Ditionem à moleſtiis militaribus tueatur p.324. Significat eidem facinus à Cæſareis Militibus admiſſum in Civitate Imolæ, ejuſque propoſitum laudat nullum Eccleſiaſticæ Ditioni detrimentum inferendi p.329.

Auximanæ Eccleſiæ Epiſcopatu collato Cardinali de Comitibus, poſteà Innocentio XIII., ipſum hortatur, ut ad illius Eccleſiæ reſidentiam ſe conferre quamprimùm curet p.551.

B

A Ballivo, & Oratoribus Valleſiæ petit millequingentos electos Milites pro tuitione Eccleſiaſticæ Ditionis p.483.

Bambæ Ducem ob Apoſtolicorum Miſſionariorum patrocinium laude proſequitur p.385.

Barchinonenſis Epiſcopi conſilium fundandi Congregationem Miſſionis in ſua Civitate probat, & laudat p.176.

Baſileenſis Epiſcopi opem implorat pro executione conſilii à Duce Wittembergenſi ſuſcepti redeundi ad gremium catholicæ Eccleſię p.101. Eumdem admonet, ne in ſua Diœceſi Preces Imperiales admittat Apoſtolico Indulto deſtitutas p.605.

Battæ Dux laudibus ornatur ob Apoſtolicorum Miſſionariorum defenſionem p.386.

Bavarię Ducis de Summo Pontificatu gratulationem benignè excipit p.29. Eum enixè hortatur ad avertendum imminens Bellum propter ſucceſſionem in Hiſpaniarum Regnis p.25. Scribit eidem, ne Regios honores tribuat Friderico Marchioni Brandeburgi p.45. Eique ſuſceptum conſilium aperit mittendi Nuncios Extraordinarios pro Pace inter Chriſtianos Principes p.87. Opem ab eo petit adverſus attentata à Cæſareis Militibus contra Eccleſiaſticam Ditionem p.479.

Bavariæ Duciſſæ reſcribit ſe illius Filiorum libertatem omni ſtudio curaturum p.316. Eam in anguſtiis poſitam paternâ charitate conſolatur p.332.

Beneficiorum reſignationes S. R. E. Cardinalium ad favorem Conſanguineorum admittere detrectat p.642.

Beritenſi Epiſcopo Ritus Græci ad Eccleſiæ Romanæ reditum gratulatur p.106.

Biblia Sacra in Americanum Idioma tranſlata, & multifariam vitiata, nè in Americam deferantur, admonet Generalem Inquiſitorem Hiſpaniarum, & Cardinalem de Portocarrero p.572. 573. & 169.

Bipontino Principi Guſtavo Leopoldo Diſpenſationem concedere abnuit, ut Matrimonium contrahere poſſit cum acatholica Principiſſa p.391. & 513.

Bipontinæ Principiſſæ Eliſabethæ Ludovicæ gratulationis officium ob aſſumptionem ad Summum Pontificatum perhumaniter excipit, eique viciſſim gratulatur converſionem ad Catholicam Religionem p.35.

Biſuntino Archiepiſcopo demandat Viſitationem Hoſpitalis in eadem Civitate noviter erecti, eique injungit, ut omni ſtudio illius utilitatem promoveat p.633. Ejus zelum laudat in eo, quòd pravarum opinionum ſemina à ſua Diœceſi arcere diligenter curet p.498.

Bracharenſis Archiepiſcopi officia requirit pro exactione Quindenniorum ex juſtitia debitorum p.283.

Brandeburgici Marchionis Friderici attentatum improbat, ob aſſumptionem tituli Regis Pruſſiæ p.41. Eodem tempore Imperatori Leopoldo, Ludovico XIV. Francorum Regi, aliiſque Regibus, & Principibus Catholicis ſcribit, nè ipſum, ut Regem recognoſcant p.42. & ſeqq. Ejus conatibus pro aperitione Eccleſiæ in Civitate Coloniæ Domi ejus Adminiſtri, ut ibi exercitia damnatæ Sectæ agantur, fortiter obſiſtit p.490.491.523.597.

Britanniæ Regis Jacobi Secundi, & Mariæ Reginæ ejus Uxoris gratulationem de aſſumptione ad Apoſtolicum Solium benignè excipit p.32. & 37. Eidem conſilium aperit allegandi Nuncios Extraordinarios ad procurandam pacem p.84. Nec non ſe paratum declarat ad juvandas eidem Regi ſubditas Nationes p.37. Jacobi Tertii præclaram indolem gratulatur Duci de Perh ejus Inſtitutori p.326. Eundem Regem impensè adhortatur ad imitanda paterna exempla circa Orthodoxæ Religionis conſtantem cultum p.77.

Britanniæ Reginæ Mariæ gratulationem de aſſumptione ad Pontificatum benignè excipit p.33. Eandem paternè conſolatur in obitu Viri p.92. & 102. Gratias eidem agit, quòd auditis periculis Urbis ob Terræmotum Divinam Miſericordiam exorare curaverit p.157.

Brugenſem Epiſcopum laudat, quòd Apoſtolicam Conſtitutionem = *Vineam Domini* = reverenter exceperit p.302.

Brunſuicenſi Duci Antonio Wlrico gratulatur converſionem ad catholicam Fidem, ipſumque hortatur, ut illam palàm profiteatur p.608.623.628. Dono eidem mittit duas à duobus inſignibus Pictoribus depictas Tabulas p.643.

Brunſuicenſi Duciſſæ Eliſabethæ Chriſtinæ vehementer gratulatur, quod catholicam Fidem amplexa fuerit p.381.

Budiſſenſe Capitulum, & Canonicos commendat Auguſto Poloniæ Regi p. 597.

Bugienſem Epiſcopum Vicarium Apoſtolicum Cocincinæ, alioſque Fideles, diram perſecutionem ſuſtinentes, paternè conſolatur; Eidemque injungit, ut nomina Fidelium pro fide mortuorum ad Sanctitatem Suam perferri curet p.183.

Cardinalis Bullionii Cauſam expendere, & definire velle declarat; eodem tempore revocat, & annullat omnia acta contra ipſum à Sæcularibus Magiſtratibus geſta p.636.

Burgundiæ Ducis ortum Galliarum Regi amanter gratulatur p.211.

C

De Cadaval Ducis operam petit pro expeditione negocii Quindenniorum in Regno Portugalliæ

& pro

Digitized by Google

& pro libertate Cardinalis de Tournon pag. 632.

Cæſarauguſtanæ Eccleſiæ Canonicos admonet, ut ad electionem Vicarii Capitularis deveniant, re communicatâ cum Apoſtolico Nuncio p.401.

Cæſarauguſtani Archiepiſcopi Epiſtolam improbat, continentem propoſitiones contra Eccleſiaſticam Immunitatem p.399. Eidem Cenſuras denunciat, in quas inciderat ob onus impoſitum Eccleſiaſticis Aragoniæ, & Valentiæ, ſine Apoſtolico beneplacito, nec non irregularitatem ab eodem contractam ex dicta cauſa p.398. Ejus zelum laudat ob Pontificiæ authoritatis tuitionem p.599.

Cæſaream fidem implorat circa irruptionem militarium copiarum in Ditionem Pontificiam p.36.

Chaldæos Catholicos laudibus ornat, quod Hæreticorum conatibus fortiter obſtiterint p.131.

Cameracenſi Archiepiſcopo reſcribit gratam ſibi accidiſſe conſecrationem Archiepiſcopi, & Electoris Colonienſis p.388.

Canonicis Hildeſienſis Eccleſiæ mittit exempla literarum, quas ſcripſerat Imperatori, & aliis, ne perficeretur Tractatus oppignorandi bona ejuſdem Eccleſiæ acatholico Duci p.452. Eoſque hortatur ad mutuam fovendam concordiam p.481.

Canonicos Colonienſis, & Leodienſis Eccleſiæ hortatur ad ſtrenuè reſiſtendum inordinatis petitionibus adverſus ejuſdem Eccleſiæ jura p.486. & 487.

Canonicos Ratisbonenſis Eccleſiæ laudat, quod ſtrenuè jura illius Eccleſiæ defenderint p.485.

Capitulum Cathedralis Leodienſis enixè admonet, ut Eccleſiaſticam Immunitatem multipliciter violatam reparari quamprimum curet p. 94.

Cardinalem, Legati Apoſtolici munere decoratum, mittere velle ſignificat Poloniæ Regi, aliiſque Nobilibus Viris tam Eccleſiaſticis, quàm Secularibus ad procurandam ejuſdem Regni tranquillitatem p.205. & ſeqq.

Cardinalem le Camus paternè hortatur, ut quoad rigidiorem victus rationem ab eo inſtitutam modum ſervet p.124.

Cardinalis Cincii gratulationem ob delatum Cardinali de Tournon Sacræ Purpuræ honorem benignè excipit p.392.

Cardinalem de Comitibus, poſteà Innocentium XIII. hortatur, ut ad Auximanam Eccleſiam, cui eum Epiſcopum præfecerat, quamprimum accedat p.551.

Cardinalitiæ Dignitatis dimiſſionem, factam à Cardinali Mediceo, benignè admittit p.554. Ejuſdemque Dignitatis amplitudines, & decora explicantur p.451.

Carnutenſem Epiſcopum laude proſequitur, quod Catholicos Hibernos, à Patria diſcedere juſſos, paterna charitate exceperit p.254. Ejus zelum laudat ob exactam obſervantiam Conſtitutionis *Vineam Domini* p.313.

Carolus Maratta omnium noſtræ ætatis Pictorum Princeps dicitur p.643.

Cartagienſem Epiſcopum, hodie S. R. E. Cardinalem, laudibus ornat, ob defenſionem Eccleſiaſticæ Immunitatis p.610.

Carthuſiani Ordinis Miniſtri Generalis officioſam gratulationem benignè excipit, eique Apoſtolicum patrocinium pollicetur p.33.

Catholici Regis Philippi V. petitionem admittere detrectat, ut laborantem defectu natalium ad Epiſcopatum admittere velit p.67. Eumque hortatur, ut aboleat ea, quæ in Belgio adverſus Eccleſiaſticam Immunitatem attentata fuerunt p.49. Gratas ſibi accidiſſe reſcribit filialis obſequii ſignificationes per ſpecialem Ablegatum eidem delatas p.112. Commendat eidem Miſſionem ad Inſulas recenter detectas in Oceano Sinico p.195. Ad quem effectum ſcribit etiam Ludovico Galliarum Regi; Nec non Archiepiſcopis Manilæ, & Mexicano p.196. & ſeqq. Gratiaſque agit Hiſpaniarum Regi ob protectionem Miſſionariorum in eaſdem novas Inſulas tranſmiſſorum p.314. Reliqua *vide* verbo Hiſpaniarum Rex.

Catholicæ Religionis cultum Armenorum Patriarchę commendat p.621. Liberum ejus exercitium in Ditione Magni Ducis Moſchoviæ obtinere procurat p.583. & ſeqq. Tranquillitatem ejuſdem Catholicæ Religionis impenſiſſimè commendat Poloniæ Regi, Archiepiſcopis, Senatoribus, & aliis Equeſtris Ordinis ejuſdem Regni p.581.

Catholicam ob Religionem ſuſceptam à Duce Brunſuvicenſi eidem amantiſſimè gratulatur p.623. Utque illam publicè profiteatur, ipſum vehementer hortatur p.608.

Catholicos in Dominio Turcarum exiſtentes commendat Marchioni de Allieurs, Galliarum Regis Oratori in Civitate Conſtantinopolis p.641. In Ditione Marchionis Brandeburgici graviter vexatos enixè commendat Cardinali de Lamberg p.492.

Catholicos in Hibernia afflictos ab Acatholicis ſummoperè commendat Joſepho Imperatori, Amaliæ Imperatrici, Cardinali de Lamberg, & Magno Etruriæ Duci p.543. & ſeqq. Portugalliæ Regi, Venetæ Reipublicæ, Sabaudiæ Duci p.587. & ſeqq. Carolo à Lotharingia electo Epiſcopo Oſnabrugenſi p.611. & 652.

Pro Catholicis Armenis Chriſtianiſſimi Regis patrocinium implorat p.78.

Chiovienſem Epiſcopum hortatur ad roborandam conſtantiam Catholicorum à Moſchis afflictorum p.283.

Chriſtianiſsimi Regis moderatio laudatur ob ea, quæ in Urbe contigerant Principi Monęci ejus Oratori p.7. Reliqua *vide* verbo Galliarum Rex.

Ut in Civitate Lipſiæ Catholici Eccleſiam conſtruere poſſint, locum petit à Rege Poloniæ p.613.

Clerum ſecundarium Çivitatis Leodienſis Electori Coloniæ ſummoperè commendat p.30.

In Coadjutorem Eccleſiæ Moguntinæ proponit Franciſcum Ludovicum ex Comitibus Palatinis, germanum fratrem Electoris Palatini, confidens multum utilitatis eidem Eccleſiæ allaturum p.588. & ſeqq. Circa quam plura injungit ad arcenda ſcandala illius occaſione ſuborta p.600.

Codex à Lotharingiæ Duce compoſitus approbatur, tanquam Pontificio ſenſui omninò conformis p.650. Uſus autem alterius antecedenter impreſſi, illiuſque retentio ſub gravibus pęnis prohibetur p.203.

In Collegio de Propaganda Fide, congruâ aſſignatâ dote, fixum conſtituit locum pro Alumno Provincię Albaniæ p.511.

Colonienſis Eccleſiæ Canonicos hortatur ad ſtrenuè obſiſtendum inordinatis petitionibus adverſus ejuſdem Eccleſiæ jura p.486. Eorumque zelum excitat, nè exercitia hæreticæ Sectæ in Civitate Rhenobergæ habeantur p.248. Capitulum, Senatum, alioſque multos Præſules, & Principes Germaniæ hortatur, nè exercitium damnatæ Sectæ in Civitate Coloniæ permittatur p.490. & 491. 523. & ſeqq. & p.597.

Coloniæ Electoris, & Archiepiſcopi gratulationem ob Summum Pontificatum benignè excipit p.29. Eum hortatur ad avertendum imminens bellum ob ſucceſſionem in Hiſpaniarum Regnis p.24. Illi conſilium aperit mittendi Nuncios Extraordinarios ad pacem conciliandam inter Chriſtianos Principes p.87. Seriò admonet, ut Eccleſiaſticam

Immunitatem multipliciter violatam ſarciri curet p.94. Admonet nè bellicis curis ſe immiſceat p.159. Ejus conſilium laudat erigendi Seminarium in locis ſuarum Diœceſum p.225. Vehementer hortatur, ut Sacris Ordinibus quamprimùm initiari curet p.236. Eidem paternè gratulatur conſilium ſuſcipiendi Sacros Ordines p.288. Poſtquam illos, & Sacerdotium ſuſceperat, ei Pallium, quod poſtulaverat, libenter ſe traditurum pollicetur p.309. 359. & 387. Eidem ſignificat ſe commiſiſſe Viſitationem Apoſtolicam ſuæ Diœceſis Nuncio Pontificio ad Tractum Rheni p.463. Pallium eidem mittit, cujus myſticas ſignificationes explicat, & particulam Ligni Sanctiſſimę Crucis elargitur p.370. Zelum ipſius excitat ob attentata in Regno Neapolitano, & Ducatu Mediolanen. commiſſa contra Apoſtolicæ Sedis jura p.495.
Comaclenſis Civitatis reſtitutionem enixè petit à Joſepho Imperatore, una cum reparatione damnorum à Cæſareis Militibus Pontificiæ Ditioni illatorum p.592.
Confeſſario Joſephi Imperatoris enixè commendat Catholicos graviter vexatos in Ditione Marchionis Brandeburgi p.492.
Congi Regem, & Reginam Uxorem, & Matrem ejuſdem Regis laudat ob zelum, quo Miſſionarios in eorum Ditione fovent p.382. 383. & 384.
Congregationis Benedictinæ Bavaricæ Vocales monet, ut eligant Superiorem, qui omni ſtudio promoveat obſervantiam Religioſæ diſciplinæ p.454.
Congregationis Miſſionis fundationem in Civitate Barchinonenſi probat, & laudat p.176. Superiorem Generalem ejuſdem paternè monet, ut amatorem Charitatis, & cupidum Pacis erga ſuos Sodales, & præſertim Italos, ſe oſtendat p.353.
Cononenſi Epiſcopo Secularis Jubilæi exemplar mittit, eumque monet circa ea, quæ concernunt Apoſtolicos Miſſionarios in Sinis p.54. Ejus labores in Sinica Miſſione commendat p.68. Gratulatur eidem reditum ex Sinarum Imperio, de cujus Miſſionibus latè agit p.507.
Conſilia pacis inter Catholicos Principes procurandæ ſummoperè eſſe debent cordi Summo Pontifici p.1. & ſeqq.
Controverſia circa Eccleſiam Græcorum S. Georgii Venetiarum terminata Veneti Senatus Decreto, zelum ejuſdem Senatus commendat p.526.
Conſtantienſem Epiſcopum admonet, nè in ſua Diœceſi Preces Imperiales admittat Apoſtolico Indulto deſtitutas p.605. Eidem enixè commendat curam, ut qui ad Ordinem Eccleſiaſticum aſſumuntur, morum integritate, & doctrina præfulgeant p.630. Opem ejuſdem implorat pro adimplemento conſilii à Duce Witembergenſi ſuſcepti redeundi ad gremium catholicæ Eccleſiæ p.501.
Conſtitutionem incipien. *Vineam Domini Sabaoth* tranſmittit Galliarum Regi Ludovico XIV. p.262.
Ex Converſione ad Catholicam Fidem Eliſabethæ Chriſtinæ, Duciſſæ Brunſuicenſis, magnum capit gaudium p.380.
Culmenſem Epiſcopum graviter arguit ob Templa damnatæ Sectæ in ejus Diœceſi erecta p.584. Ejus zelum excitat ad obſiſtendum Hęreticorum conatibus in ejus Diœceſi p.634.
Cultum in Regno Portugalliæ tribui ſolitum BB. Reginis Thereſiæ, & Sanciæ, Monialibus Ciſtercienſibus, approbat, & Cauſæ Poſtulatorem Regi Portugalliæ commendat p.303.
Curienſis Epiſcopi zelum excitat ad reſiſtendum Hæreticorum conatibus p.430. Præcipuè circa acquiſitionem bonorum in Valle Tellina pag. 416.

D

DAmna Apoſtolicæ Sedi, ejuſque ſubditis illata à Cæſareis Militibus, Electori Palatino ſingillatim aperit, ab eoque officia petit pro illorum reparatione p.503.
Decimarum ſubſidium Venetæ Reipublicæ ab Innocentio XII. conceſſum prorogat p.542.
Cardinalis Deſtręi officia petit pro revocatione omnium geſtorum à Laicis Magiſtratibus contra Cardinalem Bullionium p.637. Agit de Conſtitutione adverſus reliquias Janſenianæ Hæreſis p.285.
Dignitatem Electoralem acatholico Duci nulliter fuiſſe collatam declarat, & de eadem nullitate coram Deo proteſtatur p.358.
Diſpenſationem pro matrimonio contrahendo cum Principiſſa acatholica Bipontino Principi concedere abnuit p.391. In primo gradu affinitatis conſtanter denegat, non attentis magni Regis precibus p.160.
Diſpenſationes Matrimoniales faciliùs conceduntur benemeritis Apoſtolicæ Religionis p.505. Concedi non ſolent catholico Principi pro Matrimonio ineundo cum Principiſſa acatholica p.513.
In Dreſdæ Civitate apertam fuiſſe Eccleſiam in commodum Catholicorum ſummoperè lætatur, ſuumque gaudium explicat Principi Egoni de Furſtemberg Saxoniæ Præfecto p.462.
Dux Holſatiæ; *Vide* Holſatiæ Dux.
Lotharingiæ; *Vide* Lotharingiæ Dux.
Mantuæ; *Vide* Mantuæ Dux.
Moſchoviæ; *Vide* Moſchoviæ Dux.
Mutinæ; *Vide* Mutinæ Dux.
Neoburgi; *Vide* Neoburgi Dux.
Parmæ; *Vide* Parmæ Dux.

E

EBredunenſem Archiepiſcopum graviter arguit ob præjudicia Eccleſiaſticæ Immunitati illata p.39.
Eccleſia publica in Civitate Lipſienſi pro Catholicis aperitur opera Cardinalis Annibalis Albani p.580. Ad quem effectum opem petit, & zelum excitat Principis Egonis de Forſtemberg p.617. Alias Eccleſias in commodum Catholicorum apertas in Civitate Dreſdæ gratulatur Joſepho Imperatori, & eidem Principi Egoni de Furſtemberg p.462. & 622.
Eccleſiaſticam Immunitatem ſtrenuè ſe defenſurum declarat ab attentatis in Regno Neapolitano, & Ducatu Mediolanen. adverſus jura Apoſtolicæ Sedis p.493. Ob cujus defenſionem laudat zelum Epiſcopi Cartaginenſis, hodie S. R. E. Cardinalis p.610.
Ut Eccleſiaſtici promovendi in Diœceſi Conſtantienſi morum integritate, & doctrinâ præfulgeant, zelum illius Epiſcopi excitat p.630.
Egonem Principem de Furſtemberg hortatur ad promovendam aperitionem publicæ Eccleſiæ in Civitate Lipſiæ pro Catholicis in illa moram facientibus p.617.
Electio ad Summum Pontificatum unicè pendet à Divinâ Bonitate p. 3.
Elector Bavariæ; *Vide* Bavariæ Elector.
Coloniæ; *Vide* Coloniæ Elector.
Moguntinus; *Vide* Moguntinus Elector.
Palatinus; *Vide* Palatinus Elector.

Elector Trevirenſis; *Vide* Trevirenſis Elector.

Electoralem Dignitatem, acatholico Duci collatam, nullam declarat, & de eadem nullitate coram Deo proteſtatur p.358.

Eleonoræ Magdalenæ Imperatricis Viduæ officia implorat, ut ea, quæ in Neapolitano Regno, & in Ducato Mediolanenſi ſtatuta fuerant adverſus Eccleſiaſticam Immunitatem, de medio tollantur p.466. Eidem denunciat ea, quæ ab hæreticis Cæſareis Militibus in detrimentum Catholicæ Fidei in Italia patrantur p.353. Eamdem hortator, ut agat apud Cæſaream, ne ab eis Militibus Pontificiæ Ditioni damna inferantur p.472. Officia ab eadem implorat ad impediendum aditum Hæreticis in Vallem Tellinam pag. 432. Utque omnem operam adhibeat, nè admittatur Tractatus oppignorandi acatholico Duci Terras, ac Proventus Eccleſiæ Hildeſienſis p.442.

Epiſcopalis Dignitas conferenda non eſt laboranti defectu Natalium p.67.

Epiſcopos, & Archiepiſcopos Poloniæ paternè admonet, ut apud ſuas Eccleſias reſideant p.546.

Epiſcopis Jus viſitandi Parochiales Eccleſias Regularium competit circa Sacramentorum adminiſtrationem p.248. Debent tamen iidem Epiſcopi congrua charitate tractare eoſdem Religioſos p.248.

Eſtenſis Domus merita, & Mutinenſis Ducis virtutes honorificè commemorat p.11.

Æthiopiæ Archiepiſcopo commendat Religioſum Virum Apoſtolicum Miſſionarium illùc allegatum p.575. Regem hortatur ad amplectendam Catholicam Religionem, ad quem effectum Miſſionarios ad illum mittit p.191. & 573.

Etruriæ Magno Duci ſuſceptum conſilium aperit ablegandi Nuncios Extraordinarios, qui pacis negotium inter Chriſtianos Principes ſtrenuè promoveant p.86. Eidem ſignificat, baptizaſſe ſolemni pompa Judæos Angelum Viſinum, ejus Uxorem, & filiam p.193. Quos ejus pietati commendat p. 175. Roganti, ut unus ex ſuis Nepotibus Militiæ S. Stephani patiatur adſcribi, poſtulatis, & officio benigne reſpondet p.70. Ab eo petit, ut quandam Cauſam à competentibus Judicibus per juris tramites definiri patiatur p.108. Enixè eidem commendat Catholicos ſummoperè ab Hæreticis afflictos in Hibernia p.545. Eundem hortatur, ut ſuas Triremes jungere velit aliis Magni Magiſtri Ordinis Hieroſolymitani p.458. Ejus patrocinium petit apud Regem Perſarum pro Catholicis in Regno Perſico commorantibus p. 244. Ab eodem pariter opem petit contra attentata à Cæſareis Militibus adverſus Eccleſiaſticam Ditionem p.479.

Eugenio Principi à Sabaudia denunciat ſcandala ſuborta ob licentiam Cæſareorum Militum Hæreticorum, ab eoque congruum flagitat remedium ad illa tollenda p.354. Cum ipſo vehementer conqueritur de facinore a Cæſareis Militibus in Imolenſi Civitate admiſſo p.328. Petit ab eodem, ut ſubditi Ditionis Pontificiæ ab omni moleſtia, & damno præſerventur p.323. Ut Cohortes Germanorum Militum revocare velit à Ferrarienſi ditione p.336. Utque licentiam eorumdem coerceat, ex quo Pontificiæ Ditionis ſubditos nimium divexabant p.331.

Exercitium damnatæ Sectæ omni ſtudio impedire procurat in Civitate Coloniæ p.490. 491. 516. 593. & ſeqq. In Oppido Porceti propè Aquiſgranum p.653. Et in Oppido Rhenobergæ p.241.

F

FAcultatis Theologicæ Lovanienſis poſterius Decretum circa Conſtitutionem *Vineam Domini* improbat, & annullat; Primum verò Apoſtolica autoritate roborat, & confirmat p.649.

Marchionem de Ferriol Galliarum Regis Oratorem in Civitate Conſtantinopolitana enixè hortatur, ut opem ferat Chriſtianis à Turcis vexatis, & Religioſis S. Sepulchri Cuſtodibus p.320.

Fidem Cæſaream implorat circa irruptionem militarium Copiarum in Ditionem Pontificiam p.63.

Fidei Catholicæ incrementa, & incolumitatem promovere ſtudet in Regno Poloniæ. pag. 57. & ſeqq. Necnon pro Ducatu Saxoniæ eam commendat Poloniæ Regi; Eundemque hortatur, ut Natum ſuum ad idem procurandum inducat p.506.

Formulam Catholicæ Fidei tranſmittit Patriarchæ Armenorum, ut ſubſignatam Pontifici remittat p.621.

Formularium Alexandri VII. recipitur ab Accademia Lovanienſi pag. 531.

Franciſcum Ferrettum Pontificiarum Triremium Præfectum apud Magnum Magiſtrum Ordinis Hieroſolymitani honorifico teſtimonio proſequitur p. 469.

Fridericus Marchio Brandeburgi. *Vide* Brandeburgi Marchio.

Fuldenſem Abbatem vehementèr hortatur ad fortiter reſiſtendum Hæreticis, qui gravia orthodoxæ Religioni damna inferre parati erant p.135.

De Furſtemberg Principi Egoni gratum explicat animum, quod ejus opera Epiſcopus Poſnanienſis ad Urbem perductus fuerit p.259.

G

SAncti Galli Abbatis opem petit pro executione conſilii Ducis Wittembergenſis redeundi ad Gremium Catholicæ Eccleſiæ p.502.

Galliarum Regi Ludovico XIV. ſuam ad ſummum Pontificatum aſſumptionem ſignificat. pag.3. Pacis conſilia eidem commendat occaſione ſucceſſionis in Regnis Hiſpaniarum pag.14. Petit ne Regios honores tribuat Marchioni Brandeburgenſi pag.42. Obitum Ducis Aurelianenſis paternè dolet pag.62. Eum laudibus ornat ob recognitionem Jacobi III. Magnæ Britanniæ Regis p 72. Gratiarum actionem de hoſpitio liberaliter præſtito Burgundiæ, & Bituricenſi Ducibus in Civitate Avenionenſi, benignè excipit pag.46. Poſtulat ut à ſuis militibus intactam ſervari mandet Pontificiam Ditionem pag. 99. Gratum profitetur animum ob regiæ benignitatis teſtimonia Duci Mutinenſi delata p.28., & quod Pontificiis poſtulatis annuerit pro Cardinali Bullionio p.51. Significat eidem pro pacis negotio Nuncium extraordinarium ad Majeſtatem ſuam mittere decreviſſe Avenionenſem Archiepiſcopum Laurentium Fliſcum, poſtea S.R.E. Cardinalem p.71. Significat etiam decreviſſe Apoſtolicum Viſitatorem ad Sinas mittere, & ab eo enixè petit, ut illius receptionem juvare velit p.101. Eum impensè hortatur ad redintegrandam priſtinam concordiam cum Veneta Republica p.130. Laude proſequitur ob Edictum à M.S. contra Sectatores Janſenianæ hæreſis promulgatum p.153. Enixè commendat Mutinæ Ducem p.200. Gratias agit quòd Regii Miniſtri perhumaniter exceperint Patriarcham Antiochenum Viſitatorem Apoſtolicum Pondicherii p.228. Mittit eidem exemplum Conſtitutionis *Vineam Domini* p.262. Regium Pa-

trocinium implorat pro Chriſtianis in Turcico dominio vexatis, & religioſis viris S. Sepulchri Cuſtodibus p.319. Regium zelum eacitat pro emendatione eorum, quæ in Comitiis Cleri Gallicani circa Conſtitutionem *Vineam Domini* acta fuerant p.306. Gratulatur ortum Principis M.S. Pronepotis p.357. Edictum quoddam reſpiciens Regulares Eacalceatos S. Auguſtini, uti ab illegitima auctoritate proveniens, probare non poſſe M.S. denunciat p.369. Graviter conqueritur, quòd manus injecerit in jura, & prærogativas Regularium Excalceatorum S. Auguſtini, cum ea cognitio ad Sedem Apoſtolicam pertineat p. 447. Opem flagitat adverſus attentata à Cæſareis militibus contra Ditionem Eccleſiaſticam p. 477., & 496. Irrita, ac invalida declarat Acta à Magiſtratibus Laicis adverſus Cardinalem Bullionium, ac ea omnia reſcindi poſtulat p.636.

Gallicanæ Eccleſiæ aliquot Præſules graviter arguit, quod ad examen revocare tentaverint Conſtitutionem *Vineam Domini* p.298.

Gallicanum Clerum ſeriò admonet nullas alias eſſe ejus partes circa Apoſtolicas Conſtitutiones, quàm ipſas reverenter eacipere, illiſque humiliter obtemperare p.298.

Gandavenſem Epiſcopum laudat ob partes paſtoralis officii, quas egregiè adimplebat p.365.

Genuenſis Reipublicæ gratulationem ob ſummum Pontificatum benignè eacipit p.28. Eidem conſilium aperit allegandi Nuncios eatraordinarios pro pace inter Chriſtianos Principes p 85. Petit, ut ſuas Triremes mittat in Inſulæ Melitenſis tutelam p. 457. Illi commendat Catholicos in Hibernia ſummoperè afflictos p.588.

Gneſnenſi Archiepiſcopo Plocenſem Eccleſiam, & Ruthenos Monachos commendat, ob gravia damna à Moſchis Militibus eiſdem illata p.645.& 647. Urgeri ab eo petit apud Magnum Ducem Moſchoviæ promulgationem Diplomatis pro libero eaercitio Catholicæ Religionis in ſuis Ditionibus p.284.

Goanum Archiepiſcopum graviter arguit, quòd Patriarchæ Antiocheno, Viſitatori Apoſtolico, debitam obedientiam non præſtiterit p.344.

Gratulationes multorum Supremorum Principum ob evectionem ad ſummum Apoſtolatus apicem benignè excipit, eiſque humaniter reſcribit p.27. & ſeqq. & p.32. & 33. & 35. & 37. & 38.

Cardinali Grimano Regni Neapolitani Pro-Regi ſuſceptum dolorem ſignificat, ob dimiſſionem Nuncii ab Aula Viennenſi, ejuſque officia expoſcit, ut Imperatoris animus ad æquiora conſilia adducatur p.275. Eumdem graviter arguit ob violationem Eccleſiaſticæ libertatis, pro cujus reparatione eidem præcipit, ut in futurum ab eaecutione Edicti, Immunitatis Eccleſiaſticæ læſivi, omninò abſtineat pag.508. Læthali morbo laborantem paternè hortatur, ut ſuæ conſulat conſcientiæ circa injurias ab ipſo illatas, vel permiſſas adverſus Eccleſiaſticam Immunitatem p.642.

Guſtavo Leopoldo Bipontino Principi concedere abnuit Diſpenſationem ad effectum contrahendi Matrimonium cum Principiſſa acatholica pag. 391. & 513.

H

HEliopolitano Epiſcopo gaudium explicat ob reditum ad gremium Romanæ Eccleſiæ p.66.

Helvetiorum Catholicorum Pagos admonet, ne Regios honores tribuant Friderico Marchioni Brandeburgi pag.46. Eos hortatur ad avertendum imminens Bellum propter ſucceſſionem in Hiſpaniarum Regnis p.24. Ab eis opem implorat pro executione ſuſcepti à Duce Witembergenſi conſilii redeundi ad gremium Catholicæ Eccleſiæ p.502.

Herbipolenſis Epiſcopi pietatem laudat, quòd in ornatum Baſilicæ Lateranenſis unum ex marmoreis Simulacris ibidem conferre decreverit p.173. Eum vehementer hortatur ad fortiter reſiſtendum Hæreticis, qui gravia Ortodoxæ Religioni damna inferre moliebantur pa.135. Opem ejus implorat pro eaecutione conſilii Ducis Wittembergenſis redeundi ad gremium Catholicæ Eccleſiæ p.500.

Hæretici moram facere non poſſunt, neque bona poſſidere in Valle Tellina p.416. Ne illis detur aditus in eandem Vallem Tellinam, opem multorum Principum expoſcit p.437. & ſeqq. Adverſus illorum conatus in Diœceſi Culmenſi excitat zelum, & vigilantiam illius Epiſcopi p. 634. Ut illorum inſidiis, & prætenſionibus fortiter obſiſtat in Conventu Ratisbonenſi, enixè admonet Cardinalem de Lambergh p.596.

Hibernos Catholicos ab Hæreticis vexatos commendat Joſepho Imperatori, Portugalliæ Regi, Venetæ Reipublicæ, Sabaudiæ Duci, & Carolo à Lotharingia, Electo Oſnabargenſi p.543. 587. & ſeqq. 651. Eos hortatur ad cuſtodiendam Apoſtolicam Conſtitutionem *Vineam Domini*, & vitandam lectionem Librorum, verum ſenſum ejuſdem Conſtitutionis depravantium p. 563.

Hildeſienſis Eccleſiæ Canonicos hortatur ad mutuam fovendam concordiam p. 481. Eoſdem ſeriò admonet, ne redditus, & Terras Epiſcopalis Menſæ acatholico Principi oppignorent p. 440. & 441.

Hiſpalenſi Archiepiſcopo indulget, ut à reſidentia abeſſe poſſit ad determinatum tempus p.210. Ejus Paſtoralem vigilantiam laudat p.594.

Hiſpaniarum Regis gratulationem ob ſummum Pontificatum benignè excipit p. 35. Significat pro pacis negotio Nuncium eatraordinarium ad Majeſtatem ſuam mittere decreviſſe Antonium Felicem Zondodarium, modò S.R.E. Cardinalem p.82.; necnon decreviſſe Apoſtolicum Viſitatorem ad Sinas mittere, & à M. S. petit, ut illius expeditionem juvare velit p.102. Eum paternè admonet, ut Eccleſiaſticam libertatem in Regno Aragoniæ redintegrari curet p.397. Gratulatur ortum Principis Aſturiæ p. 402. enixè commendat M.S. fundationem Seminarii in Civitate Manilæ p.403. Conqueritur injurias Nuncio Pontificio illatas, earumque celerem reparationem expoſcit p.614. Reliqua *vide* verbo Catholici Regis.

Hiſpaniarum Archiepiſcopis, & Epiſcopis inhibet, ne ſe immiſceant iis, quæ Apoſtolicæ Sedi reſervata ſunt p.564. Eoſque hortatur, ut omni ſtudio curare velint, ut Rex ad ſalubriora conſilia revocetur p.564.

Hiſpaniarum ſex Antiſtites ſingillatìm admonet, ut diligenter caveant, ne Hæretici, ob belli calamitatem ibidem moram facientes, veneno ſuo Fideles inficiant p.356.

Hiſpaniarum Clero Seculari, & Regulari conceptum dolorem communicat ob ejectionem Nuncii Apoſtolici, eundemque Clerum enixè hortatur ad defenſionem Eccleſiaſticæ Immunitatis p.568.& 570.

Hiſpaniarum Inquiſitorem Generalem monet ad ſtrennè obeundum ejus munus p. 559. Nevè permittat in Americam deferri Sacra Biblia in idioma Americanum tranſlata, & multifariam vitiata pag.572.

Holſatiæ Ducem Joannem Chriſtianum Auguſtum, qui Orthodoxam Fidem ampleaus fuerat, Imperatori enixè commendat p.289.

Hoſpi-

Digitized by Google

Hoſpitalis in Civitate Biſuntina ooviter erecti viſitationem committit illius Archiepiſcopo, eique mandat, ut omni ſtudio promoveat illius utilitatem p. 633.

Hoſpitalium omnium ſuæ Civitatis, & Diœceſis viſitationem committit Archiepiſcopo, & Electori Moguntino p.635.

Hungariæ Aotiſtites graviter arguit ob attentata contra Regiam Dignitatem, illaque improbat p.395. Eccleſiaſticis ejuſdem Regni ſtrictè injungit, ne ſeditiones, & tumultus ibidem excitatos conſovere velint p.560.

I

JAcobi II. Magnæ Britanniæ Regis virtutes honorifica laude proſequitur p.77.
Reliqua *vide* Magnæ Britanniæ Rex.

Janſenianis erroribus refertum Libellum improbat, illiuſque Authores puniendos eſſe mandat, invocato brachii Regalis auxilio p. 140. & 141.

Cardinali de Janſon Indultum quoddam ab Innocentio XII. conceſſum exequtioni demandari jubet non obſtantibus aliquibus defectibus, quibus laborabat p.1 1. Ejus officia petit pro revocatione omnium geſtorum à Laicis Magiſtratibus contra Cardinalem Bullionium p.638.

A' Januenſi Republica opem petit adverſus attentata à Cæſareis Militibus contra Eccleſiaſticam Ditionem p.479. Nec non ad compeſceudam temeritatem, & contumaciam Monialium S. Claræ de Albaro p.226.

Jaurinenſi Epiſcopo dolorem ſignificat ſuſceptum ex dimiſſione Nuncii Pontificii ab Aula Viennenſi, ejuſque officia expoſcit, ut Imperatoris animus ad æquiora conſilia flectatur p.277. Eum hortatur, ut propuguet Jura Eccleſiæ Hildeſienſis adverſus Hæreticorum conatus p.186. Et ſtrenue tueatur Cauſam Catholicorum adverſus acatholici Principis molimina p.239. Ne Sectæ Proteſtantium exercitium Rhenobergæ invehi patiatur p.239. & p.247. Utque curet, ne Hæretici in Bonnæ Oppido ſuæ Sectæ exercitia peragant p.172.

Ilerdenſem Epiſcopum commendat, quod Abulenſis Eccleſię regimen, à Seculari Poteſtate ei demandatum, prompte dimiſerit p.618.

Immunitatis Eccleſiaſticæ tutelam ſummoperè commendat Eccleſiæ Uratislavienſis Adminiſtratori p.311. Ejus reintegrationem enixè injungit Epiſcopo Leodien. p.515. Suſpenſionem ejuſdem Immunitatis in Flandria concedit ad annum pag.362. Quam deinde bis prorogat ad alium annum p. 413. & 527. Circa illius læſionem in Regno Neapolitano graviter arguit Pro-Regem Cardinalem Grimanum, eique injungit, ne ad executionem Edicti, læſivi dictæ Immunitatis Eccleſiaſticæ, procedat p.528.

Imperator Sinarum; *Vide* Sinarum Imperator.

Imperator Defenſor Catholicæ Fidei dicitur p.1.

Imperialis Preciſta; *Vide* Preciſta.

Imperiales Preces primarias ubique rejiciendas eſſe mandat, ſecluſo Apoſtolico Indulto, circa quas multa ſubdit p.308. p.605.

Indulgentiam Plenariam pro qualibet ſexta Feria in perpetuum concedit Monialibus S. M. Angelorum Florentiæ p.595.

P. Inghilberto Biſcoff, Confeſſario Joſephi Imperatoris denunciat ſcandala in Italiæ partibus admiſſa à Cæſareis Militibus; Eumque hortatur ad congruum remedium eiſdem procurandum p.353. Illi dolorem ſignificat à Sanctitate Sua ſuſceptum ob dimiſſionem Nuncii ab Aula Viennenſi, ejuſque officia expoſcit, ut Imperatoris animus ad æquiora conſilia adducatur p.279. Ab eo petit, ut agat apud Cæſarem, ne ab ejus Militibus Pontificiæ Ditioni damna inferantur p.473. Nevè Terræ, & Proventus Hildeſienſis Eccleſiæ acatholico Duci oppignorentur p.446.

De Injuriis, quibus affecti fuerant Cardinalis de Tournon, ejuſque Socii in Civitate Macbonenſi, graviter expoſtulat cum Rege Portugalliæ p.539.

Inquiſitoris Generalis Hiſpaniarum zelum excitat, ne Sacra Biblia in Americanum idioma tranſlata, in Americam vehantur p.619. Eum ſeriò admonet, ut facultates ſibi tributas ſtrenue tueatur p.265. Utque ſuum munus alacriter exerceat p.559.

Inquiſitoris Generalis Portugalliæ officia requirit circa ſolutionem Quindenniorum ex juſtitia debitam p.283.

Inſularum Philippinarum Præfectum Generalem laudat, quòd Apoſtolicos Miſſionarios omnibus amoris ſignificationibus fuerit proſequutus p.484.

Joſepho tunc Hungariæ Regi ſignificat, pro Pacis negotio Nuncium extraordinarium Leopoldo Imperatori ejus Genitori mittere decreviſſe p.81.

Joſepho Imperatori ſignificat dolorem ſuſceptum ex improviſo diſceſſu ejus Oratoris ab Urbe, & ex Apoſtolici Nuncii dimiſſione ab Aula Viennenſi pag. 271. Ejus patrocinium enixè implorat pro Chriſtianis à Turcis vexatis, & Religioſis Viris Sancti Sepulchri Cuſtodibus p. 318. Nec non ad cohibendam audaciam Conſilii Brabantiæ, & ad propugnandam authoritatem, & Dignitatem Archiepiſcopi Mechlinienſis p. 455. Ejus zelum, & opem implorat pro coactione diverſorum Regularium ad redeundum ad propria Clauſtra in Civitate Viennenſi p. 315. Ut effectu careat Tractatus oppignorandi acatholico Duci Terras, & Proventus Eccleſiæ Hildeſienſis p.441. Ne exercitium acatholicæ Sectæ in Civitate Coloniæ introducatur p.529. Scribit eidem mittere velle Archiepiſcopum Nazarenum ad illi aperiendam veritatem quoad ærumnas ſubditorum Ditionis Eccleſiaſticę p.517. Commendat Epiſcopum Novarienſem à Cæſareis Miniſtris vexatum pro Feudis Novarienſis Eccleſiæ p. 553. Dolet injurias, & damna à Cæſareis Militibus Pontificiæ Ditioni illata p.325. 330. 347. 352. & 470. Gratulatur, quod decreverit promovere in Civitate Hannoverana conſtructionem Eccleſiæ pro Catholicis p.622. Ob oculos ponit damna Pontificiæ Ditioni illata ab ejus Militibus, ab eoque petit reſtitutionem Civitatis Comaclenſis p.592. Ab eodem enixè flagitat, ut Eccleſiaſticam Ditionem liberet ab hybernis Militum ſtationibus p.409. Petit pariter retractationem eorum, quæ contra Eccleſiaſticam Immunitatem ſtatuta fuerant in Regno Neapolitano, & Ducatu Mediolanenſi p.464.

Iſraelis Ory fraudes aperit Perſarum Regi directas ad opprimendos Catholicos in eodem Regno moram facientes p.532.

Italiæ tranquillitati proſpicere ſtudet occaſione ſucceſſionis in Hiſpaniarum Regnis poſt obitum Caroli II. p.17. Illamque promovet officiis cum Ducibus Sabaudiæ, Mantuę, Parmæ, & Mutinæ p.22. Nec non cum Republica Januenſi adhibitis p.23.

Jus viſitandi Parochiales Eccleſias Regularium Epiſcopis competit in concernentibus curam Animarum p.248. Debent tamen iidem Epiſcopi congrua charitate tractare eoſdem Regulares p.248.

K

CArdinalis à Kolonitz officia, & opem exquirit, ut Imperator Leopoldus aures præbeat tractationibus quoad ſucceſſionem in Regnis Hiſpaniarum p.13. Ut ſuffragari velit Miſſionariis ad Turcicam Ditionem tranſmiſſis, ad ſublevandam Catholicorum Orientalium afflictionem p.122. Ejus pietatem commendat ob redemptionem multorum Captivorum à Turcarum tyrannide p.31. Pontificium eidem dolorem ſignificat ob dimiſſionem Nuncii ab Aula Viennenſi, ejuſque officia expoſcit, ut Imperatoris animus ad æquiora conſilia adducatur p.272. Eum requirit, ut operam ſuam interponat favore Eccleſiæ Hildeſienſis p.185. Utque ſtrenue incumbat ad avertenda prejudicia Orthodoxæ Religionis p.133. Zelum laudat, quod Græcorum Schiſmaticorum Hungariæ cum Romana Eccleſia reconciliationem pertractet p.252.

L

CArdinali à Lamberg officia requirit, ne regii honores Marchioni Brandeburgenſi tribuantur p.43. Laudat, quod Cardinalitiæ Dignitatis prærogativas in Comitiis Ratisbonenſibus conſtanter propugnaverit pag. 71. Dolorem illi ſignificat a Pontifice ſuſceptum ob dimiſſionem Nuncii Apoſtolici ab Aula Viennenſi, ejuſque officia poſcit, ut Cæſaris animus ad æquiora conſilia flectatur p.274. Petit, ut ea, quæ in Neapolitano Regno, & in Ducatu Mediolanenſi ſtatuta fuerant adverſus Eccleſiaſticam Immunitatem, de medio tollantur p.467. & 493. Ut aditus intercludatur Hæreticis in Vallem Tellinam p.434. Enixè eidem commendat Catholicos graviter vexatos in Ditione Marchionis Brandeburgici p.492. Et in Hibernia p.545. Eum enixe hortatur, ut ſtrenuè tueatur cauſam Catholicorum adverſus acatholici Principis machinationes p.238. Ut nullum prętermittat officium apud Imperatorem, ad avertenda præjudicia Catholicę Fidei p.133. Ne publicum Sectæ Proteſtantium exercitium Rhenobergæ invehi patiatur p.241. Ut in Conventu Ratisbonenſi nihil Juribus Orthodoxæ Fidei detrahatur p.168. & 596. Ut agat apud Cæſarem, ne ab ejus Militibus Pontificiæ Ditioni damna inferantur p.473. Ut omne ſtudium adhibeat, ne Jura, & Proventus Eccleſiæ Hildeſienſis acatholico Duci oppignorentur p.443. Ab eo petit, ut adeſſe velit Archiepiſcopo Mechlinienſi, cujus authoritas graviter læſa fuerat à Conſilio Brabantiæ p.459. Ut ſua ſtudia conferat, ne Cæſarei Milites hybernas ſtationes in Ditione Eccleſiaſtica ponant p.412. Ut ſedulam navet operam pro tuitione Jurium Eccleſię Hildeſienſis p. 284. Ut promovere velit conſilium à nonnullis ſuſceptum, erigendi Seminarium in Civitate Lyncii pro Nationibus Septemtrionalibus p.375.

Leodienſis Eccleſiæ Canonicos hortatur ad ſtrenuè reſiſtendum inordinatis petitionibus adverſus ejuſdem Eccleſiæ Jura p.487.

A' Leodienſe Epiſcopo petit, ut ſtrenuè curet reparationem damnorum, Immunitati Eccleſiaſticæ illatorum in eadem Civitate p.515.

Leopoldo Imperatori ſuam ad ſummum Pontificatum aſſumptionem ſignificat p.1. Eum hortatur, ut aures præbere velit pacificis tractationibus quoad ſucceſſionem in Hiſpaniarum Regnis p.11. Petit, ut in Regem Pruſſiæ recognoſcere nolit Marchionem Brandeburgenſem p.41. Ne militares copias in Italiam immittat p.36. Eidem ſignificat pro pacis negotio Nuncium extraordinarium ad ipſum mittere decreviſſe Horatium Philippum Spadam Archiepiſcopum Thebarum p.80. Ejus patrocinium implorat Catholicis Orientalibus, Armenæ potiſſimum Nationis, à Turcis multifariam vexatis p.89. Poſtulat Eccleſiaſticam Ditionem à belli calamitatibus inviolatam ſervari p.100. Ejuſdem patrocinium implorat, ne in Civitate Rhenobergæ publicum damnatæ Sectæ exercitium permittatur p.246. Et apud Regem Perſarum pro Catholicis in Regno Perſico commorantibus p.245. Necnon favore Pro-Vicarii Apoſtolici in Hollandia p. 220. & 221. Et pro Catholicis miſerè vexatis in eadem Regione p. 220. Ejuſdem obitum paternè condolet cum Joſepho ejus Filio, ac Succeſſore p.254.

Libellum Janſenianis erroribus refertum in Gallia editum improbat, illiuſque Authores puniri mandat, invocato brachii Regalis auxilio p.140. & 141.

In Lipſienſi Civitate publica Eccleſia pro Catholicis aperitur, ſtudio, & zelo Cardinalis Annibalis Albani p.580.

Lithuaniæ Archiepiſcopos, & Epiſcopos hortatur, ut ad publica componenda diſſidia diligenter incumbant p.128.

Lotharingiæ Ducis Ordinationes adverſus Eccleſiaſticam Immunitatem latas reprobat p.165. Idque Epiſcopis vicinioribus palàm facit p.166. Eos hortatur, ut Eccleſiaſticam Immunitatem defendant p.322. Novam ejuſdem Ducis Conſtitutionem, ſeu Codicem reprobat p.213. Illius uſum, & retentionem ſub gravibus pęnis prohibet p.203. Petitionibus ejuſdem, & Duciſſæ Uxoris annuit, ut eorum Filius nomine Pontificio Fonti Baptiſmatis admoveatur p.407. & 408. Significat modum reducendi ad terminos juris reprobatam Conſtitutionem, ſeu Codicem, læſivum Immunitatis Eccleſiaſticæ p.425. Eumdem Ducem hortatur, ut novam reprobati Codicis editionem adornet juxtà modum in particulari Brevi deſcriptum p.317. Utque ſublatis impedimentis executioni omninò demandet Pontificium Decretum circa reintegrationem Eccleſiaſticæ Immunitatis p.253. Laudibus ipſum ornat ob novum Codicem Pontificiis votis omninò conformem p.650. Ab eo petit, ut Laurea Doctorali inſignitos in Univerſitate Avenionenſi ad publica munera in illius Ditione obeunda admittantur, nihilque ea in re innovari curet p.131. Utque opem ſuam conferat ad corrigenda attentata à Cęſareis Militibus contra Eccleſiaſticam Ditionem p. 479.

Lovanienſem Accademiam laudat ob pręſtitam Pontificiæ Conſtitutioni *Vineam Domini* debitam obedientiam p.290. Et ob zelum circa executionem Formularii Alexandri VII. p.531. Eidem injungit, ut non aliam Viſitationem, niſi illam, quæ à Sede Apoſtolica provenerit, admittat p.91.

Lovanienſis Facultatis Theologicæ noviſſimum Decretum circa Conſtitutionem *Vineam Domini* pro non facto haberi pronunciat; Antiquum verò Apoſtolica authoritate roborat, & confirmat p.649.

A' Lucenſi Republica opem petit pro reparatione damnorum à Cæſareis Militibus Eccleſiaſticæ Ditioni illatorum p.479.

Luceorienſem Epiſcopum hortatur ad roborandam conſtantiam Catholicorum à Moſchis afflictorum p.284.

Ludovici Cardinalis de Portocarrero opem expoſcit pro abolitione eorum, quæ in Belgio adverſus Eccleſiaſticam Immunitatem admiſſa fuerant pag.50. Reliqua *Vide* verbo Cardinalis de Portocarrero.

Lutheranam hæreſim ab Antonio Ulrico Duce

Brun-

Brunſuvicenſi ejuratam illi ſummopere gratulatur p. 628. & 629.

M

MAgnus Dux Etruriæ. *Vide* Etruriæ Magnus Dux.

Magnus Dux Moſchoviæ. *Vide* Moſchoviæ.

Magno Magiſtro Hieroſolymitano gratulatur, quod ejus Claſſis duas Naves Tripolitanas expugnaverit p.557. Reſcribit gratum ſibi extitiſſe reditum Militis Pontificii, quem ſuppetias Melitam miſerat p.489. Reſpondet Jus appellandi ad Apoſtolicam Sedem à Decretis Linguarum ejuſdem Ordinis impediri non poſſe p.263. Subſidia mittit ad tuendam Inſulam Melitenſem adverſus Turcarum conatus p. 461. Eundem laudat ob opem allatam Militibus obſeſſis in Arce Orani p.417. Summoperè hortatur, ut diligenter incumbat ad extirpanda vitia, & abuſus, necnon ad promovenda ſtudia, & nobiles exercitationes inter ſuos Equites p.428. Opem ab eo petit adverſus attentata a Cæſareis Militibus contrà Eccleſiaſticam Ditionem p.480.

Malacitanum Epiſcopum laudat, quòd pecuniam à Catholico Rege mutui oomine à ſuo Clero petitam præſcribere detrectaverit, niſi conſulta prius Apoſtolica Sede p. 373.

Manilæ Archiepiſcopo gratulatur Chriſtianæ Fidei propagationem in Inſulis Philippinis p.404. Eum hortatur, ut quoad Regiones noviter detectas zelum ſuum explicet, animarumque ſaloti in illis partibus diligenter incumbat p.150.

Mantuæ Duci petitum patrocinium, & militare præſidium pollicetur p. 39. Eum paternè admonet, ut honeſtioris vitæ exempla ſuis ſubditis præbeat p.39. Moleſto animo audiviſſe reſcribit, quod conſilium immutaverit p. 40. Illi commendat homines Loci Ponſoni p. 51. Conſilium aperit mittendi Nuncios extraordinarios pro pace inter Chriſtianos Principes p.88. Illi reditum in Italiam gratulatur, & dolet graviſſima mala ejus Ditioni impendentia p.228. Subſidium roganti propter Padi exundationem reſcribit ab eadem calamitate Subditos etiam Pontificios fuiſſe vexatos p.310. Illi, ejuſque Conjugi benignè permittit, ut in quemcumque maluerint Pontificiæ Ditionis locum ſeſe recipere poſſint p.330. Iterum agit de militari Præſidio, quod in Civitate Mantuana conſtitui à Sanctitate Sua poſtulaverat p.366. Illius graves anguſtias commendat Archiepiſcopo Electori Moguntino p.389. Et Epiſcopo Monaſterienſi p.392.

Mantuæ Ducillæ humaniter reſpondet circa calamitates, & pericula Terræmotus, quo Urbs concuſſa fuerat p.152.

Carolus Maratta omnium noſtræ ætatis Pictorum Princeps dicitur p.643.

Maria Eliſabetha Ludovica. *Vide* Bipontina Principiſſa.

Maronitarum Nationis obedientiam benignè excipit, eidemque Pontificii amoris teſtimonia pollicetur p.105.

Batambæ Regem laude proſequitur ob favorem præſtitum Apoſtolicis Miſſionariis p.384.

Matrimonium cum hæretica Muliere contractum à Subdiacono, poſt obtentam facultatem ducendi in Uxorem Mulierem Catholicam, convalidare recuſat p.321.

Matrimonia quando contrahi poſſint inter Catholicam, & illum, cujus ſuſpecta Fides eſt p.306.

Mechlinienſi Archiepiſcopo, ejuſque Suffraganeis mandat, ut non permittant recipi in eorum Eccleſiis deſertores milites per integrum annum, tunc proximum p.262. Quam facultatem bis poſtea prorogat ad alium annum p.413. & 527. Laudat eundem ob exequtionem Apoſtolicæ Conſtitutionis, ad extirpandas Janſenianæ hæreſis reliquias, editæ p.281. Necnon ex eo quod eogere curabat quemdam Sacerdotem ad præſtandam Eccleſiæ debitam obedientiam p.448. Eique injungit, ut eumdem Sacerdotem palàm excommunicatum denunciet, omniaque geſta à Conſilio Brabantiæ contra eumdem Archiepiſcopum irrita declarat p.449.

Mediatorem inter Leopoldum Imperatorem, Joſephum Hungariæ Regem, & Contendentes de ſucceſſione in Hiſpaniarum Regnis, ſe exhibet p.12. & ſeqq.

Cardinalis Medicei conſilium dimittendi Cardinalitiam Dignitatem probat p.547. Ejus dimiſſionem admiſiſſe reſcribit p.554. Ab eodem opem petit pro gravi infortunio Civitatis Piſaurenſis p.557.

Meliaporenſi Epiſcopo aperit audaciam nonnullorum Regularium, qui Patriarchæ Antiocheno, Apoſtolico Viſitatori, debitam obedientiam præſtare renuebant p.335. Tempus declarat, intra quod uti poterat facultate ſibi attributa abſolvendi cum reincidentia quemdam Religioſum Virum p.345.

Mexicano Archiepiſcopo committit, ut Apoſtolica authoritate compellat Epiſcopum novæ Segobiæ ad reſidendum in ſua Eccleſia p.139.

P.Michaelis de Tellier officia poſtulat pro revocatione omnium geſtorum à Laicis Magiſtratibus contra Cardinalem Bullionium p.639.

Milites in Helvetia conſcribi curat pro Pontificii Dominii tutela p.482.

Militum Germanorum tranſitum per Eccleſiaſticam Ditionem graviter dolet, eiſque præſcribit interea modum in tranſitu ſervandum p.453.

Miſſionariis Latini Ritus non eſt concedenda facultas Sacra peragendi Ritu Græco p.250. Enixè eos commendat Perſarum Regi p.47. Necnon Archiepiſcopo Æthiopiæ, & Abbati Generali Monachorum Æthiopum p.575. Portugalliæ Regi, & Sinarum Imperatori p.536. & 537.

Miſſionem deſtinatam ad Inſulas recèns detectas in Sinico Oceano Catholico Regi enixè commendat p.196. Necnon Ludovico XIV. Galliarum Regi, & Archiepiſcopis Manilæ, & Mexicano p.196. & ſeqq. progreſſum Miſſionum in Saxonia commendat Principi Egoni de Furſtemberg, Supremo ejuſdem Ducatus Moderatori p.556.

De Miſſionibus Sinicis fuſe agit occaſione Reſponſionis Cononenſi Epiſcopo, à Sinarum Imperio redeunti p.507.

Moguntinæ Eccleſiæ Canonicis proponit in Coadjutorem Franciſcum Ludovicum ex Comitibus Palatinis germanum fratrem Electoris Palatini p.591.

Mogontini Archiepiſcopi, & Electoris gratulationem ob ſummum Pontificatum benignè excipit p. 30. Eum hortatur ad fortiter obſiſtendum hæreticis, qui gravia Orthodoxæ Religioni damna inferre moliebantur p. 35. Conſilium ei aperit allegandi Nuncios extraordinarios pro pace inter Principes Chriſtianos p.88. Illi commendat Catholicos, & Pro-Vicarium Apoſtolicum in Hollandia p.123. Seriò hortatur ad propugnandas Catholicæ Fidei rationes p.174. Admonet, ne publicum Sectæ Proteſtantium exercitium Renhobergæ invehi patiatur p.240. Ut in Conventu Ratisbonenſi Orthodoxæ Religionis Jura ſtrenuè tueatur p.168. Eidem ſignificat dolorem ex dimiſſione Nuncii ab Aula Viennenſi ſuſceptum, ejuſque officia expoſcit, ut Imperatoris animus ad æquiora conſilia adducatur

p.276. Graviter arguit, quòd non obſtiterit adjudicationi Dignitatis Electoralis acatholico Duci p.358. Laudibus ornat, quòd promovere velit conſilium à nonnullis ſuſceptum erigendi Seminarium in Civitate Lyncii pro Nationibus Septemtrionalibus p.376. Eidem explicat gaudium, quod ex converſione Eliſabethæ Chriſtinæ Duciſſæ Brunſuicenſis ad Catholicam Fidem ſuſceperat p.380. Commendat rationes Ducis Mantuæ p.389. Ejus officia petit ad impediendum aditum Hæreticis in Vallem Tellinam p.435. Illum requirit ut omne adhibeat ſtudium, ne jura, & proventus Eccleſiæ Hildeſienſis acatholico Duci oppignorentur p.444. Ab eo petit, ut adeſſe velit Archiepiſcopo Mechlinienſi, cujus authoritas graviter læſa fuerat à Conſilio Brabantiæ p.460. Eum impensè hortatur, ut agat apud Cæſarem, ne ab ejus militibus Pontificiæ Ditioni damna inſerantur p. 474. Illi diligenter commendat Catholicos graviter vexatos in Ditione Marchionis Brandeburgenſis p.492. Ejus zelum excitat ob attentata in Regno Neapolitano, & Ducatu Mediolanenſi commiſſa contra Apoſtolicæ Sedis jura p. 495. Opem implorat pro executione conſilij Ducis Vittembergenſis redeundi ad gremium Catholicæ Eccleſiæ p.498. Plura injungit ad arcenda ſcandala, quæ in negotio ejus Coadjutoriæ ſuborta fuerant p. 600. Summopere gratulatur ob operam præſtitam converſioni Ducis Brunſuicenſis ad Catholicam Fidem, eumque hortatur, ut omnem adhibeat diligentiam ad hoc, ut illam publicè profiteatur p.609. Laudibus ornat, quod ejus tandem opera Dux Brunſuicenſis Lutheranam hæreſim ejuraverit p.629. Viſitationem omnium Hoſpitalium ſuæ Diœceſis illi committit etiam jure delegato p.635.

Monaſterienſes Canonicos paternè hortatur ad mutuam concordiam, & fraternam colendam charitatem p.378.

Monaſterienſi Epiſcopo illam commendat Eccleſiam, eumque hortatur ad reparanda damna ex diuturna vacatione, in ipſam invecta p.376. Paternè eum arguit, quod Colonienſi Magiſtratui author fuerit ineundi pernicioſum Tractatum circa exercitium damnatæ Sectæ in illa Civitate p.530. Enixè eum hortatur, ut omnem conferat operam, ne idem exercitium damnatæ Sectæ in dicta Civitate invehatur p. 525. & 597. Ejuſdem Epiſcopi purgationem admittit circa ea, quæ Pontifici renunciata fuerant quoad d. Tractatum p.620. Seriò eum urget ad fortiter reſiſtendum Hæreticis, gravia Catholicę Religioni damna inferre paratis p.135. Utque erga omnes Capitulares æquum oſtendat animum, comprehenſis etiam illis, qui in illius electione in alios ſuffragia direxerant p.377. Ab eo petit, ut adeſſe velit Archiepiſcopo Mechlinienſi adverſus attentata Conſilii Brabantiæ p.460. Injungit eidem, ut curet, ne Imperialis Preciſta propoſitum aſſequatur p. 549. Laudat eumdem, quod fortiter obſtiterit conatibus ejuſdem Imperialis Preciſtæ p. 562. Quodque Hybernos Catholicos ſummoperè ab Acatholicis afflictos ſublevare curaverit p. 651. Implorat ab eo opem pro executione conſilii Ducis Wittembergenſis redeundi ad gremium Catholicæ Eccleſiæ p.500.

Moniales Adorationis perpetuæ SSmi Sacramenti, Pariſienſem Civitatem repetentes, Cardinali de Noailles, earumque Prioriſſæ commendat p.514. & 515.

Monialium S Claræ de Albaro, Civitatis Januæ, contumacia, & temeritas notatur, & damnatur p.226.

Monialibus S. Mariæ Angelorum Florentiæ gratias agit pro Reliquia S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, eidem dono data p.156. Plenariam perpetuam eis concedit Indulgentiam pro qualibet Feria ſexta cujuslibet Hebdomadæ p 595.

Monialibus B.M.V. Anneſij pro Sac.Reliquia S.Franciſci Saleſii, ſibi dono miſſa, gratias agit, eiſdemque facultatem concedit recludendi Arcam, in qua Corpus ejuſdem Sancti continetur p.201. Significationes obſervantiæ earumdem, & Stolam bombycinam auro intextam ſibi miſſam benigno animo excipit, eiſdemque reſcribit remiſiſſe Congregationi Rituum earum preces circa ſpecialem cultum Cordis D. N. J. C. p.374. Gratulatur eiſdem appropinquante ſeculari anno ab illius inſtitutione, eaſque hortatur ad cuſtodienda monita eis relicta ab earum Fundatore p.551.

Moſchoviæ Magno Duci reſcribit gratum ſibi accidiſſe conſilium permittendi publicum exercitium Catholicæ Religionis in Locis ejus Imperio ſubjectis p.406. Quod exercitium poſteà obtinere procurat p.583. & ſeqq.

Mutinæ Ducem hortatur, ut ſuam operam impendat pro obtinenda Italiæ tranquillitate p.22. Conſilium aperit mittendi Nuncios extraordinarios ad procurandam pacem p. 88. Ejus anguſtiis compatitur, eidemque quidquid à Pontificia authoritate proficiſci poteſt, benignè exhibet p.177. Ejus favore ſcribit Chriſtianiſſimo Regi p.220. Exhibet iterum eidem omnia Pontificiæ benevolentiæ teſtimonia p. 188.

N

NAhabiet, Armenorum Patriarchæ commendat aliquos Miſſionarios Ordinis S. Dominici p.48.

Naſſoviæ Principis Guillelmi Hyacinthi novum in ſua Ditione Templum, loco alterius incendio conſumpti, extruere meditantis pietatem laudat p. 65.

Natalium defectu laborantes evehi non debent ad Epiſcopalem Dignitatem p.67.

Naxivanienſem Archiepiſcopum Perſarum Regi commendat p.155.

Neapolitanæ Civitatis Electis gratias agit pro gratulatione, occaſione aſſumptionis ad ſummum Pontificatum p.27. In eadem Civitate, & Regno graviſſima ſcandala, contra Eccleſiaſticam Immunitatem admiſſa, aperit Cardinali Pignatello Archiepiſcopo Neapolitano, cumque laudat ob publicas indictas preces ad avertendam Divinam ultionem p.626.

Cum Neapolitano Pro-Rege conqueritur de novo tranſitu Germanorum Militum per Eccleſiaſticam Ditionem p.453.

Neoburgi Duciſſæ Annæ Mariæ Ludovicæ zelum laudat, quod ad levandas Catholicorum Hybernorum calamitates opem ſuam contulerit p.652.

Neoburgi Ducem, Palatinum Electorem ſtrenuè hortatur, ne regios honores tribuat Friderico Marchioni Braudeburgi p. 45. Ut omne ſtudium adhibeat, ne Jura, & proventus Eccleſiæ Hildeſienſis acatholico Duci oppignorentur p. 445. Officia ab eo petit ad impediendum aditum Hæreticis in Vallem Tellinam p.427.

Reliqua *Vide* verb. Palatinus.

Cardinalis de Noailles officia petit pro revocatione omnium geſtorum à Laicis Magiſtratibus contra Cardinalem Bullionium p.638. Commendat eidem Moniales Adorationis perpetuæ SSmi Sacramenti Pariſienſem Civitatem repetentes p.514. Gratum explicat animum, ob gratuitum ſubſidium à Cle-

ro Gallicano procuratum Archiepiſcopo Caſſellenſi, & Epiſcopo Conſertenſi p.291. Benigne illi reſpondet quoad Conſtitutionem adverſus Reliquias Janſenianæ hæreſis paulò antę editam p. 286.
Novarienſem Epiſcopum commendat Joſepho Imperatori, ut eximatur à magna pecuniarum ſumma titulo Feudorum ob eo petita p.553.
Nubiæ Regem hortatur ad ampleċtandam Catholicam Religionem p.64.
Nuncii Apoſtolici ad Traċtum Rheni declarationem confirmat, circa damnatæ Seċtę exercitia in Civitate Coloniæ p.528.
De Nuncii Apoſtolici dimiſſione ab Aula Viennenſi conqueritur cum Imperatrice Eleonora Magdalena, ejuſque pietatem excitat, ut ad æquiora conſilia fleċtat Cæſarem ejus Filium p.272. Eandem dimiſſionem vehementer dolet, & ſcandala inde provenientia multis Principibus ob oculos ponit, p. 270. & ſeqq.

O

Occupationem aliquorum Locorum Ditionis Eccleſiaſticæ graviter dolet cum Joſepho Imperatore, multiſque aliis Principibus, & Electoribus Imperii p. 475. & ſeqq.
Opem à Rege Galliarum, aliiſque Principibus, & Rebuspublicis petit pro defenſione Ditionis Eccleſiaſticæ adverſus attentata à Cæſareis Militibus p. 477.
Opus divinæ voluntatis eſt electio ad ſummum Pontificatum p. 5.
Orano obſeſſo, laudat Magnum Magiſtrum Ordinis Hieroſolymitani propter opem allatam illius Defenſoribus p.417.
Oratoris Regis Galliarum in Civitate Conſtantinopolitana zelum laudat ob auxilium præſtitum Catholicis in illa vexatis p.438. Et patrocinium, quo ibidem Cultores Catholicæ Religionis benignè fovet p.160. & 264.
Ordinationes adverſus Eccleſiaſticam Immunitatem, à Duce Lotharingiæ editas revocat p.165. Idque vicinioribus Epiſcopis denunciat p.166.
Ordinibus Sacris initiari procurat Coloniæ Electorem, Joſephum Clementem ex Ducibus Bavariæ p.236.
Oſnaburgenſis Eccleſiæ electi Epiſcopi officia petit ad impediendum aditum Hæreticis in Vallem Tellinam p.436. Gratum eidem explicat animum ob conſenſum præſtitum reſervationi annuæ perpetuæ Penſionis ad favorem Eccleſiæ Urbinatenſis ſuper fructibus Abbatiæ Claravallenſis p.257. Susceptum dolorem ſignificat ob dimiſſionem Nuncii ab Aula Viennenſi, ejuſque officia expoſcit, ut Imperatoris animus ad æquiora conſilia flectâtur p. 277. Eum vehementer hortatur ad fortiter reſiſtendum Hæreticis, qui gravia orthodoxæ Religioni damna inferre parati erant p.135. Utque urgeat apud Cæſarem, ne ab ejus Militibus Pontificiæ Ditioni damna inferantur p.475. Ab eodem petit, ut adeſſe velit Archiepiſcopo Mechlinienſi, cujus authoritas graviter læſa fuerat à Conſilio Brabantiæ p.460.

P

Pacis conſilia inter Catholicos Principes procurandæ ſummoperè cordi eſſe debent Summo Pontifici p.1. & ſeqq., & p.15. & ſeqq. Tractationes Pacis ob ſucceſſionem in Regnis Hiſpaniarum maximè commendat Regibus Portugalliæ, Poloniæ, Venetæ Reipublicæ, aliiſque Principibus p. 15. & ſeqq. Ad illam conciliandam mittere decreviſſe Nuncios extraordinarios omnibus penè Catholicis Principibus denunciat p. 80. & ſeqq. Pro exequtione quarti articuli Pacificationis Riſuvicenſis urget Electorem Palatinum Rheni, & Archiepiſcopum Saliſburgenſem p.126. & 129.
Pacificationis Altranſtadenſis Tractatus inter Poloniæ Regem, & Svecos, eiſque Adhærentes, damnat, ac irritat p.577. Qua de re ejuſdem Polonię Regis reſponſum ſubnectitur p.579.
Paderbornenſi Epiſcopo gratias agit de Sacris Reliquiis S. Liborii, ſibi dono datis: Eidemque gratulatur conſilium decorandi Eccleſiam Lateranenſem marmoreo Simulacro S. Joannis Apoſtoli p.190. Eum vehementer hortatur ad fortiter reſiſtendum Hæreticis, qui gravia Orthodoxæ Religioni damna inferre parati erant p.135. Utque libertatem electionis Epiſcopi Monaſterienſis ſedulò promoveat p.327.
A' Pagis Helveticis Catholicis flagitat, ut ter mille delectos Milites ad Sanctitatem Suam expedire velint p.482.
Palatinum Electorem hortatur ad avertendum imminens bellum pro ſucceſſione in Regnis Hiſpaniarum p. 26. Ad jura Ordinis Teuthonicorum ſtrenuè propugnanda p.53. Eidem ſignificat conſilium mittendi Nuncios extraordinarios pro Pace inter Principes Chriſtianos p.87. Excitat ad fortiter obſiſtendum conatibus hæreticorum, qui gravia Orthodoxæ Fidei damna inferre tentabant p. 134., & 238. Illi enixe commendat Catholicos, & Pro-Vicarium Apoſtolicum Hollandiæ p.170., & 211. Necnon Principum Jacobi, & Conſtantini Sobjeski rationes p. 212. Et negotia Ducis Mantuæ p. 390. Ejus zelum laudat, quod Capitulum Vormatienſe adducere curet ad præſtandam Mandatis Apoſtolicis debitam obedientiam p. 312. Dolet Apoſtolici Nuncii dimiſſionem ab Aula Viennenſi, ejuſque officia poſtulat, ut Imperatoris animus ad æquiora conſilia flectatur p.287. Petit, ut hæreticorum audaciam adverſus Eccleſiæ Hildeſienſis jura cohibeat p. 186. Catholicæ Religionis tutelam in Civitate Coloniæ illi enixè commendat p.490. Ejus opem implorat pro executione conſilii Ducis Vittembergenſis amplectendi Catholicam Religionem p. 499. Rurſus ab eo poſcit, ut hæreſis exercitium in Civitate Coloniæ impediat p. 516. Enixè flagitat revocationem eorum, quæ ab ejus Conſilio adverſus Immunitatem Eccleſiaſticam attentabantur p. 427. Declarat Indultum exigendi ſubſidia à Clero Juliacenſi, & Bergenſi nullum inferre præjudicium juribus utriuſque partis p. 431. Poſtulat ut adeſſe velit Archiepiſcopo Mechlinienſi, cujus authoritas à Conſilio Brabantiæ graviter læſa fuerat p. 460. Ut agat apud Cæſarem, ne ab ejus Militibus Pontificiæ Ditioni damna inferantur p. 474. Eidem explicat inſignes injurias, & graviſſima detrimenta Apoſtolicæ Sedi illata a Cæſareis Militibus, ejuſque officia petit pro illorum congrua reparatione pag. 503. Petit ut exercitium damnatæ Sectę in Civitate Coloniæ omni ſtudio impediat p.510., & 593. Ut authoritate ſuâ curet, ne in Oppido Porceti propè Aquiſgranum conſtruatur ædificium ad uſum ſcholæ damnatæ Sectæ p. 653.
Parmæ Duci benignè reſpondet occaſione gratulationis ob aſſumptionem ad ſummum Pontificatum p. 27. Eidem conſilium aperit mittendi Nuncios extraordinarios ad procurandam Pacem p. 88. Si-

Google

gnificat Pontificio Milite communire decreviſſe Civitates Parmæ, & Placentiæ p. 107. Gratam explicat voluntatem ob humanitatis officia præſtita Apoſtolico Commiſſario, & Pontificiis Militibus indè recedentibus p. 439. Opem ab eo petit adverſus attentata à Cæſareis Militibus contra Eccleſiaſticam Ditionem p.479. Laudibus eum ornat, quod eximio ſtudio incumbat ad avertenda à ſua Ditione Catholicæ Fidei detrimenta p.361.

Paſtoralem vigilantiam Archiepiſcopi N.N. excitat ad tollenda ſcandala in ſua Civitate exorta p.559.

Patriarcha Antiochenus; *Vide* Antiochenus Patriarcha.

Penſionem perpetuam ſuper fructibus Abbatiæ Claravallenſis reſervat fauore Metropolitanæ Eccleſiæ Urbinatis p.257.

Perſarum Regi commendat Naxivanienſem Archiepiſcopum p.155. Chriſtianos in illius Ditione commorantes, qui à Regiis Adminiſtris acerbè vexabantur p. 261. Miſſionarios Ordinis S. Dominici p.47. Aperit eidem fraudes Iſraelis Ory, directas ad opprimendos Catholicos in eodem Regno moram facientes p. 522. Laudibus eum proſequitur quòd Apoſtolicos Miſſionarios in ſua Ditione benignè exceperit, eique nonnulla munuſcula mittit p. 241.

Peruſinâ in Rotâ locum fixum aſſignandi Civi Urbinati conſilium approbat, gratumque animum ob id DecemViris illius Civitatis oſtendit p. 302.

Petro Otthobono, S.R.E. Cardinali gratulatur, quod ſoſpes ad Florentinam Civitatem pervenerit p. 547.

Pietatem Principis Naſſovii Guillelmi Hyacinthi laudat, quod novum Templum, loco alterius incendio conſumpti, extruere meditetur in ſua Ditione p.65.

Cardinalem Pignattellum laudat, quod publicis indictis precibus Divinam indignationem avertere procuraverit, ob innumera præjudicia in Regno Neapolitano Eccleſiaſticæ Immunitati illata p. 626.

Piſaurenſem Civitatem à gravi infortunio præſervare cupiens, opem petit à Principe Franciſco Maria Mediceo p.557.

Philadelphiæ Archiepiſcopo benignè reſpondens, S. Athanaſii laudes celebrat p. 69.

Philippi V. pietatem commendat, ob filialem erga S. Sedem obſervantiam p. 297.

Reliqua *Vide* verbo Hiſpaniarum Rex.

Philippinarum Inſularum Præfectum Generalem laudat, quod Apoſtolicos Miſſionarios omnibus amoris ſignificationibus fuerit proſequutus p.484.

Plocenſem Eccleſiam, & Ruthenos Monachos Poloniæ Regi commendat ob gravia damna à Moſchis Militibus eiſdem illata p.644. & 647.

Poloniæ Principis Regii inſtitutionem in Catholica Fide enixè commendat Principi Egoni de Fuſtemberg p. 556.

Poloniæ Regi ſuam ad Summum Pontificatum aſſumptionem ſignificat p.6. Eum hortatur, ut Lutheranæ Sectæ exercitium in Civitate Varſaviæ omninò impediat p.52 Conſilium ſignificat allegandi Nuncios Extraordinarios pro pace, ejuſque officia eumdem in ſcopum expoſcit p.83. Eum excitat ad Catholicæ Religionis tutelam, & omnia officia pollicetur p.74. Poſtulat, nè regios honores Marchioni Brandeburgenſi tribuat p.42. Ut unionem Ruthenorum cum Romana Eccleſia promoveat p.49. Paternè arguit, quod Principem Natum ſuum Acatholicis hominibus inſtituendum tradiderit p.67. Monita pro illius in Catholica Religione inſtitutione à M.S. filiali obſervantia excepta fuiſſe lætatur p.70. ejus patrocinium implorat pro Catholicis Orientalibus, Armenæ potiſſimum Nationis, multifariam à Turcis vexatis p.90. Eum seriò hortatur, ut Principem Natum ſuum Catholicis præceptoribus aſſignare non differat p.123. 160. & 554. Gratulatur eidem, quod publicam Eccleſiam in Civitate Dreſdæ pro Catholicis aperiri curaverit p.468. Ejus officia petit, ut attentata à Cæſareis Militibus contra Eccleſiaſticam Ditionem ſarciantur pag. 478. Commendat M. S. Capitulum, & Canonicos Budiſſenſes p.597. Cathedralem Eccleſiam Plocenſem, & Monaſteria S. Baſilii à Moſchis Militibus peſſimè habita p.644. & 647. Enixe hortatur, ut curet Regni tranquillitatem, & Catholicæ præſertim fidei rationem habeat in proximis Comitiis p.146. Inſtat pro abrogatione Diplomatis contra Catholicos ejus ſubditos ab ipſo per dolum extorti p.95. Libertatem Principum Jacobi, & Conſtantini Sobjeſki M. S. enixe commendat p.164.199. 204.219.281. ejuſque poſtulata pro eorumdem Principum liberatione probat p.263. Dolorem explicat ob attentata in Comitiis Varſavienſibus contra Regiam Dignitatem p.214. Significat conſilium mittendi in Poloniam Cardinalem munere Apoſtolici Legati decoratum, qui publicam tranquillitatem conciliare ſtudeat p.205. Magnam oſtendit animi moleſtiam cepiſſe ex triſti eventu Comitiorum Regni p.310. Dolorem aperit ſuſceptum ex dimiſſione Nuncii Apoſtolici ab Aula Vienneuſi p.270. Laudibus ornat, quod Epiſcopi Poſnanienſis Cauſam Apoſtolicæ Sedi definiendam reliquerit, ipſumque Epiſcopum ad Urbem ſub cuſtodia adduci curaverit p.258. commendat M S. Catholicæ Religionis incrementa in Ducatu Saxoniæ p.506. Rationes, & negotia Reginæ Viduæ Poloniæ, illiuſque Filiorum p.586. Gratum profitetur animum, quod honorificè exceperit Nepotem ſuum Annibalem Albanum, poſtea S. R. E. Cardinalem, eumdemque Regem rursùs hortatur, ut Principem Natum ſuum Catholicæ Fidei Præceptis imbui diligenter curet p.611. Poſtulat à M. S., ut in Civitate Lipſiæ locum aſſignari mandet, ubi Catholici Eccleſiam extruere poſſint p.613.

Poloniæ Reginæ Viduæ nonnulla ſignificat ab Electore Bavarico admiſſa in Civitate Auguſtana, ut, quatenus vera ſint, ea ſarciri curet p 145. Ab illa petit, ut ad notitiam Imperatricis perferre curet deteſtabile Sacrilegium, ab hæreticis Militibus commiſſum prope Mantuæ Civitatem p. 102. Libertatem ejus Filiorum, ejuſque rationes Auguſto Poloniæ Regi enixè commendat p.508.

Poloniæ Archiepiſcopos, Epiſcopos, Senatores, & alios Equeſtris Ordinis enixe hortatur, vt ſtrenue obſiſtant machinationibus cupientis perturbare illorum Regnum, & Religionem p.74. Ut Catholicę Fidei incolumitatem, & incrementa promoveant p.57. & ſeqq. & 74. & ſeqq. Ut Ruthenos ab inſidiis Schiſmaticorum tueri velint p.624. Ut Apoſtolicæ Sedis jura ſtrenuè tueantur p.421. 422. 423. Ut ad publica componenda diſſidia diligenter incumbant p.128.146.147. Laudibus eos ornat, quod Regiam Cauſam ſtrenuè propugnaverint, ac ea improbat, quæ pauci Eccleſiaſtici cum Hæreticis conjuncti decreverant p.217. & 218. Poloniæ Archiepiſcopos, & Epiſcopos paterne admonet, ut apud ſuas Eccleſias reſideant p.546.

Poloniæ Pro-Cancellario Plocenſem Eccleſiam, & Ruthenos Monachos commendat ob gravia damna à Moſchis Militibus eiſdem illata p.645. & 647. Ab eo urgeri petit apud Magnum Ducem Moſchoviæ promulgationem Diplomatis pro libero exercitio

Catho-

Catholicæ Religionis in ſuis Ditionibus p.285.

Cardinali de Portocarrero gratulatur inſignia ornamenta donata Liberianæ Baſilicæ, & Eccleſiæ Prænestinæ: Necnon conſilium exornandi Baſilicam Lateranenſem marmoreo Simulacro unius ex duodecim Apoſtolis p.497. Eum graviter admonet, nè imminui ſinat prærogativas Cardinalitiæ Dignitatis p.452. Et ob conſenſum præſtitum exactioni pecuniarum ab Eccleſiis Hiſpaniarum, Apoſtolico beneplacito non obſento p.372. Ab eo petit, ut ſedulò curet, nè Regii honores tribuantur Friderico Marchioni Brandeburgi p.44.

Portugalliæ Regi ſuam ad Summum Pontificatum aſſumptionem ſignificat p.5. Conſilium aperit allegandi Nuncios Extraordinarios pro pace, ejuſque in hunc ſcopum officia poſcit p.83. Eum hortatur, ut Quindenniorum debitores ad illa ſolvendum Apoſtolicæ Sedi compellat p.158. Ut retractari curet ea, quæ adverſus mandata Nuncii Pontificii geſta fuerant p.230. Gratias agit, quòd auditis periculis Urbis à Terræmotu, Divinam Miſericordiam exorare curaverit p.157. Gratum profitetur animum, quòd unum ex marmoreis Simulacris in Baſilicæ Lateranenſis ornamentum ſuis ſumptibus confici mandaverit p.172. Dolorem explicat, quem ob M. S. gravem ægritudinem ſuſceperat p.245. Regium zelum urget, ut Archiepiſcopum Cranganorenſem in ſuæ Eccleſiæ poſſeſſionem induci curet p.351. Opem ab eo poſcit pro attentatis à Cæſareis Militibus contra Eccleſiaſticam Ditionem p.477. Illi commendat Apoſtolicum Viſitatorem ad Sinarum Imperium allegatum p.537. Graviter cum eo conqueritur atroces injurias, quibus Cardinalis de Tournon, ejuſque Socii in Civitate Machaonenſi affecti fuerant p.539. & 616. Regiis votis annuit conceſsâ Apoſtolicâ diſpenſatione pro duplici Matrimonio, & à M. S. vehementer flagitat, ut priſtinam libertatem Cardinali de Tournon reddi curet p.631.

A Portugalliæ Regina Maria Catharina, Regis ſorore, petit, ut operam ſuam conferat pro ſolutione Quindenniorum Apoſtolicæ Sedi debitorum in eodem Regno p.251.

Poſnanienſis Epiſcopi Cauſa Sedi Apoſtolicæ definienda remiſſa fuit à Poloniæ Rege, una cum Perſona ejuſdem Epiſcopi p.258. Ejuſdem Eccleſiæ Canonicos graviter increpat ob Templa ab Hæreticis in eadem Diœceſi aperta p.550.

Preces Primarias Imperiales ubique rejiciendas eſſe decernit, ſecluſo Apoſtolico Indulto p.308. 414. 415. 605.

Preciſtæ Imperiali fortiter reſiſtendum eſſe ſcribit Monaſterienſi Epiſcopo p.549. Sine Apoſtolico Indulto nunquam admittendos eſſe mandat eoſdem Preciſtas p.408.

Q

Quindenniorum ſolutionem urget in Regno Portugalliæ p.158. Cujus Regem hortatur ad retractationem eorum, quæ contra mandata Pontificii Nuncii geſta fuerant p.230 251. 631. & 632. eadem inſinuat Reginæ Catharinæ Mariæ, Regis ſorori p. 235.

R

Cardinalem Radzienski vehementèr hortatur ad procurandam publicam tranquillitatem in Regnu Poloniæ p.105. & p.110. 164. 188. Necnon, ut Religioni tuendæ in eodem Poloniæ Regno ſtrenuè incumbat p.56. & 63. Eidem mandat, nè Regios honores tribuat Friderico Marchioni Brandeburgi p.44. Eum graviter increpat ob attentata adverſus Regem Auguſtum, eique præcipit, ut intra tres menſes Romam accedat p.215.

Raguſinæ Reipublicæ gratulatur diminutionem annui Tributi, quod Turcarum Tyranno pendere cogitur p. 163. Cum illa graviter conqueritur ejectionem Vicarii Generalis, & alia plura contra Eccleſiaſticam Immunitatem ibidem admiſſa p.613.

Ratisbonenſis Eccleſiæ Canonicos laudat, quòd ſtrenuè jura illius Eccleſiæ defenderint p.483.

Regina Poloniæ. *Vide* Poloniæ Regina.

Reginam Viduam Hiſpaniarum Mariam Annam Chriſtianiſſimo Regi enixe commendat p.34.

Regularium nonnullorum audaciam damnat, ex quo Patriarchæ Antiocheno, Apoſtolico Viſitatori in Sinarum Imperio, debitam præſtare obedientiam renuebant p.333.

Religionis Catholicæ cultum Armenorum Patriarchæ commendat p.621.

Contra Religioſos Excalceatos Ordinis S. Auguſtini geſta in Galliis à Seculari Poteſtate nulla, & irrita declarat p 447.

Reſpublica Januenſis; *Vide* Januenſis Reſpublica.

Reſpublica Raguſina; *Vide* Raguſina Reſpublica.

Reſpublica Veneta; *Vide* Veneta Reſpublica.

Reſignationes Beneficiorum S. R. E. Cardinalium eorumdem Conſanguineorum favore admittere ſemper renuit p.642.

Rex Galliarum dicitur Filius Primogenitus Catholicæ Eccleſiæ p.10. Reliqua. *Vide* verbo Galliarum Rex.

Rex Hiſpaniarum; *Vide* Hiſpaniarum Rex.

Rex Hungariæ; *Vide* Hungariæ Rex.

Rex Nubiæ; *Vide* Nubiæ Rex.

Rex Poloniæ; *Vide* Poloniæ Rex.

Rex Portugalliæ; *Vide* Portugalliæ Rex.

Rex Romanorum; *Vide* Romanorum Rex.

Rhenobergæ exercitium damnatæ Sectæ omni ſtudio impedire procurat p.241.

Roſalienſis Epiſcopi labores in Sinica Miſſione commendat p.69.

In Rota Maceratenſi fixum locum tribuit uni ex Collegio Doctorum Civitatis Urbini p.269. *Vide* Perulina Rota.

Ruthenorum Epiſcopum Szumlanski laudat ob unionem cum Apoſtolica Sede, eumque hortatur, ut alios ad Eccleſiæ Romanæ gremium revocare ſtudeat p.61.

Ruthenos unitos Romanæ Eccleſiæ protegit, & Præſules, ac Senatores Poloniæ urget, ut ab inſidiis Schiſmaticorum illos tueri velint pag.624. & ſeqq. Unionem eorundem cum Romana Eccleſia commendat Poloniæ Regi p.49.

S

Sabaudiæ Duci officioſè reſcribit circa aſſumptionem ſuam ad Summum Pontificatum p.11. Conſilium aperit allegandi Nuncios Extraordinarios, qui Pacis negocium inter Catholicos Principes ſtrenuè promoveant p.86. Graviter eum adhortatur, ut ſanari curet vulnera Eccleſiaſticæ libertati in ejus Ditione inflicta p.113. Nec non ut publicam Italiæ tranquillitatem promoveat p.21. Ejus conditionem dolet ob perturbatam illius tranquillitatem, ſuaque officia ipſi offert p.181. Opem ab eo petit adverſus attentata à Cæſareis Militibus contra Eccleſiaſticam Ditionem p.470. Eidem Catholicos in Hibernia ſummoperè vexatos commendat p.588.

Salisburgenſis Archiepiſcopi liberalitatem commen-

dat, quòd ſuis ſumptibus unum ex marmoreis Simulacris Sanctorum Apoſtolorum in Lateranenſi Baſilica collocare ſtatuerit p.171. Ejus officia petit ad impediendum aditum Hæreticis in Vallem Tellinam p.434. Vehementer eum hortatur ad fortiter reſiſtendum Hæreticis, qui gravia Orthodoxæ Religioni damna inferre parati erant p.135. Ab eo petit, ut in Conventu Ratisbonenſi Orthodoxæ Fidei jura ſtrenue tueatur p.169. Utque promovere velit conſilium à nonnullis ſuſceptum erigendi Seminarium in Civitate Lyncii pro Nationibus Septemtrionalibus p.376.

Salmenſem Principem eniaè hortatur, ut ſuis officiis Cæſarem adducat ad præſervandam Eccleſiaſticam Ditionem à licentia Germanorum Militum p.349.

Cardinalis de Saxonia zelum laudat propter opportuna remedia ad turbas ſedandas in Hungaria adhibita p.371. Eidem, uti Hungariæ Primati, amplas attribuit facultates adverſus Seculares, & Regulares, turbas, & ſeditiones in eodem Regno excitantes p.560. Nec non injungit, ut fortiter Eccleſiæ libertatem in eodem Regno tueatur p.367. Poteſtatem eidem tribuit conficiendi Proceſſum contra Epiſcopum Agrienſem læſæ Majeſtatis prętenſum Reum p.646. Eniaè commendat eidem Catholicos graviter vexatos in Ditione Marchionis Brandeburgici p. 492. Paternam aperit voluntatem erga Joſephum Imperatorem, & ſcribit graviter tuliſſe aliquorum conſilium quoad propoſitas pacificationis conditiones p.364. Eum ſtrenue hortatur, ut omne ſtudium adhibeat, nè jura, & proventus Eccleſiæ Hildeſienſis acatholico Duci oppignorentur p.444. Utque agat apud Cæſarem, nè ab ejus Militibus Pontificiæ Ditioni damna inferantur p.474. Cum illo conqueritur iniquas Pacis conditiones, quas Rex Poloniæ non detrectaverat p.363. Ejus officia petit, ut quæ in Neapolitano Regno, & in Ducatu Mediolanenſi ſtatuta fuerant adverſus Eccleſiaſticam Immunitatem, de medio tollantur p.467. & 495. Ut aditus impediatur Hæreticis in Vallem Tellinam p.433. Ut ſua ſtudia conferat, nè Cæſarei Milites Hybernas ſtationes in Ditione Eccleſiaſtica faciant p.411. Ut adeſſe velit Archiepiſcopo Mechlinienſi, cujus authoritas graviter læſa fuerat à Conſilio Brabantiæ p.459. Ut omnia ſtudia adhibeat, nè juribus Imperatoris quidquam detrahatur in Hungariæ Regno p.396.

Scandala à quadam Civitate avertere procurans, excitat zelum illius Archiepiſcopi p.559.

Scotiæ, Angliæ, & Hiberniæ Catholicos hortatur ad cuſtodiendam Apoſtolicam Conſtitutionem = *Vineam Domini* = & vitandam lectionem librorum vero ſenſui ejuſdem oppoſitorum p.563.

Scultetorum Helveticorum opem implorat pro executione conſilii Ducis Wittembergenſis redeundi ad gremium Catholicæ Eccleſiæ p.502.

Sebaſtenum Archiepiſcopum à Vicariatu Apoſtolico Hollandiæ ſuſpendiſſe juſtis de cauſis nunciat Catholicis univerſis in illis Partibus conſtitutis p.150.

Sectæ Calviniſticæ exercitium omni ſtudio impedire procurat in Civitate Coloniæ p.516. Ad quem effectum confirmat declarationem Nuncii Apoſtolici ad Tractum Rheni p.528. Circa Tractatus ejuſdem exercitii admittit purgationem Epiſcopi Monaſterienſis p.620.

Ad ſeditiones comprimendas in Regno Hungariæ amplas facultates attribuit Cardinali de Saxonia, ejuſdem Regni Primati p.560.

A' Sedunenſi Epiſcopo opem requirit circa delectum Militum pro defenſione Eccleſiaſticæ Ditionis p.479.

Seminarii fundationem in Civitate Manilæ Catholico Regi commendat p.402. Illud in Eccleſia Tornacenſi erectum fuiſſe gratulatur Electori Coloniæ p.225. Ejuſque conſilium erigendi Seminaria in aliis Locis ſuæ Diœceſis laudat. Ibidem.

Senatuum quinque ex octo Pagis Helveticis Catholicis pietatem laudat ob Apoſtolicas Miſſiones in Helvetia peractas, circa quas plura deindè ſubdit p. 292.

Sinarum Imperatori commendat Apoſtolicum Viſitatorem, ab eoque petit, ut illum liberaliter excipere velit p.114. Eum hortatur, ut fovere velit Miſſionarios in ejus Imperio exiſtentes p.535.

De Sinicis Ritibus Controverſiam, quamvis maturè expenſam, ulteriori examini ſubiicere velle declarat p.132. Ejuſdemque Controverſiæ naturam talem eſſe aſſerit, ut nullo officiorum genere urgeri debeat p.132.

Sondi Ducem laude proſequitur ob tuitionem Apoſtolicorum Miſſionariorum p.386.

Subſidia mittit Magno Magiſtro Ordinis Hieroſolymitani ad tuendam Militenſem Inſulam adverſus Turcarum conatus p.461.

Suſpenſionem Vicarii Leodienſis à Divinis à Nuncio Apoſtolico demandatam approbat p.541.

T

OB Templa aperta ab Hæreticis in Diœceſi Culmenſi, & Poſnanienſi graviter increpat Epiſcopos, Capitulum, & Canonicos earumdem Eccleſiarum p.548. & 550.

Tinnienſi Epiſcopo moleſtiam ſignificat ſuſceptam ob dimiſſionem Nuncii ab Aula Viennenſi, ejuſque officia expoſcit, ut Imperatoris animus ad æquiora conſilia adducatur p.278.

Cardinali de Tournon Viſitatori Apoſtolico in Sinarum Imperio injungit, ut Joannem Baptiſtam Sidotum in Civitate Manilæ commorari faciat pro fundatione novi Seminarii p.403. Eum amantiſſime conſolatur, & ad tolerandas pro Dei Cauſa injurias paternè adhortatur p.533. & 616. Pro illius libertate vehementer urget Portugalliæ Regem p.606. & 631.

Trevirenſis Archiepiſcopi, & Electoris gratulationem ob ſuam ad ſummum Apoſtolatus apicem aſſumptionem benigne excipit p.28. Scribit eidem, nè Regios honores tribuat Friderico Marchioni Brandeburgi p. 45. Conſilium aperit mittendi Nuncios Extraordinarios ad procurandam Pacem p.88. Vehementer eum hortatur ad fortiter reſiſtendum Hæreticis, qui gravia Orthodoxę Religioni damna inferre parati erant p.135. Ejus auxilium implorat, nè in Civitate Rhenobergæ publicum damnatæ Sectæ exercitium permittatur pag.247. Nec non pro executione conſilii Ducis Wittembergenſis redeundi ad gremium Catholicæ Eccleſiæ p.499. Et ob attentata in Regno Neapolitano, & Ducatu Mediolanen. commiſſa contra Apoſtolicæ Sedis jura p.495. Eniaè eidem commendat Catholicos graviter vexatos in Ditione Marchionis Brandeburgici p.492. Pro-Vicarium Apoſtolicum, alioſque Catholicos in Hollandia p.234. Mantuæ Ducem p.390. Petit, ut agat apud Cæſarem, nè ab ejus Militibus Pontificiæ Ditioni damna inferantur p.475. Utque omne adhibeat ſtudium, nè jura, & proventus Eccleſiæ Hildeſienſis acatholico Duci oppignorentur p.445. Petit ab eo, ut adeſſe velit Archiepiſcopo Mechlinienſi, cujus authoritas gra-

viter læſa fuerat à Conſilio Brabantiæ p.460. Ut io Conventu Ratisbonenſi Orthodoxę Fidei jura tueatur p. 196. Utque promovere velit cooſilium à nonnullis ſuſceptum erigendi Seminarium in Civitate Lyncii pro Nationibus Septemtrionalibus p.376.
A' Tridentino Epiſcopo petit, ut promovere velit cooſilium à nonnullis ſuſceptum erigendi Seminarium io Civitate Lyncii proNationibus Septemtrionalibus p.376.
Tripolitano Archiepiſcopo gaudium explicat ob illius reverſiooem ad unitatem Catholicæ Eccleſiæ p.65.
A' Turcarum inſidiis ut ſibi caveat, Venetam Rempublicam admonet p.640.
Tulleoſem Epiſcopum laudat, quòd Conſtitutioibus contra Eccleſiæ libertatem editis conſtanti animo obſtiterit p.187.

V

AB Uladislavienſi Epiſcopo urgeri petit apud Magnum Ducem Moſchovjæ promulgationem Diplomatis pro libero exercitio Catholicæ Religionis io ſuis Ditiooibus p.255.
Ulyſſiponenſis Archiepiſcopi officia requirit circa ſolutionem Quindenniorum ex juſtitia obtinendam p.282.
Urbinatenſis Eccleſiæ Canonicis benignè reſpondet ob gratiarum officioſam actionem pro pluribus Beneficiis illis collatis p.268.
Urbini Doctorum Collegii officioſas ſignificationes ob aſſignatum eiſdem Doctoribus perpetuum locum inter Judices Rotæ Macerateoſis benignè excipit p.269. Magiſtratus gratiarum actionem ſimili benignitate excipit, ipſumque vehementer hortatur, ot antiquas artes, antiquoſque mores excolere diligentiſſimè ſtudeat p.267.
Cardinalem Urſioum, modò Benedictum XIII., meritis exornat laudibus, ob ſiogularem zelum adverſus geſta per ſeeularem Poteſtatem in Regno Neapolitaoo p.512.
In Vallem Tellinam nè Hæreticis detur aditus, opem multorum Principum petit p.236. & ſeqq.
Varmienſem Epiſcopum paternè hortatur, ot publicam Regni Poloniæ tranquillitatem procurare non prætermittat p.350.
Veoetæ Reipublicæ merita erga Catholicam Religionem exponit p.8. Ejuſque zelum commendat. ibid. Monet, nè Regios honores tribuat Friderico Marchioni Brandeborgi p.43. Conſilium aperit allegandi Nuncios Extraordinarios ad procurandam pacem p.84. Patrociniom flagitat apud Regem Perſarum pro Catholicis iu Regno Perſico moram facientibus p.243. Ab ea opem, & patrocinium implorat pro Catholicis Orieutalibus, Armenæ potiſſimum Nationis, multifariam à Turcis vexatis p.91. & 109. Nec non adverſus attentata à Cæſareis Militibus contra Eecleſiaſticam Ditionem p.470. Ejus zelum commendat ob termioatam Controverſiam circa Eccleſiam Gręcorum S. Georgii p.526. Eam coixè adhortatur, ut Chriſtianos Principes invicem conciliare ſtudeat p.456. Eidem prorogat ſubſidium Decimarum Eccleſiaſticarum antecedenter ei conceſſarum ab Innocentio XII.p.524. Significat fuiſſe ab Imperatore approbatos Articulos in Urbe conventos, gratumque animum erga eamdem Rempublicam profitetur ob officia io hooc ſcopum ab ipſa impenſa p.540. Indulget, ut non teoeaotur in Urbe examen ſubire, minuſque in eâ Conſecrationis munus ſuſcipere illi, qui ab ipſa præſentantur ad Metropolitanas, & Cathedrales Eccleſias Regni Peloponneſi p. 128. Eam admonet, ut ad paranda opportuoa media contra Turcarum inſidias ſe pręparet p.640.
Vicarii Leodienſis ſuſpenſionem à Divinis factam à Nuncio Pontificio approbat p.541.
Vieuuenſis Epiſcopi officia petit ad impediendum aditum Hæreticis in Vallem Tellinam p.436.
Viſitatorem Apoſtolicum in Regno Sinarum commendat Imperatori ejuſdem Regni, uecnon Archiepiſcopo Goano, Inquiſitoribus ejuſdem Civitatis, Archiepiſcopo Manilæ, Epiſcopo Meliaporenſi, aliiſque Epiſcopis, & Vicariis Apoſtolicis in eodem Regno Sinarum moram facientibus p.114. & ſeqq.
Walliæ Priocipis gratulationis officium ob ſuam aſſumptionem ad Summum Pontificatum benignè excipit p.38.
Wittembergenſis Ducis Everardi Ludovici conſilium redeundi ad gremium Catholicæ Eccleſiæ laudat, & ad illud exequendum opem multorum Antiſtitum, & Principum Secularium Germaniæ implorat p.498. & ſeqq.

Z

ZElus Jacobi III. Magnæ Britanniæ Regis erga Catholicam Religionem laudatur p.5.

F I N I S.

VA1 1533662

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

165.
7/4

Digitized by Google